5 C. 11

A 315
1893


Ignis
Mundus
Aer
Edm. Dickinsoni
Physica
Vetus et Vera
Sive
Tractatus
de
Naturali Veritate
Hexaëmeri Mosaici
Anno. 1702
E. C Sculp
Terra
Abyssus
Aqua
M: V. Gucht Sculp:

D. *Edmundi Dickinſoni* M.D.

PHYSICA

Vetus & Vera:

SIVE

TRACTATUS

DE

Naturali veritate hexaëmeri Mosaici.

Per quem probatur in hiſtoria Creationis, tum Generationis univerſæ methodum atque modum, tum veræ Philoſophiæ principia, ſtrictim atque breviter à Moſe tradi.

WŁADYSŁAW HRABIA BIELIŃSKI.

7:30:7

LONDINI:

Typis **Jlivianis**, Vænales proſtant apud **Henricum Ribotteau** Bibliopolam in vico dicto *The Strand*, è regione ædium Bedfordianarum. MDCCII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

REVERENDISSIMO

In Christo Patri & Domino, Domino

THOMÆ

Providentia Divina, Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primati & Metropolitano; & Augustissimo Principi Gulielmo III. *M. Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ, Regi à Secretioribus Consiliis.*

Amplissime Præsul,

ILLa insignia charitatis atque munificentiæ, grandisque largitionis opera (quorum illustria existunt argumenta) quæ te magnum fecerunt, prius quàm Magnatem atque Primatem constituerat Regius favor, non possunt hodie, datâ hac occasione, non me publicum vestrorum meritorum Præconem reddere: Nec possum non sperare, quin Vir tanti animi, tantæque Dignitatis; & qui, publicæ privatæque religioni, suo semper studio, suâ curâ, suo-

ſuoque ſumptu maximo, tam piè fervideque proſpexit & conſuluit, etiam nunc alacriter atque prompte deſcenderet in Patrocinium Philoſophiæ, quæ Deum Creatorem monſtrat; ejuſque magnalia prædicat; Moſaicamque ſapientiam claris argumentorum ſuorum radiis illuſtrat, ac ab ἀθεωείας & ἀσοφίας opprobrio liberat. Ita ut ſperandum ſit quod multa præſentis ſeculi, vel levia vel prava, ingenia (quæ nec religio, nec eruditio ſapere docuit; aut quos inepta Philoſophia ſic infatuavit, & ſic excæcavit, ut ſpernant Moſem) tandem de illo rectius ſentiant. Idque vel invitis iſtis ſophiſmatis, fucatiſque verborum lenociniis, quibus haud ita pridem Docti certe probique viri, ſed decepti calamus, theſes originesque Moſaicas infamiæ tradidit; ipſamq; Adami, & Evæ atque Serpentis hiſtoriam temerariè carpſit, & illuſit. Quæ quoties incauti atque impii legunt, vel audiunt, nihil expiſcari, nihil excutere ſolent, vel introſpicere; ſed omnes ſuos ſenſus atheiſticos ilico pro-

proritant & incitant ; atque ad tam gratos & titillantes ſermones ſic adhinniunt, ut qui jam non Doctorem veritatis, ſed impietatis authorem à ſe inventum putent. Eòuſq; geſtientes indulgent nequitiæ ſuæ.

Sed ni deeſſet illis virtus & religio, ſanuſq; ſenſus, & judicium, non hi talibus illecebris ineſcati fuiſſent; nec ille Moſaicæ doctrinæ (ſeu Theologicæ ſeu Phyſicæ) tam contraria commentatus eſſet, ſi conſuluiſſet experientiam ; vel didiciſſet veterem atque veram Phyſicam: Corpuſcularem nempe philoſophiam. Quæ ſola naturam ſapit; ſola vetuſtatem redolet; & ſola Moſen à calumnia vindicabit.

Hanc igitur, Ampliſſime Præſul, veſtro favori & gratiæ religioſiſſime commendat

Clementiæ veſtræ

Cultor humillimus &

addictiſſimus ſervus,

Edmundus Dickinſon.

Ὅταν τῶ ἑξαήμερον αὐτῦ μεταχειρίζομαι, καὶ διὰ γλώσσης φέρω, μετὰ τῦ κτίστῦ γίνομαι καὶ γινώσκω κτίσεως λόγους. i. e.

Cum Hexaemeron illius (nempe Moſis) in manus ſumo, cum Creatore conjungor; & Creationis rationes cognoſco.

Gregor. Nazianz. Hom. 20.

Περὶ τῶν ἀφανῶν τῇ αἰσθήσει νομίσομεν ἱκανῶς ἀποδεδεῖχθαι κατὰ τὸν λόγον, ἐὰν εἰς τὸ δυνατὸν ἀναγάγωμεν. i. e.

Putamus nos de iis quæ ſenſui non ſunt manifeſta, ſufficientes rationes atque demonſtrationes attuliſſe, ſi tantum oſtenderimus ea ſic fieri poſſe, prout a nobis explicantur.

Ariſtot. Meteorol. l. i. c. vii.

Mosaicus

Figura 2da



Et Cælo terras et Terris abscidit undas
Et liquidum spisso secrevit ab aere Cælum.

E. Culpeper Sculp

Elenchus Capitum.

Cap.

1. NOtanda quædam præfatur ad Lectorem.
2. Pro vindicanda philoſophia Corpuſculari.
3. De præſtantia Coſmologiæ Moſaicæ.
4. De genere Philoſophiæ Moſaicæ.
5. De amplitudine Creationis Moſaicæ.
6. De Opere primi Diei.
7. De Opere ſecundi Diei.
8. De Opere tertii Diei.
9. De Opere quarti Diei.
10. De Opere quinti Diei.
11. De Opere ſexti Diei.
12. De Creatione materiæ.
13. De motu materiæ primæ.
14. De rerum principiis.
15. De Igne vel lumine primigenio, vel de Cælo primo.
16. De Expanſo, vel de Cœlo altero.
17. De Aquis chaoticis, & elementaribus.
18. De Terra chaotica, & elementari.
19. De Iſraëlitis Ægyptiacis.
20. De Moſe.

Mosaica Genesis non est Universi, sed materialis hujusce Mundi tantùm (quem intuemur) Creatio. Distinctionem benè cognoverunt, disertéque prædicaverunt tam sapientes Ethnici, quàm Christiani: unde illud Empedoclis (è Plutarcho) ὁ Κόσμος οὐ τὸ Πᾶν ἔστιν, ἀλλ' ὀλίγον τι τῦ Παντὸς μέρος, id est, *Mundus* (nempe Mosaicus) *non est Universum, sed minuta quædam pars Universi.*

Duos etenim mundos à Deo factos celebrat Antiquitas: *Superiorem* scilicet ac *Inferiorem*: Superior iste est immaterialis: quem Moses appellat *Cœlum Cœlorum*: Sanctus autem Paulus *Cœlum tertium*: cujus limites sunt ἀπαρεμφατοὶ, id est, *indefiniti.* Beatum certè spatium, quod Deus assignavit Angelis atque Spiritibus ministrantibus, quos ordinavit (id asserente Macario Hom. 45.) τῶν πολιτείαν ἐκεῖ ἔχειν, id est, *ibi vitæ* atque ministrationis suæ *rationem habere.* Hunc mundum superiorem Plato (quem Numenius, celebris ille Pythagoricus, ait esse Mosen Atticè loquentem) vocat τόπον ὑπερουράνιον, id est, *locum supra-cœlestem*; (nimirùm suprà cœlos nostros materiales & corruptibiles) eumque prædicat tanquam *sedem Beatorum*, suprà numeros omnes *tam fœlicem, ut nullus eam Poeta* (prout inquit) *unquam pro meritò laudare possit.*

Inferior hic mundus, in quo degimus, Fabrica materialis est: Quam Deus hominis solius causâ fecit; & hominibus in usum, atque in imperium dedit. Moses hunc Mundum vocat *Cœlos & Terram*, quoniam comprehendit, non Terrarum orbem solummodò, sed & primum illud cœlum materiale, quod Moses appellat *Ignem*, scilicet *Empyræum*; & hoc inferius etiam cœlum, quod à Mose dicitur *Expansum*: Totam certè molem istius materiæ, quam veteres Græci *Chaos* dixerunt; maximè respicientes eam caliginem, quæ in Principio fuit super faciem Abyssi. Quippe eam caliginem Hebræi, & (ut verisimile est) etiam *Phœnices* תהות *chaüth* nuncupabant. Adeò ùt Græci videantur desumpsisse illud celebre nomen, non ab ipsa materia, sed ab ea caligine, quâ involvebatur; & quam Moses, eam expressè nominans, insigniebat.

Diacosmus

Figura 1ma.

Cœli et Terra



Abyssus

Et tenebræ erant super faciem Abyssi
Quam Græci dixere Chaos

E. Culpeper Sculp

CAPUT PRIMUM.

Quod notanda quædam præfatur ad Lectorem.



RODIT hodiè novatâ facie (ſed quam veteres ſapientes, ſi reviviſcerent, alacriter agnoſcerent & amplecterentur) antiquiſſima Philoſophia : cujus ego veſtigia, quàm ſagaciſſimè potui, vel uſque ad Noæ tempora ſecutus ſum per Commentationis hujuſce venationem : Ipſamque proindè, tanquam Mundi prædiluviani doctrinam, merito ſuſpiciebam.

Verùm enimverò quantæcunque canitiei vel ætatis fuerit hæc Philoſophia, ſi non veritati naturali Moſaicæque ſapientiæ conformis appareat, libentiſſimè velim, ut ei nuntium remittas, ipſamque reſpuas & aſperneris. At ſi Phyſicæ noſtræ principium atque finem benè quadrare, & utrumque cum medio rectè congruere ; totumque ſimul hiſtoriæ Moſaicæ, rerumque à Deo factarum naturæ accommodari percipias, obſecro ut probè deſignanti faveas : Et me non temerarium cenſeas, aut nimis audacem eſſe Coſmologum, qui minimè ſtudeo Creatoris abdita rimari, ſed ejus interpretem duntaxat explicare per conſentaneas atque modeſtas ὑποθέσεις : Et ea tantùm conor dilucidare, quæ Moſes Iſraëlitis ſuis haud difficilia vel obſcura videri voluit ; ſed quæ

postera tantùm secula, per exoticas, atque novas, & abhorrentes quasdam notiones occulta reddebant.

Nihil quidem magnus ille Philosophus Moses enitebatur unquam vehementiùs, quàm ut Dei cultus & Religio firmas in Israëlitis suis radices ageret; & ut in illis crescerет atque floreret: Nec aliquid eâ re conducibilius utiliusve dijudicabat, quàm ut Hexaëmeri magnalia palàm constarent, & à cunctis scirentur. Quid namque, cedo mihi, sapientiam Dei; quid ipsius omnipotentiam magnificentiamq; sublimiùs aut clariùs enarret, quàm quod notum faciat Jehovam fuisse, qui rerum universitatem de vacuo nihili sinu produxit? nutuque suo stupendam hanc, quam cernimus, elegantiam ac pulchritudinem Mundi formavit? Et quid ejus cultum fixiùs imprimeret in animos hominum, quàm quæ Creationis opera mirifica patefaciant & explicent?

Quocircà vix dubitari possit quin ab initio consilium Mosi fuerit, ità Creationis ordinem atque modum tradere, ut grandis istius rei seriem atque rationem non tantùm viri sapientes & ingenioси cogitationibus suis apprehenderent; at ut illas etiam plebs ipsa caperet; maximè cùm nulla gens istius seculi (proùt è capite de Israëlitis Ægyptiacis postea liquebit) vulgus habuit plebe Israëliticâ docilius aut doctius.

Certè quidem nec consentanea res esset, neque verisimilis, ut Moses *vel* cogitationes atque sensus vulgi Israëlitici, quos planè doceri voluit, allegoriis intricaret, aut compediret mysteriis; *vel* ut acutis ingeniis Optimatum, quorum fidem & obsequium venabatur, repugnantia veritati rectæve rationi contraria proponeret: quod ab illo factum profectò minimè omnium credi oportet.

Prætereà communis huc usque semper inter eruditos fuit opinio, Mosem, dum viveret exul in Madiana, scripsisse Generationis historiam; atque eam misisse ad fratres suos Israëlitas, tum ut consolaretur afflictos servitute; tum ut religione suâ vacillantes firmaret evidenti narratione Creationis; per quam verum Deum distinguerent. Hoc autem per dictiones aut falsas aut ænigmaticas, aut eas quæ perdifficiles explicatus habuerunt, præstari nequaquam potuit.

Ut maximè credibile sit hanc ipsam mundi Genesim, quæ viris eruditissimis undique tantas difficultates ac ἀπορίας per multa secula creavit, Hebræis attamen (in ipsa ætate Mosaica, prout etiam

ad

ad aliquot ſecula poſt eam) communiter intellectam fuiſſe. Nec mirum videri debet, ſi id, quod in hiſtoria Creationis olim fuerit perſpicuum, ac veluti ſerenum, tantis poſteà caliginibus obtegeretur; propterea quòd ea principia naturalis ſcientiæ, ad quæ Moſes, dum ſcripſit eam narrationem, ſe compoſuerat, atque notiones ſuas formârat, per declinationem veræ ſcientiæ, mutationemque Phyſicorum theorematum, ſic tandem mutata fuerint, ut Coſmologia Moſaica, quam vulgo Iſraëlitico fidæ ac liberæ conſtanteſque patrum ſuorum traditiones, atque diſciplinæ, ſacerdotumque præceptiones planam fecerant, poſteritati fieret obſcuriſſima: Ità ut eam doctiſſimi Judæi non intelligerent, nec opinando quidem perciperent. Nova etenim principia novas in eorum animis ideas & intelligentias effinxerant, antiquioribus obliteratis.

Hinc evenit, ut Judæorum doctiſſimus ille Maimonides, aliique literati Judæi, partes quaſdam dictæ Coſmologiæ (nempe lucem primigeniam, ſupercœleſtes aquas, atque marium originem, ſive aquarum congregationem in unum locum) peſſimè ſpectarent, tanquam res nullâ ratione Phyſicâ deſcriptas: ſuperiores autem aquas idem Maimonides adeò abſonas & abſurdas eſſe putabat, ut illas à ſe nec apprehendi neque fingi potuiſſe diceret. Hinc etiam Celſus, & Simplicius, & alii ejuſdem farinæ Phyſici Moſem carpunt acriter, ejuſdemque mirandam Coſmopœiam generaliter ἀτέχνως καὶ ἀθεωρήτως, i. e. *abſque omni arte vel ſpeculativa conſideratione* definitam eſſe prænuntiant. Hinc itidem multi Chriſtiani, docti licet ac probi viri (ob ea præjudicia, quæ vana quædam Philoſophia, cui ſe totos addixerant, in ipſis excitârat) generationem mundi traditam à Moſe tam obtectam atque involutam, tamque diſſonam ſuis ſenſibus exiſtimârunt, ut eam minimè κατὰ τὸ ῥητὸν intelligendam cenſerent.

Verum enimverò de his omnibus idem eſſe dicendum reor, quod ferebatur olim de Harpaſte Senecæ, quæ cùm ipſa fuerit cæca, domum accuſabat tenebrarum, læſæ facultatis ſuæ neſcia: Sic & errores, quos illi nequiter imputabant, aut iſtæ obſcuritates, quas hi negligenter aſcripſerunt Coſmurgiæ Moſaicæ, ſua ſunt ipſorum vitia, & falſarum quidem notionum deliramenta.

Vanas ſuas notiones de prima formatione rerum maxima pars hodiernorum Phyſicorum meritò referunt ad Ariſtotelem ſuum,

cui debentur: hujus etenim principia Physica, quoniam toto, quod aiunt, cœlo distant à Mosaicis, non potuere non in animis hominum tam discrepantes imagines ac species conceptionum formare, ut alienam à Mosaica ac penitùs abhorrentem doctrinam certò cuderent.

Hinc necesse erat, (nam consequens fuit) Mosen ab istiusmodi Physicis aut penitus ignorari, vel perobscurè percipi, sæpissiméque distorqueri. Nam qui Peripateticis induti sunt specillis, & nihil nisi per ea videant, mentem Philosophi nostri cernere, quanquam sat claram, nequeant. Mosaica certè percepta multò subtiliùs inspicienda sunt, ità ut nequaquam speret se veram Cosmopœiam contemplaturum esse; Mosemque luculenter intellecturum, qui non optima sibi comparavit Microscopia: nimirùm qui non tales adhibeat ad studia sua Physica promovenda contemplationes, taliaque experimenta, quibus eluceat Atomorum doctrina. Hanc namque respiciebat Moses; ad hanc omnia sua Cosmologica dicta referebat. Quod quidem pronunciatum sequens (uti spero) tractatus non solùm theoriæ Mosaicæ, sed & rectæ rationi, sancitæque legi naturæ consentaneum esse monstrabit.

Non possum verò, priusquam Lectori valedicam, non eum paucis ultrà præfari, mentisque seriæ castigatæque judicia postulare, ne quandò credat me *vel* nimium tribuere materiæ motuique mechanico; *vel* tales Philosopho nostro Mosi sensus affingere, quos, si in vivis esset, ipse rejiceret, atque potentiæ dignitatique sapientissimi conditoris invisos censeret: *vel* forsan existimet me, id quod Philosophi esset, minimè præstitisse; cùm, spretâ vi & potestate naturæ, maxima Cosmopœiæ negotia solis Omnipotentiæ manibus obeunda committerem, quâ doceo non tantùm mentes humanas, atque brutorum animas, nec non omnia plantarum semina per Dei digitos in initio creari; sed & Solem, Lunam, atque stellas, immò & centralem ignem (qui est sol quidam terrestris) per eosdem similiter effici absque ulla ope motionis Physicæ.

Nec dubito, quin re benè pensitatâ, non difficulter agnoscet, me tum probi viri tum Philosophi solidi sobriique munus explevisse, si modò consideraverit materiam esse rem segnem prorsùs & impotentem; omnemque motum à Deo suscitatum fuisse,

atque

atque per ejus omnipotentiam præservatum subsistere: simul & naturam ipsam (quæ nihil est præter materiam in motu) Dei legibus obedientem esse; eâque ratione duntaxat actuosam fieri, & efficacem.

Unde veteres Sapientes ad omnia conficienda naturæ semper adjungendam esse Mentem censebant: Deumque rerum omnium πατέρα μητέρα, id est, *Patrem simul & Matrem* dixerunt. Ut ostenderent in productione rerum nihil efficacitatis vel agenti vel patienti causæ tribui debere, quod ille non indidit, aspiravit, effecit, qui operatur omnia in omnibus.

Placuit tamen bonitati divinæ, ut effectus illi Cosmopœitici, quos ea vis peregit, quam Deus & materiæ & motioni largitus erat, ipsi naturæ tribuerentur: Sic quanquam *Deus fecerat omnia virgulta, atque omnes herbas agri*, Gen. 2. 5. *terra* tamen dicitur *protulisse herbas & arbores*, Gen. 1. 12. Nam Deus posteaquàm creasset materiam, eique motum dedisset, maximam partem Cosmopœiæ relinquebat naturæ. Quo sensu rectè dictum est ab Augustino, *Deum sic administrasse omnia, quæ creabat, ut ipsa proprios motus exercere & agere sineret.* De Civitate Dei l. 1. c. 30.

At ut Creatoris opera magnifica per sacras literas ascribuntur naturæ, sic & opificia naturæ quotidiana ad Deum, cui meritissimè debentur, per ipsas quoque referri solent: Adeò ut quanquam *venti*, qui nubes dispergunt, & efficiunt frigus, quod cogit aquas in glaciem, *concitentur ab Arcturo*; *gelu tamen à flante Deo concrescere dicitur*, Job 37. 10. Et quamvis à vaporibus elevatis fiant *pluviæ & nubes, quæ spargunt pluviam suam*, Job 37. *Deus attamen est pater pluviæ, & gignit stillas roris.* Job 38. 28.

Hoc etiam à Philosophis agnoscendum est, Deum sæpiùs ut potentiam suam, vel benevolentiam iramve demonstraret, res naturales agitasse tùm suprà, tum præter, tum contra vim suam; id quod usu veniisse constat, tum in cunctis mundi seculis ac regionibus; tum in ejus initio, quando cæteris operibus Hexaemeri sibi quasi relictis, (ut Physicè, nempè secundum regulas istiûs motus, qui datus fuit materiæ, moveri formarique possent) Deus & perennem illum ignem, (quem in medio telluris esse non sine magna ratione Philosophi conceperunt) & Solem atque Lunam, omniaque sydera, contra motum materiæ suæ, in orbes cogi ac construi voluit. Dequibus plura in cap. Operis quarti diei.

Hæc

Hæc inquam præmonenda censui, ne Lector, vel quà Theologus, me nimium concessisse naturæ ; vel quà Physicus, id quod æquum erat, derogasse judicet.

Multa fortè legentibus occurrant, quæ nequeunt Momo satisfacere : vix attamen vereor, ne mihi benigni cordatique Lectores, grandem hanc materiam tractanti succensеant, ac ut absurdum redarguant, eò quòd primam atque supremam partem materialis hujusce mundi (scilicet empyræum cœlum, quantum quantum fuerit) ab unico verbo,nimirum אור i. e. *Ur*, condendam esse concipiam : cùm viri doctissimi communiter illam terrestrem Paradisum, (Quam Hebræi simul & Christiani, Poetæ ac Rhetores Ethnici præconiis immensis, &, pœnè dixeram, Romanicis extulerunt) in una vocula, nempe גן *Gan*, id est *hortum*, vel à nomine cujusdam loci,scilicet עדן *Eden*, *à voluptate* sic dicti,fundatam videant : At eum hortum Moses appellat גן בעדן *Gan beeden*, id est, *hortum in Edene*, ut locum signaret, eumque distingueret à vicinis locis [a].

[a] Gen. c. 2. Com. 8.

Quocirca prædicta verba parùm favent exuperatis istis encomiis, quibus haud pauci tantoperè decantant eum hortum, ut videantur laudes suas potiùs à Poetis (campos suos Elysios, aut Hesperidum hortos describentibus) assumpsisse, quàm à Divino Philosopho Mose ; Qui licèt illam uberrimam simul, &, (quod probabile est) amœnissimam regionem, in qua Deus locavit primum hominem, disertè vocet *hortum* ob arbores, & flores atque fructus suos : noluit attamen, ut crederemus Adamum in eo positum fuisse, ut voluptuariam segnemque vitam degeret, sed ut actuosi atque soliciti curisve suspensi viri munus obiret : Quippè nam planè affirmat *Deum tulisse Adamum, & eum posuisse in horto*,qui erat *in Edene*, לעבדה ולשמרה id est,*ut illum elaborando coleret, & cum cura ac solicitudine custodiret ac tutaretur.*

Adeò ut talem Paradisum, qualem sibi multi finxerunt, è verbis *Gan beeden* rectè cudere nequaquam potuerint. Cùm tamen & natura rei, quam notat vocabulum nostrum *Ur*, & ipsa ratio Cosmopoiiticæ motionis (quæ fuit in facie aquarum) cœlum empyræum necessariò formabat, ut primùm Deus *Ur* fieri jusserat.

Nec mihi vitio vertatur, quòd nomen empyræi, quo multi, nescio quâ ratione, supramundanum cœlum (quod Beatorum sedes

ſedes eſt) nuncupant, ego ſupremo noſtro cœlo materiali tribuo, quia verè eſt igneum; & à Phyſicis omnibus antiquiſſimis ita dictum. Unde & illud Græci vetuſtiſſimi nominabant αἰθέρα *ab urendo.*

Neque mirum videatur, aut penitùs alienum à Phyſica ratione, quòd aliquoties ad ſacram Phyſiologiam exquirendam ſimul & explicandam verborum etymologias adſciſcerem; cùm vix dubitandum ſit, quin Deus Adamum in initio docebat naturas rerum; eumque erudiebat in imponendis nominibus, ita ut congruerent cum naturis rerum. Adeò ut Hebræa lingua, licèt ea verbis non abundet, verbis attamen omnium maximè ſignificativis inſignita ſit. Unde Moſes, qui brevitati ſtudebat, uno vel altero verbo totam aliquoties hiſtoriam, diverſaſque naturas comprehendit: Et eadem verba, quibus uſus eſt ad efferendam ſuam Coſmologiam, ſimul ad ipſam explicandam quoque tanquam claves exhibuit.

Sic ſe res habere, ſic verba Moſaica ſapere mihi videntur. Verùm autem ſi quid in hoc Tractatu, cui nec ſacræ literæ, neque veterum ſcripta vel traditiones, nec uſus & experientia fidem creabunt, à me nimis affirmatè, currente calamo, prolatum ſit; exorandus es, amice Lector, ut id ita intelligas, ac ſi non abſque modeſtioribus iſtis adverbiis ἴσως ϗ τάχα conſcriptum fuerit.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Pro vindicanda Philosophia Corpuscularis.

Syllabus rerum præcipuarum : I. *Philosophia Corpuscularis est maximè dispositа ad explicandam atque probandam rerum Genesin*: II. *Hoc ipse Aristoteles agnoscebat.* III. *Hujusce Philosophiæ probitatem monstrant sensus atque pronuntiata Democriti.* IV. *Empedoclis.* V. *Anaxagoræ*: VI. *Pythagoræ* : VII. *Ejus antiquitatem prædicat Moschi disputatio* : VIII. *Ipsamque ad Noæ tempora ducunt memoriæ Platonis.* IX. *Anaximander Thaletis discipulus & successor, Atheus, Unde* : X. *Ante Anaximandrum omnes Atomici Philosophi fuerunt Theistæ.* XI. *Cur Anaximander repudiato Magistri sui vocabulo technico, Aqua* : *in scholam suam inducebat infinitas atomos* : XII. *Anaxagoras Atomistarum religionem restituebat.* XIII. *Exceptis Epicureis.* XIV. *Rationes insignes, quæ probant concursionem atomorum, quæ fuit rerum omnium causa, non fuisse temerariam atque fortuitam.* XV. *Quod vel Athei, si rem benè considerassent, agnovissent.*

UM suscepissem Philosophiam Mosaicam pro virili mea dilucidandam, cunctisque seriò perpensis firmè concepissem, munus illud nulla ratione melius, quam corpuscolari, vel, ut loquuntur, atomicâ præstandam fore ; inprimis necessarium esse ducebam, ut illud grave præjudicium, quod de hoc genere Philosophiæ multi probi doctique viri tulerunt, funditùs amoverem ; ne fœdus iste color, infamisve nota, quam fronti

fronti vetuſtiſſimæ veriſſimæq; ſapientiæ nonnullorum error aut ignorantia, vel temeritas inuſſit, omninò deterreret ingenuos Lectores; aut eos ſaltem ad inſequentis hujuſce diſſertationis argumenta penitùs imbibenda, minùs aptos atque diſpoſitos redderet.

I. Inhæret nimirum in multorum animis altiùs infixa perſuaſio, quòd ea quæ per Atomos adornatur philoſophandi ratio, vel rerum Geneſin explicare nequit, vel quà potis eſt, Deum Creatorem reſpuet: At utrinque ſanè graviter erratum eſt, cùm nulla ſint principia naturæ, quæ modum materiæ motuſve Coſmopœitici planius aut plenius enodent: Nulla quæ Omnipotentem motorem magis poſcant & efflagitent.

II. Longè quidem latéque patentem (ſi ita loquar) Atomorum provinciam ſatis agnovit πολυθρύλλητος ille philoſophus Ariſtoteles; qui quamvis ἄτομος, tanquam acerrimus hoſtis è rerum natura detrudere; ac illis haud ſolùm aqua & igne, ſed omnibus elementis interdicere conaretur; attamen aut oblitus ſui, vel conſcientiâ veri commotus, celebrat earum capacitatem phyſicam, quando fatetur Democritum *omnia prævidiſſe*; & *principia ſuppoſuiſſe, quibus omnia poſſunt explicari* [a]. Ipſumque Democritum gravis & expertus ille philoſophus Hippocrates appellat ἄριστον φύσεως ἑρμηνεύτην καὶ κόσμου, id eſt, *optimum naturæ & mundi interpretem* [b]. Quem etiam Seneca *Naturæ linguam vocat.*

[a] Hippocr. in Epiſt. ad Democritum.

[b] Hippocr. in Epiſt. ad Damogetum.

III. Immò certè, quod optimè diluat omnes maculas aſperſas huic philoſophiæ, Democritus ipſe, celebris iſte Corpuſcularis ſcientiæ patronus, univerſi conditorem atque Deum apertè profitebatur; & cuncta animantia θεῖα ἔργα, id eſt, *Dei opera* [c] eſſe affirmabat. Id quod clarè teſtatur ipſius coætaneus, ejuſque medicus, Hippocrates, qui dicta ab illius ore præſens acceperat. Mundorum quidem multitudinem eſſe cenſebat Democritus, ſed unicum eſſe tantummodò Conditorem Deum.

[c] Hippocr. in Epiſt. ad Damogetum.

Hæc extrà omnem dubitationem tam longè poſuerunt Hippocratis & aliorum teſtimonia; ut quicquid à nonnullis afferatur, quod diverſum quid ſonare videatur, id eorum vel ignorantiæ vel nequitiæ tribui debet: Qui, cùm ſapientis iſtius ſcripta non compareant (partim vetuſtate, partim Platonis & Ariſtotelis invidiâ malitiâve deleta) quibus & calumniæ fraudulentæve commentationes refelli poterant, audaci libertate neſcio quæ dicta,

tanquam κενὰ Democriti sibi finxerunt, atque prostituerunt, quibus authoritatem gratiamque thesibus atque præceptis suis afferre conati sunt.

Certè quidem, si recuperari possint omnes philosophi istius libri, quos vel invidia Platonis vel Aristotelis ambitio, philosophicæque tyrannidis aviditas & studium delevit; vel quos tempus & blatta peremit; non dubitarem, quin ex illis apertè sciremus, quantus olim, & quàm frequens fuit Democritus in mundo invisibili, ac intellectuali, Deoque conditore prædicando; & quàm firmus in speranda vita illa, *quæ iteranda est morte*, ( ) nimirùm in credenda cœlesti sua patria, in qua promittebat se revixurum. Quanquam sapientis opinionem, tanquam dementem carpit Plinius [d], atque ludibrio excipit; simul & nequiter atque vafrè pervertit, ac si chemicus ille philosophus magno nescio quo medicamento semet ipse resuscitaturum pollicitus esset.

[d] Lib. VII. cap. 55.

IV. Nec hanc Atomicam philosophiam ab infamia liberat Democriti religio tantùm; sed & ipsam bonæ famæ, atque hominum existimationi vendicare potest aliorum quoque philosophorum Græcorum (præsertìm Ionicorum, qui fuerunt Atomici) pietas & theologia. Illam porrò (deterfis istis maculis, quas asperserant Athei quidam) purgabit egregius ille philosophus, & Atomicæ doctrinæ cultor Empedocles, qui, memorante Plutarcho, clarè docuit hujusce mundi fabricam, non fuisse opus brutæ materiæ, temerè concurrantibus atomis effectam, sed Deî sapientissimi consilio, structam. Et cùm duos mundos assereret *intellectualem* scilicèt, atque hunc *sensibiliem*; ille intellectualem maximè prædicabat: Atque tradabat *justam sanctamque vitam non in eo sensibili, sed in hoc summè semperque beatam fore, unà cum Dæmonibus aliis immortalibus* (scilicèt Angelis) *hilarem atque triumphantem.*

Nec ignorabat Empedocles, etiam nonnullos esse Dæmones (sive Angelos) de Cœlo illo, quod est sedes Beatorum, atque de fælicitate sua lapsos, quos divina Nemesis insequebatur: Hos ille proculdubiò palam atque strenuè prædicabat: unde Plutarchus illos appellat τὰς θεηλάτους καὶ ἀφανοπεσεῖς τῶ Ἐμπεδοκλῆ δαίμονας id est, *à Deo depulsos, atque à Cœlo delapsos Dæmones Empedoclis.*

V. Hanc

V. Hanc itidem à ſuſpicione bonorum virorum eximere valet Anaxagoras ; Qui nomine *Mentis* Deum eſſe conditorem mundi conſtanter & μεγαλοφρόνως edocuit. Adeò ut eam ob rem vulgò ſolet appellari Νῦς, id eſt, *Mens.* Et quàm rectè concepit de Deo, de Cœlo, atque de humana anima, ſatis liqueat ex illa illuſtri ſententiæ ſuæ ſignificatione,nempe *cœlum eſſe patriam ſuam, ſeque ad illam poſt mortem reverſurum eſſe.*

VI. Hanc porrò laudi maximæ perpetuæque commendare valeat etiam Pythagoras, Atomicæ quoque philoſophiæ profeſſor : Qui *Monadum* ſpecie particulas exiliſſimas ad explicanda principia rerum omnium adhibuit ; ſimul &, ſiquis alius, extulit. Ille etenim quicquid uſpiam veræ theologiæ, vel veteris phyſicæ; quicquid etiam religionis, aut æthereæ virtutis inter alios philoſophos undique diſtributum fuit, unus in ſe, quaſi delibando flores, collegit : adeóque animum omnibus & probitatis atque ſcientiæ dotibus exornatum habuit, ut Θεόσοφος dici meruerit.

VII. At Moſchus, ſive Mochus ille Phœnicius, quem ferunt olim, longè ante belli Trojani tempora, Sidoni diſputâſſe de Atomis, ( ) maximam omnium ſtabilioremque ſapientiæ corpuſculari gratiam ſuo cultu complexuque conciliare valeat ; maximè ſi verum ſit, quod quidam viri doctiſſimi ſentiunt, [e] *hunc phyſiologum eſſe ipſum Moſem.* Certè quoad tempus facile conveniant perſonæ ; & non difficile eſt concipere Moſem dum viveret exul in Madiana , brevi itinere aliquando tranſiiſſe in Phœniciam ; ac ſpeciatim ad urbem Sidonem (nam veriſimile eſt id viro φιλοθεώρῳ , doctoque otio fruenti in mentem veniſſe) & in ea de principiis philoſophiæ, nempe de Atomis vel Corpuſculis diſſeruiſſe;ut in diſputatione veriats alimaretur ſubtiliùs.

[e] Arcerius, Theodoretus, Seldenus,& alii.

VIII. Poſſit demum ad promovendam gloriam philoſophiæ corpuſcularis hìc adduci Platonis etiam phyſica , vel ſaltem memoria: Cui quanquam philoſophandi ratio per materiam, formam & qualitates magis arridebat ; Eique *ideæ* potiùs quam *Atomi* in ſtudiis & deliciis ſemper fuerint; Atomi tamen ipſius aſſertione probatæ ſtabant, ad phyſicas explicationes expediendas adhibitæ : Nam Terræ principia concipiebat eſſe corpuſcula *cubicæ figuræ*; Ignis autem *pyrimadatæ :* Aeris interim corpuſcula eſſe *octenarum baſium* vel ſedium : Aquæ, *vicenarum.*

At per minuta corpuscula Platonem ludere potiùs, quàm philosophari confitendum est. Verùm tamen ille, plus quàm ullus Græcorum philosophorum ad Atomorum laudem protulisse videatur, quatenus ipsarum usum & originem ab ultima antiquitate ductam tradit, (sive id è scriptis Hebraicis, sive è Chaldaicis, in utrisque benè versatus, didicerat) easque ab optimis ac antiquissimis hominibus, Noæ certè filiis [f] in rebus naturalibus explicandis usitatas indicaverat.

[f] vide cap. quartum.

IX. Non tamen infiteor quod nonnulli inter Ionicæ sectæ philosophos exstitêre, Thaletis etiam discipuli, qui Deum esse negabant. Non quòd hanc ἀθεότητα *impietatem* vel à Magistro suo (nam Thales Deum agnoscebat; atque mundum tanquam ποίημα Θεοῦ *Dei opus* usque prædicabat) vel ab ejus principiis atomicis acceperant, sed à pravitate suorum animorum, malisque suis moribus: Ionum quippe præ cæteris Græcis improbitas, impudicitia, mollities atque luxuria (quibus olim vitiis Iones usque ad proverbium diffluebant) facilè bonas istas notiones quas hausissent à Thalete, pervertebant. Nam qui spreto mentis regimine, missâque factâ religione, sensuum deliciis indulgent, promptè se fallacibus argumentis, atque vanâ ratiocinationis specie decipi capique sinunt, immò lubentes se dedunt.

Ut non mirum sit, quòd Anaximander, Thaletis ipsius discipulus & successor, (cui mollities animi labefactârat judicii firmitatem) magistri sui doctrinam metaphysicam repudiaret; & ea ipsa principia physica, quæ Thales ad Dei necessitatem, rerumque omnium generationem per Deum probandam tulisset, Atheus iste ad omnem rem incorpoream de mundo tollendam; atque ad æternitatem materiæ struendam distorqueret. Ast illud, inquam, non innatæ dispositioni corpuscularis scientiæ, sed istius philosophi pravitati, vanoque paralogismo tribuendum est.

X. Ante Anaximandrum cuncti Græciæ philosophi, quamvis illi corpuscularem vel atomicam philosophiam tantummodò colerent, omnium tamen originem, atque ipsum ornatum mundi ad Deum authorem referebant. Ast illa apud Græcos rei philosophicæ tunc temporis infœlicitas exstitit, ut Thales (qui Deum conditorem mundi prædicabat, doctrinamque Mosaicam ferè per omnia sequi videretur; quique fuit caput Ionicæ simul & Atomicæ philosophiæ) nihil scriptum post se reliquisset, quod Anaximandri

naximandri contorta & aculeata ſophiſmata retundere ; ſanioriſque philoſophiæ rationem, quam ſeminârat Thales, planam facere, tutarique potuit.

Obj. Hic forſitan aliqui dictis opponant ſe objiciendo, *primò*, non eadem fuiſſe Thaletis & Anaximandri principia ; ille namque rerum materiam primam eſſe *Aquam* dicebat : Hic verò Corpuſcula minutiſſima atque infinita : *ſecundò*, Nec probabile eſſe, ut Diſcipulus & Succeſſor jam receptam atque decantatam appellationem materiæ phyſicæ, quâ uſus erat ejus Magiſter ſtatim reſpueret, & aſperneretur : ideóque me fruſtrà ſperare laudem gratiamque principiis atomicis, per Thaletis autoritatem pietatemve conciliari poſſe.

Reſp. Thaletem certè per *Aquam* intellexiſſe atomos ſive particulas exiliſſimas (ad exemplum Moſis) haud levibus argumentis, in capite de Aquis Chaoticis, &c, oſtenſum eſt. Quod vel ex eo ſatis appareat quòd primam rerum omnium materiam ὕλην, id eſt, *hylem* vocare ſolet : per illud namque vocabulum Sapientes omnes ante Thaletem (& aliquamdiu poſt Thaletis tempora) particulas exiliſſimas vel atomos indicabant.

XI. Cur autem Magiſtri ſui technico vocabulo (ſcilicet *Aqua*) non uſus fuerit Anaximander, duæ potiſſimùm rationes exiſtunt. *Prima* eſt, Quod per proprium & apertum exiliſſimorum corpuſculorum nomen ſe in animos auditorum ſuorum faciliùs influxurum putabat. Aqua etenim vox eſt tralatitia, quæ niſi per metaphoram principium phyſicum verè ſignificare nequit. *Secunda* eſt, Quod ad ſuam ἀθεότητα propagandam ſe gratiùs & elegantiùs abuti potuiſſe *corpuſculorum* vocabulo ſentiebat : Adhæc veriſimile eſt illum, qui ſpernebat omnem religionem, vocabulum Aquæ, cujus uſu claruit religioſus ille philoſophus Moſes, & poſt eum Thales, conſultò miſſum feciſſe, ne fortè (modò ſecùs fecerit) in animis auditorum ſuorum, ſimul cum philoſophia, religionis etiam memoriam refricaret. Nam, quia talem vitam degebat, ut ſua maximè intereſſe putaret, nullam in univerſo providentiam exiſtere ; ſed omnia cæco ac fortuito eventu fieri ; cunctis ingenii ſui viribus enitebatur, ut id ipſum probaret infinitorum corpuſculorum, vel atomorum regno atque licentia nequiter abutendo. Qui cùm (prout memoriæ traditum eſt) ingenii ſubtilitate præcelluerit, magnoque artificio dicendi ;

parvo

parvo tempore potenter attrahebat aures atque animos addiſcentium.

XII. Hinc evenit, ut inter Ionicos haud pauci fuerint, & philoſopharentur Athei, donec Anaxagoras, eximius ille claruſque ſcientiæ corpuſcularis fautor & interpres, redintegratâ benè ſentiendi ratione, doctrinam Thaletis denuò reſtitueret, & particulis ſive corpuſculis (ſicuti Thales priùs fecerat) τὸν νῶν, id eſt, *mentem*, Deum ſcilicet, ad res omnes efficiendas adjunxiſſet.

XIII. Poſthac (exceptis Epicuro tantùm, vel *Epicuri de grege porcis*) omnes utique, conceſſis hujuſmodi principiis, tantùm abeſſe putabant, ut Mundus caſu formari poterat, ut eâ re maximam quidem ſapientiam ſive Deum omninò neceſſarium judicarent; Qui ex hac informi, bruta, confuſaque materia tam mirandum ordinem, tamque elegantem ornatum faceret ac concinnaret. Quâ, namque via? quâve machinâ iners & ſtagnans iſta materia cieretur, niſi Dei ſpiritus eam moviſſet? Quid ordinatè fecerint? Quid grande molitæ fuiſſent hæ miſellæ minutiæ (ne dicam titivillitia) quas atomos appellant Phyſici, niſi manus Omnipotentiæ, quæ fecerat eas è nihilo, per omnia quoque ſapientiſſimè direxiſſet?

XIV. *Stultè arrogat ſibi, qui mentem & rationem in ſe putat ineſſe, in Cœlo mundoque non putat.* Et abſurdiſſimè ratiocinatur, qui corpus Univerſitatis, eò quòd ex variis particulis aptè concinnéque junctis conſtat, temerè caſuque factum pronunciat. Ecquis, obſecrò, niſi vecors fuerit, dum vel oculis aut mente ſuâ luſtrat excelſam atque magnificam quamque molem, (ſive Pyramidem, ſive Mauſoleum, ſive Salomonis Templum,) illam credat fuiſſe non artis humanæ, ſed fauſti fœliciſve, neſcio cujus, eventûs artificium? Calcem nempe, lapides, & ligna, reliquamque materiam tantis ſtructuris aptam fortè fortunâ conveniſſe; ac ſeſe tam decentèr ordinâſſe, ut ſtupendas iſtas ſtrues efficerent? Nemo quidem nemo: Multò minùs immenſum hoc templum Dei, *Mundum*, tot pulchritudinis, tot utilitatis, totque voluptatis atque miraculi ſpeciebus ornatum, ità conſtructum cenſeat: Facilius utique longéque veriſimilius arbitretur omnes, ubicunque terrarum fuerint, inſcios atque cæcos homines, abſque ducibus evagantes, in unum locum aliquando confluxuros, ibique ſemet in ordinem redacturos, indéque (velut

inſtructam

inſtructam aciem) proceſſuros eſſe, quàm putet eas particulas, quæ in Abyſſo fluitabant, ita ſe aſſociare potuiſſe, ut Terrarum orbem, atque Cœlos, eorumque *militiam* conflarent. Adeò ut, qui ſani judicii particeps fuerit, compoſque rationis integræ, non poſſit non (unà cum Thalete & Anaxogorâ) τὸν νῦν διακοσμοῦντα *mentem omnia digerentem* fateri, quicunque rerum originem ad cæcam multitudinem minutarum particularum, tanquam ad materiam refert.

Quod attinet ad opera naturæ ſingularia, certum eſt ea tam mirificè fabrefacta fuiſſe, ut eorum quodcunque, vel minimum viliſſimumve (ſive partium, quibus conſtat, elegantiam atque varietatem ſubtilitatémque, ſive earum uſum ſpectemus) omnia artis & induſtriæ molimina longè ſuperet & excellat. Et notum eſt artis opera omnia, quibuſcunque nominibus inſigniri ſolent, perfectionem ſuam curæ, & ingenio, ſolertique deſignationi debere. Quocircà quâ malùm! ratione, quove ſenſu moti ſentiant ipſa Naturæ magnalia abſque ullo conſilio *vel* intelligentia fieri poſſe.

XV. Non dubito quin Diagoræ Portagoræque diſcipuli vel ſequaces, ut & Epicurei, facile mihi concedent admiranda illa artificia, quæcunque ſint, quibus ſe jactant Artes manuariæ; ſpeciatìm verò perelegantes atque veluti ſpirantes iſtas imagines, quæ tam bellè paſcunt atque decipiunt oculos noſtros, animoſque pœnè capiunt, haud accuratæ concinnæque manûs ſolummodò, ſed & ingenii & mentis operas exſtitiſſe. Et eò libentiùs illas ab Artifice gnaro ſolertique delineatas eſſe pronuntiabunt, quò magìs ſimulent, & præ ſe ferant ea, quæ *naturalia* ſunt, & *viventia.*

Quænam ergo ſit amentia, quæ dicat, aut concipiat res ipſas inſito ſuo ſpiritu vegetas aut vivas, minimè ſapientiæ digito formatas fuiſſe; ſed à particulis in ſe ipſas incidentibus eveniſſe, abſque ullo Motore? Quanta, quæſo, foret ea ſtoliditas, quæ non dubitabit affirmare, quòd Architæ columba, vel aquila Regiomantani lignea (Quæ mechanicis membris atque viſceribus, penniſque dædaleis tam affabrè conſtructa fuit, ut ad Artificis arbitrium ſe erigere; atque in aerem evolare potuit) callidæ inventionis atque ſcientiæ res erat; interim tamen Aquilam veram, è carne vivente conſtitutam (*quæ ad præceptum Dei petit altum, &*

in excelsis ponit nidum suum; atque ovorum suorum facili exclusioni consulens [g] *inædificat nido suo lapidem ætitem, parturientibus utilem*) ab intelligente Artifice factam denegabit? Tantæ tamen insaniæ se reos agunt, qui vel *Acarum* temerè concursantibus atomis effici atque formari posse concipiunt.

[g] Plin. nat. hist. l. 10. c. 3. & l. 36. c. 20.

Plura jam de probitate nostræ philosophiæ necessariò dicenda vix putem. Sed quàm prompta quámque habilis sit ista philosophandi ratio; & quàm apta ad ortum rerum omnium penitus explicandum; Mosisque physicam strenuè propugnandam, penès insequentis hujusce tractatûs Lectores esto judicium.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

De præſtantia Coſmologiæ Moſaicæ.

Syllabus. I. *Adami notitia Mundi conditi per Methuſalechum ad Noam; & Noæ per Semum ad Abrahamum; & per Abrahami filium Jacobum ad Iſraëlitas Ægyptiacos facili traditione perveniret.* II. *Religionem atque Philoſophiam à Patriarchis poſtdiluvianis traditam pravi mores Nepotum brevi perdebant.* III. *In Heberi familia diutiùs manſit Religionis atque philoſophiæ veritas.* IV. *Naturalis ſcientia Divinæ gloriæ præco.* V. *Probabile eſt Abrahamum filios ſuos docuiſſe hiſtoriam generationis Univerſæ.* VI. *Servitus Ægyptiaca non impediebat, quo minùs Iſraëlitæ doctrinas à patribus ſuis acceptas retinerent.* VII. *Moſes hiſtoriam Creationis veram ſciebat; & Iſraëlitis Ægyptiacis planam ſcripſit.* VIII. *Nihil philoſophiâ Moſaicâ vetuſtius, nihil verius.*

I. QUAM præcellens ſit philoſophi noſtri doctrina de Geneſe rerum omnium, liqueat ex eo, quòd ſit veruſtiſſima; & quòd à primis Avis mundi continuâ traditione derivata ſit: Nam ſi qua in hiſtoria, tunc in ea præſertim quæ eſt de rerum ortu, valet illud effatum, *Veriſſimum eſſe, quod eſt antiquiſſimum.* Quippe cùm non dubitandum ſit, quin Primus homo, quem fecit & erudiit Deus, univerſam creationem, rerumque factarum ordinem clarè noverit; itemque filios ſuos tantâ curâ & ſtudio complexus fuerit, ut eos admiranda Creationis opera

fideliter edoceret ; veriſimillimum eſt omnes ferè Patriarchas, qui ante illud univerſale Diluvium vixerunt ; & cum Adamo ipſo (qui non ante annum ducenteſimum quadrageſimum tertium Methuſalemi mortuus fuit) vivos ſermones habere poterant, Coſmopœiæ rationes, orientiſque naturæ vias atque methodos intellexiſſe.

Quod eò probabilius exiſtimari debet, quia variis argumentis, ab Abrahami exemplo, nec non à Jobo, ſimul & ab ejus amicorum teſtimonio ſumptis, abundè patet omnes ab Enoſcho ſaltèm probos atque prudentes viros, omni tempore, patrum ſuorum præceptis atque memoriis porrò traducendis; adeóque liberis ſuis inſtituendis informandiſque diligentiſſimam operam impendiſſe.

Adhæc jure ac meritò credi oportet ipſos utique Patriarchas, qui majorum ſuorum lampadas ſibi traditas acceperant, majus aliquod lumen ſuâ ipſorum induſtriâ ſibi ſuccendiſſe. Nam cùm Patriarchæ (primæ ſaltem Mundi ætatis) ἐυφυεῖς καὶ μακρόβιοι, i.e. *ingenioſi atque longævi* fuerint, & cùm res omnes ex iiſdem principiis hùc uſque natæ ſint, ex quibus ab initio conſtabant; idemque porrò naturalium motionum modus atque methodus fuerit; non potuit non eorum phyſiologia per clariores quaſdam notitias, quas in eorum mentes inſeviſſet diuturna contemplatio, longuſque rerum uſus, multùm firmari cumularique: Adeò ut promptum ſit concipere plenam atque perfectam hiſtoriam Mundi tam mirificè facti, totiuſque naturæ procreatæ ſcientiam ad Noam uſque delatam fuiſſe, tanquam ad Patriarcharum hæredem.

Et cùm Noachus & ejus filii, præſertim quidem Semus, atque Japhetus haud minori (prout fas eſt opinari) poſteros ſuos erudiendi ſtudio flagrarent; æquum eſt ut credamus, & ab illis etiam mundi geneſim, hiſtoriæque priſcæ veritatem proli ſuæ purè luculenterque traductam fuiſſe ; Et (quod conſequitur) veri Dei notitiam ac cultum, rectéque philoſophandi rationem per eas Gentes, quas hi Nationum proavi, ductis hâc illâc coloniis primò condidiſſent, propagatam , aliquo ſaltem tempore floruiſſe. Ut quod vetutiſſimæ Phœnicum Idumæorum atque Arabum, aliarumque gentium memoriæ nobis offerunt , (quod veriſimile eſt ipſas ab hiſce Mundi poſt-diluviani ſatoribus

anteà

anteà recepiſſe) noſtram ſanè reverentiam mereri poſſit.

Nec illud debet in controverſiam à quopiam vocari (nam in eo nulla videatur ineſſe dubitatio) quin antiquiſſima Græcia, quam primò Javan incoluit; ſimul & Aſſyria, in qua nomen & nationem reliquit Aſſur; veri Dei notitiam, veramque Mundi generandi rationem noverit. Multò minùs ambigi debet, an Abrahamus id ipſum à philoſophis Aſſyriis, à Semo præſertim, certiùs intellexerit, & filiis ſuis *domuique ſuæ poſt ſe* tradendum curaverit.

II. Sed quia poſt unam vel alteram ætatem à pietate ſenſim deflexerat humanum genus, & ſe totum depravârat effuſâ luxurie, profundiſque libidinibus atque flagitiis iſtius ſeculi, ita ut omnes ferè Creatorem ſuum poſtponerent, vel negligerent, vel planè ſpernerent; *miſit illis Deus efficaciam erroris, ut crederent mendaciis, & diverterent ad fabulas: & ut relicto fonte Aquarum vivarum, effoderent ſibi ciſternas, ciſternas fractas, quæ non caperent aquas.*

Hinc iſtæ craſſæ tenebræ, quæ eorum mentes, atque omnes quas imbibiſſent de Deo atque de natura notiones obfuſcabant; ità ut quas poſteà concinnârant archæologias, obſcuras atque mancas, aut futiles atque falſas effecerint: Unde res eò confeſtim redibat, ut primæ puræque veritatis, aut nulla omnino reſtarent, aut perobſcura tantùm veſtigia.

III. Intereà tamen in Heberi familia, in qua *Deus Semi* religioſiùs obſervabatur, vera quoque ſcientia diutiùs eminuit: Et inter Hebræos (Heberi nempe filios, non tamen omnes) in Palæſtina atque in Phœnicia celeberrimarum Semi, Heberi, Abrahami, quin & Iſaaci forſan, atque Jacobi Scholarum doctrinis aſſervata manſit: Quamvis attamen alias gentes obſederant grandes errores, annileſque ſuperſtitiones; quæ prorsùs omne illud veritatis lumen, quodcunque fuit, quod vetuſtiſſimarum traditionum faces accenderat in animis hominum, denſiùs obnubilârant, aut potiùs exiſtinxerant.

Inter Heberi filios annumerandi ſunt multi pii doctique viri per Idumæam, & per Arabiam vicinaſque regiones paſſim degentes, (ſive à Nachore, ſive ab Abrahamo, ſive ab Eſavo prognati ſint) qui tum veri Dei cultum, tum rectæ philoſophiæ cognitionem diu retinuerunt: Hoc mihi commentanti perilluſtre

præbent argumentum, Jobus & ejus amici: Quorum ſermones ultrò citróque jactati luculenter oſtendunt, quo ſtudio ac fervore patrum ſuorum traditiones amplexari ſolent; & quàm diù veri Dei cultum, Creationis hiſtoriam, naturæque ſuſcitandæ perficiendæque viam atque methodum reſervârant.

In Abrahami ſaltem familia prout maximè floruit; ita in eadem diutiſſimè ſuperſtes fuit vetus & vera philoſophia: Quam Abrahamus à ſeculis antiquioribus acceptam parili traditione, fidâ nimirùm & perſpicuâ atque diligenti communicatione liberis ſuis impertiebat. Nam qui Gentium præconiis ipſe ob philophiam claruit; quique ipſius Dei teſtimonio conſtans in ſuis inſtruendis erudiendiſque præceptor fuit; procul omni dubiò filios ſuos non tantùm rectam religionem, ſed & bonos mores, atque ſcientias etiam docuit; eam præſertim, quæ ad Dei gloriam maximè facere nata erat, quatenùs homines (quotquot eam probè ſapiunt) ἀφανοφόβους καὶ θεοσέβεις efficit.

IV. Naturalem hìc intelligo Scientiam, quæ ſolertèr atque ſtrenuè decantat omnipotentiam Dei, qui magnifico ſuo verbo faciebat omnium rerum materiam; quique mundi ornatum ſplendidè concinnari juſſit. 1mo. Hæc etenim eſt ea *ſcientia*, quæ demonſtat quàm clarè *lux primigenia* (quæ ſolem triduò præceſſit) Dei laudes celebrat: atque eſt illa ipſa quæ docet, quâ ratione *Cœli*, & *Aquæ*, *quæ ſunt ſupra Cœlos*, enarrant Dei gloriam: 2do. Hoc eſt illud *ſtudium*, quod unicè potens eſt explicare quàm mirabilis illa res ſit, quam *Solem* vocamus; & *quàm lætantèr è thalamo ſuo prodiens cœlos ab extremitate ad extremitatem circuit*; & toti mundo Jehovam proclamat: 3°. Hæc ea *cognitio eſt*, per quam benè intelligimus quantùm in honorem ſui Creatoris continuò ſe dilatat *expanſum*; & quibus elogiis indicat ejus opera. 4to. Hæc prorsùs eſt ea *doctrina*, quæ varios illos modos exponit, quibus hic terraqueus orbis (quem Deus ſuper nihilo ſuſpendit) ipſius nomen ornat; quâque ratione, quælibet herba, quæ viret in eo, Deum monſtrat: 5to. Hæc ea *intelligentia* eſt, quæ ſola valet oſtendere, quàm mirabiliter Homo fabricatus ſit; & quàm manifeſtò Deum artificem per ſuam effigiem prodit: 6to. Hæc ea demùm *Sapientia* eſt, quæ dignè venditat ſe eſſe homini ſapienti neceſſariam, utpote quæ mundi conditorem probat atque indicat: Nam quia Deus, alioquin inviſibilis, mundi

imaginem

imaginem quodammodo induit, in qua ſe nobis conſpiciendum præbet ; Phyſica nos explicatè promptéque ducit ad mundi ſcholam, quæ Deum hâc admirabili Cœlorum atque Terræ figurâ velut indutum, omnibus utilitatis, elegantiæ, magnificentiæque ſpeciebus elucentem, omnibus influentem, imperantemque nobis exhibet ; noſtræque ſimul admirationi venerationique perpetuò commendat. At ſi quis aliò contorqueret ejus uſum, quàm ad honorem Creatoris ſui, certum eſt illum non intelligere naturam ; vel eâ nequiter abuti per commenta rationum ſuarum ; adeóque prout animantia venenoſa ſolent, virus exugere ex eo quod perbenignum eſt & ſalutare.

V. Sin verò naturalis Scientia ad propagandam religionem, eamque fovendam firmandamque tam diſpoſita ſit, neceſſe eſt ut concipiamus, id ſummè ſemper intereſſe pietatis atque Divinæ gloriæ præconi, ut rerum naturalium ſcientiam pro virili traderet ac promoveret. Ut non dubitandum ſit, quin Abrahamus pio ſemper pro religione in animos hominum inſtillandâ ſtudio flagrans, inter alia quoque τὰ φύσικα nempè *ſcientiam naturalem* præciperet : Quòd autem non aliâ ratione meliùs atque ſolidiùs, quàm per explicationem Creationis obire potuit ; quia Creationis hiſtoria ſtupendam materiæ Univerſæ de nihilo productionem, mirandumque rerum generalium ab initio factarum modum atque ordinem brevitèr atque perfectè continet.

Nec eſt ut ambigamus an illa conſtans atque pia benevolentia patris Abrahami ergà poſteros ſuos, in filiis ſuis deinceps ſpiraret atque vigeret : Nam veriſimillimum eſt Abrahami Deum illam ipſam Iſaaco inſtillâſſe ; Eandemque *Timorem* Iſaaci penitùs infundiſſe animo Jacobi. Summâque ratione credendum ſit ſtudioſum hunc patriarcham cunctas illas notitias, præceptiones, illuſtreſque ſignificationes, quas à Patribus acceperat, ipſe etiam cum filiis ſuis pari fide communicâſſe. Addo etiam, (ne dubitemus an perfecta Creationis hiſtoria ad Iſaacum atque Jacobum pervenerit) benedictum illum Noæ filium, & patrem Heberi Semum, non ante annum Iſaaci quinquageſimum (aut circiter) obiiſſe ; Heberum verò (quem Hebræi Scholam illuſtrem quoque tenuiſſe ferunt) uſque ad annum Jacobi decimum nonum ſuperſtitem fuiſſe.

At

At ſi Jacobi filios non laterent Patrum ſcientiæ, notabileſque recordationes, fieri certè non potuit, quin unà cum aliis illuſtrium atque magnarum rerum memoriis, ea præſertim, quæ quaſi manu gerebat Creationis hiſtoriam, præ cæteris omnibus inter Iſraëlitas evulgata fuerit.

VI. Nec ſervitus Ægyptiaca, licèt ea Populo, ob promiſſiones à Deo factas Abrahamo, magna ſpiranti; nec non ablata privilegia (quæ priùs ipſis Pharao, propter Joſephi merita conceſſerat) iniquiſſimè ferenti, gravis admodùm videretur, tanta unquam vel tam dira fuit, ut imponeret ſilentium primogenitis, aut Sacerdotibus Iſraëliticis, quò minùs traditiones atque præcepta veterum ad illorum Fratres referri; communiſque notitia Creationis frequentèr inculcari poterint; vel ut Plebem tam ſtupidam redderet, ut mentes ſuas ad canas atque verendas antiquorum doctrinas atque præceptiones haud adverterent; aut eas intelligere non valerent.

VII. Quæ cùm ità ſe res haberent, promptum erit concipere, quibus viis plena cognitio Creationis inter Iſraëlitas olim diſperſa fuerit; & quàm vetuſtâ continuâque traditione tanquam lampadis ad Moſem deveniret, etiamſi nihil Revelatione Divinâ cognoviſſet. Nam quamvis *theodidactus* ille Philoſophus inter Ægypti voluptates atque delicias inſtitutus fuerit; & multos annos cum illis conſueviſſet, qui priſcam veritatem non niſi tenebris obductam, vel depravatam tenerent. Ut indè nihil præter falſam ac inanem illam, quam ſibi finxerant Ægyptii coſmogoniam ſaperet; tandem verò, uon abſque cœleſti mentis inſtinctu, derelinquens Pharaonis aulam, in qua fuit educatus, *egrediebatur ad Fratres ſuos*, & cum Paterna gente ſocietatem inibat; ejuſq; religionem atque doctrinas amplexabatur. Adeò ut veterem eam Phyſicam, quam Creationis hiſtoria præ ſe ferebat; quamque longiſſimâ fidiſſimâque traditione, de manu ad manum factâ, receperant Iſraëlitæ) citò diſceret. Nam qui priùs accuratè calluerat omnem Ægypti philoſophiam, vimque cæleſtem jam conceperat, ille prorsùs ad altiſſimæ ſcientiæ latices imbibendos animum benè paratum habuit.

Et veriſimillimum eſt Moſem (quod etiam perantiqua teſtimonia prodiderunt) non ab Ægyptiis aut Iſraëlitis ſolummodò ſed ab aliis etiam nationibus (à quibus adjecti fuerunt rerum memorabilium

memorabilium quaſi lapides) Mercurialem ſuum cumulum congeſſiſſe: cujus animo locupletando videntur omnium ubique ſapientum gazæ contribuiſſe. Ut liquere videatur è capite de Moſe.

Sin ille Originem Mundi rerumque nativitatem clariùs quàm alii omnes, atque perfectiùs intellexerit, id omnino revelationi Divinæ tribui debet: Et quòd meliùs ſcripſit, id etiam fuit à Deo, qui juſſit illum ſcribere.

Quippe vix ambigi debet, numne Deus hoc illi negotium dederit, ut brevem quidem, ſed generalem hanc, quam de Mundi viſibilis Origine poſteritati reliquit, Narrationem ſcripto conſignaret; ut ità veritati conſervandæ proſpiceret, pravas omnes, quà fieri poſſet, hiſtorias prævertendo: Præſertim verò, ut tanquam fidus teſtis, & conſtans præco verum Deum populo ſuo proclamaret; ipſumque dies omnes inculcaret eorum animis.

Quæ quidem, prout veriſimile eſt, præcipuæ cauſæ fuerunt illius ſcriptæ Hiſtoriæ: Nimirum non ut quid novum, atque Iſraëlitis priùs inauditum proferret (Nam conſtans in ea Gente, & perpetua traditio cavebat, ne Creationis opera magnifica populum Deo peculiarem laterent) ſed ut res tantas tamque ſtupendas illuſtri ſtabilique teſtimonio quotidie prædicaret confirmaretque. Quia fieri vix potuit, ut rerum quomodocunque notabilium recordatio non aliquo tempore decideret; aut ut à pravis hominibus haud ità corrumperetur Veritas, ut à ſeipſa tándem deſciſceret atque degeneraret, (maximè inter populum diu per deſerta atque ſolitudinas errabundum; atque jam tunc vitæ curis atque moleſtiis oppreſſum; poſtea quoque futurum de novis ſedibus occupandis atque tenendis valdè ſolicitum) Atque idcircò ſummæ prudentiæ paritèr & neceſſitatis fuit, eam per monumenta literis exarata ſtabiliorem reddere.

Porrò autem, ſi Moſes hiſtoriam Creationis inſtinctu mandatove Divino ſcripſerit, abſurdum erit opinari rem aliter enarratam eſſe, ac ab authore naturæ dictata vel ſuggeſta fuerit; aut ipſam Narrationem non tam planis atque perſpicuis verbis expoſitam fuiſſe; ut ad eum finem, cujus causâ fieret, optimè conduceret: Ut eam ſcilicet Iſraëlis filii ſatis intelligerent; adeóque ſenſum veri Dei, qui ſic condiderat omnia, perciperent, & reverentur.

Et ſi crederet aliquis hanc Coſmologiam à Moſe, proprio, quod aiunt, Marte ſolummodò, ſine revelatione Divina compoſitum fuiſſe; nemo tamen non eandem putet ab illo promotam fuiſſe, tanquam veram atque probam naturalemque primæ Generationis explicationem; niſi qui vilipendat intelligentiam prudentiamque Moſaicam; vel ſuſque deque ferat, aut ſuſpendat ſuam ipſius rationem. Quis etenim, cui Moſis ſapientia lectu, vel auditu ſaltem, nota fuerit, ullo modo concipiet tanti conſilii virum vel futilia vel falſa commentaturum; atque fratribus ſimul & alienigenis; amicis unà & inimicis, doctis indoctiſque publicè prolaturum eſſe, in certam famæ ſuæ ruinam? Quippe certum eſt Moſem habuiſſe multos valdè infenſos & concitatos inimicos: Adeò ut non poterit non metuiſſe, ne Coſmologia ſua cunctis Iſraëlitis, maximè Reubenitis (quos benè prævideret jus ſacerdotii ſibi negatum permoleſtè laturos eſſe) maximo contemptui foret; omniumque ſapientum (qui in vicinis regionibus eminebant) probra, ſimul & acerbiſſimas atque minimè delendas accuſationes ſubiret, niſi perpetuæ traditioni reſponderet; & cum natura rerum philoſophicaque ratione congrueret.

At ſcitus hic & fidus Hiſtoricus, ipſius Dei conſultus, naturæque benè conſcius, à parte ſui ſeculi (cui notæ fuerunt veteris Mundi memoriæ; naſcentiſque naturæ principia benè cognita) ſecurus fuit: Quippè nec Deus Moſem falſæ deficientiſve Narrationis accuſabat; nec ei Reubenitæ pravam objectabant traditionem: neque ſapientes illius Ætatis (ſive citaremus Ægyptios, Idumæos, Phœnicas, aut Aſſyrios) ejus phyſiologiam ullo unquam modo reprehenderunt. Quanquam rerum naturalium ſcientiam inter Arabes, Idumæos, atque Phœnices ante Moſem floruiſſe; ipſiuſque Mundi fabricati methodum atque modum non ignoratum fuiſſe colligi poteſt ex illis, quæ præclarus ille philoſophus Jobus, & ejus amici protulerunt.

At quia Jobiana colloquia non niſi ſtricturas quaſdam præbent, quibus aliquâ ſaltem ratione ſublucet, ac veluti ſcintillat veritas; non autem plenos emittunt radios, per quos Hiſtoria Creationis eniteat; quod tamen excellentiſſimi noſtri philoſophi ſcripta, quanquam ſtrictè nihilominùs egregiè præſtiterunt:

runt : Et quia Gentium Coſmologiæ nihil ultrà Moſaicam ſapiunt ; immò nec ad illius altitudinem, vel comprehenſionem atque ambitum propiùs accedunt ; hanc ego jam concluſionem (ad quam tanquam ad metam collimavit noſtra diſſertatio) ponendam cenſui ; & pro certa ſtatuendam.

VIII. Nihil uſpiam exſtare vel mandatum literis, vel hominum fidei traditum, quod Originem rerum omnium pleniùs aut antiquiùs veriuſque propoſuit Enarratione Moſaicâ ; nihil quod ejus autoritatem ſuperat aut æquat. Adeóque maximam ſemper à Phyſicis habendam eſſe iſtius Coſmogoniæ rationem, quæ à Moſe deſcribitur : Et nihil audacter à quopiam de Naturæ principiis effingi debere, quod contraveniat ea, quæ ſacer ille veritatis interpres affirmatè pronuntiavit.

Nam licèt alibi ſacræ literæ, ubi rerum naturalium mentionem faciunt, quia non intendunt inſtitutionem phyſicam, ſic effantur, ut vulgi captum potiùs, quàm rem ipſam reſpiciant ; atque idcircò nec ſtabiliant philoſophantium dogmata, nec immutent ; attamen in hiſtoria Creationis, alitèr ſe res habet, utpote quæ *phyſica* eſt ; & per quam Moſes (ut rectè omnia reputanti liquebit) tria iſta inſignia vitæ ſuæ celeberrimæ ſtudia promovebat : *Primò*, ut rerum Generalium natalitia verâ ſatiſque planâ ratione panderet & decantaret : *Secundò*, ut Conditorem mundi, ſatoremque Deum cunctis hominibus expoſitum atque viſendum daret : *Tertiò*, ut cultum Dei, qui creavit hæc omnia, populo ſuo validiùs ſuaderet : Quocircà nec ille prudentèr quidem, nec congruentèr inſtituto fecerat, niſi fabricationem mundi ſic deſcripſiſſet, ut non ſolùm ab indocta plebe religioſiùs excipi, ſed & à ſcitis ac ſapientibus intelligi probariqne poterit : Quippè quia nunquam, vel in Opificis argumentum vel laudem ceſſerat ea hiſtoria, niſi cum re ipſa factâ conſentiiſſet.

Sin verò cum rerum natura benè concordet hæc Coſmogonia, nihil debet obſtare, quò minùs omnes noſtras ſpeculationes phyſicas eò collimandas cenſeam ; atque ità prorsùs inſtituendas, ut nullam producant phyſiologiam principiis à Moſe traditis oppoſitam. Quod certè non ſolùm religio, (quam vereor ne multi venatores naturæ parùm reſpiciant)

ſed & recta ratio (quam omnes arrogant ſibi) maximè præcipiet atque ſuadebit : Eò quòd nulla concipiantur philoſophiæ principia, quæ certæ experientiæ, quà chymicæ, quà mechanicæ, magis congruant ; aut in ea, quæ apparent quotidiè, tam concinnè quadrent, ac illa quæ ad mentem ſapientiæ Moſaicæ duci atque formari poſſunt.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

De genere Philoſophiæ Moſaicæ.

Syllabus. I. *Quatuor enuntiata prævia.* II. *Eadem philoſophiæ principia Patriarchis Ante-diluvianis atque Poſt-diluvianis uſque ad Moſem.* III. *Illa Principia videntur fuiſſe Corpuſcularia.* IV. *Corpuſculis hiſce diverſas appellationes dabant variæ Gentes.* V. *Moſes ea generali dictione vocat* Cœlos & Terram : *Subindè particulari voce* Terram, *Abyſſum, Aquas.* VI. *Vox Aquæ pro materia rerum ante ætatem Moſis, forte ante Abrahami uſitata.* VII. *Thales in Græcia philoſophatus eſt voce* Aquæ. VIII. *Pherecydes Syrus voce* Terræ. IX. *Pythagoras voce* monadum, *reverà particularum.* X. *Anaximander Infiniti nomine.* XI. *Ariſtoteles etiam veteri, ac ab antiquis uſitato vocabulo, ſed ejus ſenſu mutato.* XII. *Nonnulli imputabant Anaxagoræ Principium infinitum, ſed iniquiſſimè.* XIII. *Anaxagoras dereliquit* Aquæ *nomen, & cur?* XIV. *Et induxit particulas ſimilares, & quid per eas ſignificabat.* XV. *Empedocles & Democritus primi induxerunt nomen* Atomorum. XVI. *Vetuſtiſſimi philoſophi ſolent, vice Atomorum, uſurpare vocabulum* multa, *& cur?* XVII. *Pythagoras etiam uſus eſt eo vocabulo ad ſignificandam particularum multitudinem.* XVIII. *Particularum doctrina claruit à Noa uſque ad Ariſtotelem.* XIX. *Judæi doctrinâ Ariſtotelicâ penitùs imbuti philoſophiam Moſaicam non capiebant.* XX. *Scientias à Javane receptas, quas Græcia diu perdiderat, tandem Linus aliique philoſophi Græci repetebant ab Ægyptiis, Phœnicibus & Hebræis.* XXI. *Phœnices, Ægyptii, Syri & Arabes eâdem vel ſimili voce materiam primam notabant, eamque ad Hebraicam adaptabant.* XXII. *Qua ratione vox illa ſit exoleta, ac Hebræis ipſis ignorata.* XXIII. *Unde inepta quorundam Hebræorum judicia.* XXIV. *Veriſimile eſt vocem eam phyſicam, quam reſpiciebant aliarum Gentium philoſophi, fuiſſe Hebræam, quæ notabat* arenam. XXV. *Voces* Arena & Pulvis *tum multitudinem, tum rerum naturalium princi-*

pia ſignificabant ante Moſaica tempora. XXVI. *Objectioni reſpondetur.* XXVII. *Nemo principia phyſica per alia vocabula magis aptè denotabant, quam Moſes per* Aquas, *& per* Pulverem. XXVIII. *Aquæ Moſaicæ, non veræ Aquæ, ſed particularum multitudo.* XXIX. *Eam idcircò vetuſtiſſimi philoſophi, Noæ quidem filii, vocabant* multa. XXX. *Hanc philoſophiæ corpuſcularis antiquitatem memorat Plato; ipſamque indigitat Ariſtoteles.* XXXI. *Hebræi ante ætatem Moſaicam, non ſecus ac eoram germani & vicini Idumæi, perpetuâ traditione patrum veritatem philoſophiæ recipiebant.* XXXII. *Ut indè concludatur Moſaicam philoſophiam eſſe veriſſimam.*

I. Onſideranti mihi Coſmologiam Moſaicam, ſtudioſéque præmeditanti Principia, quibus inniti videtur illa παντέλεχ& id eſt, *omnipræſtans* hiſtoria. Quæ reverà naturalis eſt, multa conſurrexerunt argumenta, quæ ſpontè ibant in meam ſententiam, quamvis à communi longè remotam. Priùs autem quàm quæ breviter anteà ſtrictimque dicta ſunt, ultrà dilatare; clariſſimiſque rationibus illuſtrare conabor; id inſtituto meo valdè congruens, immò neceſſarium duxi; ut quatuor illa, quæ deinceps ſequuntur enunciata, coràm ponerem; & tanquàm fundamenta doctrinæ ſtruendæ jacerem.

Primò, Sapientiam Coſmologiæ Moſaicæ vix intelligi poſſe, niſi priùs nota fuerint ea principia philoſophiæ, quæ Moſes ipſe dum ſe rerum omnium origini definiendæ vovebat, ante oculos habuit, ac mente ſuâ complexus eſt.

Secundò, Illa etiam principia neque rationis acie diſcerni, nec conjecturâ benè comprehendi poſſe, ni prius cognitum fuerit iſtius Philoſophiæ genus, quòd in eo ſeculo præcelluit.

Tertiò, Iſtius autem ſeculi philoſophiam *corpuſcularem* fuiſſe; quæ quicquid cœli & terraqueus orbis ſuo complexu continent, è particulis exiliſſimis effici, atque fingi ſtatuit.

Quartò, Illam denique Philoſophandi rationem non per unam atque alteram duntaxat provinciam: ſed per omnes ferè Nationes (quibus curæ fuit ſpeculatio Naturæ) diffuſam præminuiſſe; præcipuè tamen (ut credi ſolet) per Phœniciam, & per Ægyptum, atque per Idumæam & Arabiam: Nec unius tantùm ſeculi ſtudiis atque laudibus exornatam, ſed ab omni antiquitate cultam & celebratam fuiſſe. II. Quip-

II. Quippe quia plus quàm veriſimile eſt Noachum prorsùs eandem habuiſſe Dei Naturæque notionem, quam omnes antediluviani priùs tenebant : ejuſque filios atque nepotes, etiamſi per Colonias hâc & illâc ductas disjuncti fuerint ; haud attamen immutatione ſoli, tam diſſitos animorum ſenſus acquiſiviſſe, ut non per aliquot ætates idem de Deo, de Fabricatione mundi, naturæque principiis ſentirent ; communi velut opinionis, perindè ut ſanguinis affinitate, juncti, quàm diu firmiter hærerent ei doctrinæ, quâ pater Noachus (ille prædicator Juſtitiæ & Veritatis) ipſos imbuiſſet.

Adhûc inquam inter omnes omninò conveniebat de origine mundi. Condixerunt eadem principia ex quibus omnia deinceps fierent: Adeò ut qui primò operam ſuam rebus à natura genitis explicandis adhibuerunt,eandem omninò phyſiologiam olerent atque foverent, quam Semus & Aſſur in Phœniciâ & Aſſyriâ ; Chamus in Ægypto, & Arabia ; Japhetus autem, vel ejus filius Javan, in Græciâ docuiſſet.

III. At mihi Solicitiùs inquirenti quænam fuerit iſta naturalis ſapientia, in quam concurrebant olim filii Noæ, nulla unquam vendibilior eſt viſa, nulla verior atque vetuſtior explicatio naturæ, quàm quæ concretiones omnes in initio factas, omneſque deinceps generationes è corpuſculis exiliſſimis,aut (ut loquuntur) ex Atomis oriri docet.

Non tamen ex atomis verè ſic dictis (illæ etenim, quià ſuâ naturâ ſunt indiviſibiles,nihil efficerent: cùm quæ ſunt indiviſibilia, nullo modo ſe tangant; nec aliquid majus coitione ſuâ reddant; adeóq; ad corpora componenda,nè hilum quidem proficerent) ſed è minutiis mole ac figurâ diverſis,quæ quantulæcunq; fuerint,phyſicâ magnitudine non carent: At illa exilia corpuſcula à priſcis ſapientibus appellata fuerunt *Atomi*, quia licèt à natura ſua diviſibiles exiſtant, attamen, ob miram ſuam exilitatem, dividi à nobis haud poſſunt.

Hæc mihi videntur eſſe illa principia philoſophandi, quæ cuncti naturales Philoſophi ab antiquiſſimo tempore binis, ut aiunt, ulnis amplexati ſunt : Et quæ per multa ſecula deinceps ad intimiora Naturæ penetralia recludenda, tanquam claves, adhibuerunt. Hæc inquam (ſi canas atque reverendas haſce notiones repetitionibus inculcare liceat) omnes ubique Philoſophi, Ægyptii,

Ægyptii, Phœnices, Arabes, Hebræi, Syri, atque Indi Britannique, ſicut & Græci, uſque ad annum mundi 3560, aut circitèr, ſtudiis atque præconiis adornabant.

IV. Quanquam verò ſapientes antiquiſſimi (tam qui præceſſerunt diluvium quàm qui ſubſecuti ſunt) idem ſenſerunt de natura rerum, atque eadem fundamenta Philoſophandi poſuerunt; non tamen eadem nomina principiis ſuis affigebant. Alii namque rerum generandarum materiam inſigniebant *Aquarum* nomine; verùm alii rem ipſam ob materiæ in minutiſſima diſtinctionem, vocabant vel *Arenam* vel *Pulveres* vel *Particulas* vel *Atomos*.

V. Summus ille philoſophus Moſes omnem Coſmopœiæ materiam primò (conjugatâ voce) *Cælos & Terram*; deinde (ſimplici) *Terram* vocabat; mox ipſam ob profunditatem ſuam appellabat *Abyſſum*; & ſubindè (vocabulo *Multa* ſignificante) nominabat *Aquas*; inſigniens illud nomen dignitate Principii generalis.

VI. Quanquàm meritò ſuſpicari licet hanc vocem non primùm à Moſe ad mundi materiam notandam fuiſſe acceptam; ſed aliquot ante ſecula, forſitan & ante Abrahami tempora, Philoſophis in uſum veniſſe. Legimus enim (quod veterum quorundam teſtimoniis haud caret) Druidas in Europa, ſicut etiam Brachmannas in India (qui tum ob aliam, tum ob phyſicam ſuam ſapientiam fuerunt celeberrimi) ſemper exiſtimâſſe *Aquas eſſe rerum principia.*

Non deſunt eruditi quidam viri qui Brachmannas Patri Abrahamo tanquam doctrinæ filios referunt, eorumque philoſophiam tot ætatum canitie quaſi nitentem prædicant; at quod ad Druidarum ſapientiam, credo me probabilibus argumentis ante annos quadraginta & quinque jam præteritos, oſtendiſſe [a] illam ſe conſtitutionibus Abrahami, ſimul & exemplis, (ſaltem quoad ritus quoſdam, ſi non & quoad principia phyſica) debuiſſe.

[a] In Delph. Phœniciſſ. edit. Oxon. 1655.

Favet quidem ſententiæ noſtræ Druidarum magna vetuſtas, atque fama grandæva: quæ vivente ac vigente Iſaaco, Abrahami filio, latè per orbem vagari cœpit. Nam ſi credamus Aventini teſtimonio, in tempore Hermionis Germanorum Regis (qui regnabat, cùm nondum quadraginta annos natus eſſet Iſaacus) collegia Druidarum florebant.

Sin

Sin eâ ætate mundi vigeret Druidarum Philoſophia, certè quidem veriſimile eſt illos etiam tunc temporis eodem principio Phyſico, quo poſteà ſemper diſtincti fuerunt, innotuiſſe; ac idem, per eandem compellationem ſcilicet *aquam* (nam diverſam nulla ætas unquam memoravit) ab initio prædicâſſe: ut non abſurdum foret hìc inferre (nam conſequens eſt) quòd nomen *aquæ*, dum ſaltem viveret Abrahamus, (ſi non & longè priùs) in Scholas philoſophiæ ad notanda rerum principia, quæ *dicta* fuerunt *multa*, receptum fuerit.

Nec mihi valdè dubitandum eſſe videtur, quin vox *Aquæ* inter antiquiſſimos Hebræorum philoſophos (qui naturali ſcientiæ ſe dedebant) multùm eminuerit, tanquam inſignis nota principii ſui phyſici familiaritèr uſurpata: Noſtræ ſuſpicionis Author eſt Megaſthenes hiſtoricus in Indicis ſuis ( ) qui affirmat idem principium Philoſophiæ quod florebat in Græcia, viguiſſe antiquitùs in India inter Brachmannas, atque idem paritèr in Syria inter eos, qui dicuntur Judæi: Quocirca cùm vetus illud dictatum phyſicum *Aquam eſſe mundi conditi principium*, Græcis olim fuerit celeberrimum; neceſſe eſt, ut, ſecundùm hiſtoriæ traditionem Hebræis etiam (Megaſthene tradente) ſicut & Brachmannis eadem doctrina pridem conſtaret. Quia minimè credibile eſt ut inter ea documenta ſapientiæ phyſicæ, quæ Megaſtthenes ait priùs inter Brachmannas & Judæos, quàm inter Græcos efflоruiſſe, primum atque præcipuum illud θεώρημα Phyſicum, ſcilicet eorum principium, quod dictum fuit *Aqua*, non intellectum ſit.

Nec concipiendum eſt priſcos illos aut Hebrææ nationis, aut vicinarum gentium ſapientes ad ortum rerum publicè proferendum adhibuiſſe vocem *Aquæ* duntaxat (quæ primæ rerum materiæ metaphorica eſt, & obſcura ſignificatio) ſed & frequentèr aliquod planius & expreſſius vocabulum: nimirum vel *pulveres* vel *arenam* vel *corpuſcula* vel *particulas*: quæ rem ipſam propriùs & apertiùs indicarent.

VII. Inter Græcos quidam Thales (qui fuit caput Ionicorum Philoſophorum; & quem Græcia, præter Linum & Muſæum reputat antiquiſſimum) *Aquam eſſe originem mundi conditi* ſtatuebat; nec alio unquam nomine (quantùm ſcitur) tanquam principii ſui naturalis indice Philoſophatus eſt. Et veriſimile eſt materiam primam ſemper à Thalete ſic appellatam fuiſſe, quia

Thales

Thales ipſam à vetuſtiſſimis & celeberrimis Philoſophis Druidibus, Brachmannis, Phœniciis, & Hebræis ità nuncupatam receperat; immò & eandem forſitan è ſcriptis Moſaicis extraxerat.

Quippe notum eſt Thaletem non ſolùm inter Ægyptios & Phœnicas, ſed & apud Babylonios aliquandiu verſatum fuiſſe: itemque memoriæ traditum eſt, quòd Moſaica ſcripta in tanto honore apud Babylonios exſtiterint aliquandò, ut illa ex Hebræâ linguâ in Chaldaicam verti curarent (idque longè priùs quàm ſeptuaginta interpretes ſuam tranſlationem fecerant) Illa autem verſio traditur effecta circa Olympiada quinquageſimam, quæ erat Thaletis ætas; adeò ut ille doctrinas Moſaicas, ſi non ab Ægyptiis, aut à Phœnicibus, certè à Babyloniis intelligere, vel à Scriptis Moſaicis tunc Chaldaicè redditis; atque exinde rerum omnium origines *Aquis* aſcribere poterit.

VIII. Porrò ſicut Thales exemplo Moſaico principium ſuum phyſicum vocabat *aquam*; ſic Pherecydes Syrus ejus coætaneus, id ipſum dixit *Terram*, ductus etiam (prout opinor) authoritate ſublimis iſtius philoſophi Moſis; qui cùm generationum omnium materiam primò vocâſſet *Cœlos* & *Terram*; mox (unicâ voce) nuncupabat Terram: Hanc primam terram Pherecydes appellat χθονίαν, ut exprimeret illam indigeſtam confuſamque naturam, quam Moſes tradit fuiſſe *Tohu* & *Bohu*, rem ſcilicet *informem* & confuſam: Nam veteres Græci quod confuſum erat, horrendum & informe, χθόνιον dicebant. Adeò ut ſatis manifeſtum ſit, eam ipſam *Terram*, quæ Pherecydi fuit *Chthonia*, Moſi fuit *Tohu*, id eſt, *informe*, nempe rudis & confuſa corpuſculorum moles.

IX. Pythagoras autem, qui fuit etiam Thaletis diſcipulus, eandem materiam ſentiebat eſſe *minutas particulas*; ipſas namque vocabat *Monadas*, tanquam rem in particulas indiviſibiles ſimplicéſque diviſam: Hinc Ecphantus Pythagoricus (id atteſtante Stobæo) palam faſſus eſt. Τὰς Πυθαγοεικὰς Μονάδας εἶναι σωμαϛικὰς, *Pythagoricas monades eſſe corporeas.* Et Ariſtoteles aſſerit id ipſum dicens οὐδὲν διαφέρει λέγειν Μωνάδας, ἢ σωμάτια μικρά, (id eſt) *nihil intereſt, an Monedas dicamus, an minuta corpuſcula.*

X. Anaxi-

X. Anaximander id ipſum principium Naturæ, quod Pythagoras atque Thales, mente ſua tenebat, etiamſi verbo diverſum tum à Thalete, (cujus auditor & ſucceſſor fuit) tum ab aliis omnibus, in ſchola ſua protulit. Quippe nomen *multitudinis* quam Moſes, quamque Thales, per *Aquas* intellexiſſe videtur; Anaximander haud adæquatam rei cenſebat: hanc etenim *Univerſam eſſe atque infinitam* judicabat; *multam* ergo dixiſſe parùm aut nihil putabat. Nam degener ( ) iſte Thaletis diſcipulus *Mentem* eſſe in mundo non credebat: mundi verò materiam putabat *infinitam*. Miſſo igitur *Aquarum* nomine τὸ Ἄπειρον *infinitum* inducebat: eâ tamen voce notans eandem materiam, quam poſuit Thales (quamque poſt illum, promovit Anaxagoras) nempe minutiſſima corpuſcula: Quæ Syri & Ægyptii per ejuſmodi vocabula ſignificabant, quæ Græcus interpres ad imitationem ſoni reddebut ὕλω. Undè & Scriptores Græci dicunt ὕλω & Syris & Ægptiis eſſe *materiam primam*. Quin & Arabes atque Phœnices, aliarumque Gentium philoſophi (niſi qui prorſus ad exemplum philoſophi noſtri Moſis utebantur *Aquæ* aut *Terræ* vocabulo) ad principium ſuum phyſicum denotandum adhibebant eam vocem, quæ ſignificabat exilia corpuſcula; ſimilemque ſonum à pronuntiantibus edebat qualem ὕλη Græcorum profert.

XI. Adeò ut Ariſtoteles etiamſi rejiceret veterem philoſophiam vocem tamen, quæ fuit *Index* veteris philoſophiæ, ſcilicet ὕλω, retinebat, eò quòd illam ſatis idoneam, communitérque receptam atque decantatam vidiſſet: verùm autem (vel quia neſciebat iſtius vocis originem atque verum ſenſum, vel priſcam veritatem rei celare deſiderabat) novo eam ſenſu induebat, ut propriis ſuis notionibus quaſi mancipatam ſubjiceret; talemque neſcio quam, materiam prædicaret, quæ nec quid, nec quale, nec quantum (id eſt, reverà nihil) ſignificabat.

XII. Non dubitandum eſt quin Anaximander, ut omnes ante ipſum, per τὸ ὕλω, i. e. *hylen* intellexerint *exiliſſima corpuſcula*: quorum tamen immenſum numerum cum priores philoſophi *Multa* [b] vocâſſent: Anaximander ob pravitatem mentis ſuæ; potiùs *infinitum* dici voluit. Unde fieret, ut cùm Anaxagoras hunc immenſum numerum particularum, ex quibus omnia conſtant, aliquoties indefinito communique ſenſu dixerit *Infinitum*,

[b] Platonis teſtimonio in Philebo.

nonnulli etiam Anaxagoræ, non minùs quàm Anaximandro, τὸ Ἄπειρον attribuerunt; ſed iniquiſſimè.

Nam certum eſt Anaxagoram vehementer ſe oppoſuiſſe opinioni *de Nullitate Dei*, atque *de infinitate* materiæ, quam ſuſtinuit Anaximander; quem omnes Ionici Philoſophi per annos pluſquam quadraginta ſequebantur: donec Anaxagoras, (qui τῲ ὕλῳ, *hylen rem cœcam*, atque *brutam* eſſe, & ad ornatum atque, ordinem mundi conficiendum prorsùs inhabilem cenſebat) Τὸν Νοῦν, id eſt, *mentem* nempe *divinam*, ſimiliter ac Thales antea, pro efficiente principio ſtatuendam judicaret.

XIII. Verùm Anaxagoras ad inſigniendam materiam primam, non *Aquæ* nomine (ſatis obſcuro tralatitioque vocabulo) quo Thales utebatur: at explicatiori planiorique per quod modus & ratio materiæ meliùs innoteſceret. Quale ſibi deligerunt Phyſici omnes ferè, qui in iſtis ſeculis eminuerunt, ut materiæ primæ diviſionem in minutiſſima corpuſcula denotarent; ſic eandem materiam Heraclitus appellat ψέγματα ἐλαχιστὰ, id eſt, *ramenta minutiſſima*. Empedocles autem Θραύσματα, id eſt, *fragmenta*. Aſclepiades Ὄγκους, id eſt, *moleculas*: Xenocrates μεγαθῆ ἀδιαιρέτα, id eſt, *magnitudines indiviſibiles*: alii, ad quos refert nos Ariſtoteles, σχήματα, id eſt, *figuras*: quæ cùm rem ipſam magis apertè ſignatéque proferant, quàm Thaletis Ὕδωρ, id eſt, *Aqua*, multò magis auditoribus arridebant.

XIV. Hinc Anaxagoras, ut non minùs clarè ſe diſcipulis ſuis expanderet, & aliquid explicatiùs etiam de natura rei, quàm priores, indigitaret, ſeque diſtingueret; inducebat in ſcholam ſuam τῲ ὁμοιομερείαν, id eſt, *partium ſimilitudinem*: Per quam non ſolùm docuit rerum omnium materiam, eſſe *corpuſcula*: ſed illa inſuper exiſtere ὁμοιομερῆ, id eſt, *ſimilia inter ſe*; non quòd exiſtimaret omnia corpuſcula in ſtatu ſuo chaotico ſimilia fuiſſe; vel formas & qualitates rerum omnium inter ſe continuiſſe: ità ut res calidas, ex calidis Atomis; virides, è viridibus; oſſa, ex oſſeis; caro, è carneis; aurum, ex aureis atomis ortum fuerit (prout Ariſtoteles iniquiſſimè rem refert, ut obtrectaret egregii illius philoſophi ſententiam) ſed quia primam atomorum concretionem, quam, ante elementa facta, ſuppoſuit, è ſimilibus eſſe conflatam cenſuit: Quippe cùm conciperet (perindè ut alii Atomici philoſophari ſolent) in chao (vel, ut Hebræi loquuntur,

tur, in Abyſſo) particulas variis & magnitudinibus & figuris præditas extitiſſe ; conſentaneum rationi quoque judicabat, ut, quàm primùm ingens illa corpuſculorum moles à *divina mente* commotâ, atque variis occurſationibus agitata fuerit, particulæ ſimiles cum ſui ſimilibus aptè coirent, ita ut hæ particulæ terreas ; illæ,aqueas ; aliæ igneas ; aereaſve conſtituerent ; ex quibus poſteà per generalem ſecretionem cuncta elementa, cunctæque rerum ſpecies fierent.

XV. Tandem verò Empedocles, & Leucippus atque Democritus (ne ſuis auditoribus *apponere cramben recoctam*, prout eſt in proverbio, dicerentur) appellatione mutatâ, ſtatuebant rerum materiam eſſe ἄτόμους, id eſt, *res inſecabiles*. Nam è Græcorum philoſophis hi primi vocabulum illud in Scholis ſuis uſurparunt. Quod fertur de *Atomis* à Moſcho, Sidonio quodam philoſopho, longè ante belli Trojani tempora tractatis; id non hiſtorici vocabulum fuit, ſed Græci interpretis ; qui multò poſt Democritum vixit ; & verbum Phœnicium, quod notabat *corpuſcula minutiſſima*, ob ſimilitudinem ſoni ſic vertebat.

XVI. Alia adhuc exſtiterunt vocabula, vel dictiones, quibus alii philoſophi (quamvis in ipſa materiâ *non variari inter ipſos videatur*) *ſe diſtinxerunt*. At non opus eſt omnia particulatim recenſere. Unam tamen inſignem notationem minimè prætereundam cenſeo. Quam Plato affirmat à *vetuſtiſſimis ac optimis*, *Diiſque proximis* philoſophis uſitatam fuiſſe ; nempe τὰ Πολλὰ, id eſt, *Multa :* traditque ſapientes antiquiſſimos exiſtimâſſe res omnes in initio factas fuiſſe ἐξ Ἑνὸς καὶ Πολλῶν, id eſt, *ex uno & multis :* per *unum* notans *Deum* Mundi conditorem ; per *multa* verò ſignificans *immenſam particularum multitudinem*, quæ fuit prima omnium rerum materia.

XVII. Et Pythagoras etiam, traditiones aut memorias antiquas ſecutus, materiæ primæ corpora minutiſſima vocat *multa, vide cap. quintum paulò ante finem.* Ut non dubitandum ſit, quin veteres iſti ſapientes per illud vocabulum ſignificarent illam ipſam materiam, quam Moſes ob *Multitudinem* particularum ſuarum vocat *aquas* ; & quam alii ob ipſarum *exilitatem* ὕλην, id eſt, *hylen* appellabant : ita namque ſonabant illæ voces, per quas variæ gentes hanc rem efferunt ; alioquin illud vocabulum, quo Syri & Arabes & Ægyptii nuncupant primam omnium materiam,

Græcus interpres haud reddidiſſet Ὑλω: Sicutì nec illud vocabulum Ὑλωω appellaſſent, quo materiale ſuum principium Phœnices indicant; harum quippè gentium philoſophi, ſimili planè vocabulo, prima rerum principia denotabant; eodemque vocabulo ſignificabant *exiliſſima corpora*; de quo poſthàc plura.

XVIII. Cùm verò Plato per antiqua monumenta (ſive fuerint Hebraica ſive Phœnicia) didiciſſet materiam primam τὰ Πολλὰ dictam fuiſſe *à vetuſtiſſimis atque Diis proximis* philoſophis: & pluſquam veriſimile ſit illos Deos fuiſſe *Semum*, *Chamum* atque *Japhetum*: Mihi videtur liquere, quòd hæc Atomica ſive corpuſcularis doctrina ſit ea philoſophia, quæ conſtantèr ferè, magis aut minùs, (ex eo tempore quo Japhetus, aut ejus filius Javan in illam terram, quæ poſteà dicta fuit Græcia, colonias duxiſſet, ibique diſciplinas veteres atque veras diſſeminâſſet) phyſicorum penè omnium mentes, & amplexus obtinuerat, donec Ariſtoteles (ut cum Clemente Alexandrino loquar) αἵρεσιν Περιπατετικὴν, id eſt, *Peripateticam hæreſim* de cerebro ſuo prompſerat; utpote qui repudiatâ *veteri* philoſophiâ *novam*, quam ſibi finxerat, tamproſperè venditârat, ut illam citiùs in omnes ubique gentes ferè diffunderet.

XIX. Quæ, cum Judæi ſitientèr eam deglutirent, ſic illos inebriabat, ſic occupabat eorum ſenſus, judiciorumque palata ſic afficiebat, ut nihil olfacerent, nihil omninò ſaperent, niſi quod oleret ex Lycæo, vel Ariſtotelis guſtum haberet: Videntur, illi quidem diu ante ætatem Ariſtotelis omnes ferè notiones phyſicas oblivioni tradidiſſe; toti pœnè ceremoniis addicti; devotique religionis officiis, ob quæ claruerunt, theologiæ doctrinâ celeberrimi.

Hos eâ re viſebat Ariſtoteles, & (ut fertur) ad pedes Simeonis juſti, de ſuggeſto docentis, ſedebat. Hunc Simeonem reſpexiſſe videtur Clearchus Peripateticus [c] qui magiſtrum ſuum Ariſtotelem inducit referentem, quòd verſatus fuerit aliquando cum docto atq; reverendo Judæo, cum quo multa de theologicis erat collocutus: & quòd per illius Judæi præcepta ac theoremata multò rectiùs, quàm anteà, de Deo atque divinis intellexerat.

[c] in l. 1. de Somno.

Veriſimile eſt Ariſtotelem tunc temporis etiam multùm fuiſſe cum aliis Judæis doctioribus: & prout ipſe eorum theologiam priùs imbibiſſet, illis ingeſſiſſe philoſophiam ſuam, quam citò atque avidè recipiebant. Atque ipſam poſteà multi Chriſtiani doctores (ut obſervavit eruditiſſimus Hugo Grotius) περιπετῶς exci-

excipiebant & inſequebantur. Illa autem philoſophia cùm toto genere diſtaret ab illa, ad quam Moſes, dum ſcripſit Univerſæ Generationis hiſtoriam, ſe compoſuerat; brevi tempore Judæos omnes (ut & poſteà non paucos Chriſtinos) philoſophiæ Moſaicæ penitus ignaros efficiebat; ità ut ejus *Geneſin* καὶ τὸ ῥητὸν intelligere nequaquam poterant.

XX. Cùm verò dixerim corpuſcularem philoſophiam ab ipſo Noa uſque ad Ariſtotelem perſtitiſſe; non ita intelligendus ſum, ac ſi crederem vel hanc, vel aliam quamcunque philoſophandi rationem, continuo ductu temporis in omnibus illis regionibus, in quas migrâſſent nepotes Noæ, ab hujus ad illius ætatem permanſiſſe; cùm certum ſit multas ex illis coloniis, quas Noachidæ per terræ diviſiones ſinguli duxiſſent, tandem aliquandò maximis ignorantiæ tenebris obſeſſas fuiſſe: Et ſpeciatim conſtet prolem Javanis, ita poſt aliquot ætates in mollitiem atque luxuriam cunctaſque voluptates effuſam; vel diſſidiis, atque bellis diſtractam; vel commentationi poëticæ levitèr addictam fuiſſe, (nàm Græci longè ante Homerum fuerunt μεσοπάταγοι, id eſt, *clamoſi recitatores carminum*) ita ut gravis iſta, & quæ cum natura congruit ſcientia, nec non ipſa cognitio doctrinarum, quas Javan & ejus filii præceperant, ex animis omnium pœnitùs exciderat. Undè evenit, ut per nonnulla ſecula, nec uſus literarum fuerit in Græcia, nec ullæ literæ, donec Cadmus è patria ſua Phœnice denuò literas (priſcarum Hebræarum non diſſimiles) in Græciam detuliſſet: Multò minùs aliquid antiquæ veræque philoſophiæ ſpiraret inter indigenas iſtius ſoli; donec inter illos exorta fuerit curioſior ea progenies hominum (quibus magnum ſcientiæ deſiderium ſagax & φιλοθέωρος indoles excitârat) qui ſibi neceſſarium eſſe reputabant, è longinquo proſpicere; & peregrè veſtigatum ire ſolidas ac ſapientes iſtas notitias, quas domi obtinere nequaquàm poterant.

Hinc illa celeberrima nomina, Linus, Muſæus, Heſiodus, Homerus, Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Empedocles, Leucippus, & (ut alios omittam) Democritus in Syriam Phœniciam atque in Ægyptum migrabant; ubi per Sacerdotes (qui ſoli tunc temporis omnis ferè Sapientiæ cuſtodes erant) in mundi geniti naturæque myſteriis inſtructi fuerunt; indéque (tanquam apes ex Hybla vel Hymetto redeuntes) in Græciam reportabant *crura thymo*

thymo plena; varia nempe ſcientiarum genera; ſed ſpeciatim veterem hanc phyſicam, quam Græcia diu perdiderat: illam nimirùm, quæ per *minutiſſima corpora*, in formas atque figuras omnes, Dei digito quaſi facta ac detornata, cunctas univerſæ naturæ vias atque vires explicat.

Hanc autem phyſicam veteres Græci vocabant Ionicam, vel (quoniam Ἴονες etiam dicti fuerunt Ἰάονες) *Jaonicam*, ſcilicet à *Javane* priùs illatam. Atque idcircò rebar mihi operæ pretium forè, priſcæ iſtius Philoſophiæ redditum in Græciam, levi ſaltem calamo tangere, ut veriſimili conjecturâ pateat, hujuſce phyſicæ principia eſſe antiquiſſima; dictoſque philoſophos ejus notitiam recuperâſſe, non ſolùm ab Ægyptiis, aut à Phœnicibus, & Syris, at etiam ab Hebræis; itinere, prece, & ſtudio. Quippe notum eſt eruditis, quòd veteres Hebræi ſæpiùs à Græcis ſcriptoribus appellati fuerint Ægyptii, frequenter etiam Phœnices, aut Syri: ſicut etiam Judæa ab his nonnunquam Phœnicia; ab aliis aliquando Syria dicta ſit. Ita ut quod Græci reverà ab Hebræis dediciſſent, haud rarò dicantur vel à Syris, vel à Phœnicibus, vel ab Ægyptiis accepiſſe. In argumentum trahatur Pythagoras: qui quanquàm perhibeatur multa didiciſſe in Phœnicia, multiſque Syriæ locis: illarumque gentium ſacris initiatum fuiſſe: [d] liquet attamen illum ab Hebræis, qui tunc ibidem degebant, inſtitutum fuiſſe, cùm doctus ille philoſophus Syrius, Jamblichus, aſſertione ſua nos certos faciat, quòd iſti Sacerdotes atque prophetæ, cum quibus eò locorum verſatus eſt Pythagoras, fuerint de *Moſcho Phyſiologo prognati, vel coloniæ de ſacris Ægypti deductæ*; *vel ſaltem liberi ex illis orti*: Quod quidem niſi de Iſraëliticis Hebræis, ac de Moſe, intelligi nullo modo poteſt: quorum filii (maximè qui erant Sacerdotes) comitèr excipiebant Pythagoram, tunc ſummæ ſpei, atque indolis certè mirandæ juvenem; cum quo libenter omnia ſcitu digna communicabant, & inter cætera (quod veriſimillimum eſſe reor) *corpuſcularem doctrinam*.

[d] Vid. Jamblic. vita Pythag.

Quamvis enim Pythagoras fuerit princeps *Italicæ* philoſophiæ; diſcipulus attamen *Ionicæ* priùs audiiſſet, atque omnia de corpuſculis oriri, non ſecus ac omnes Ionici philolophi, poſtea docuit. Quam quidem opinionem exiſtimo illum de Sacerdotibus atque Prophetis antea dictis hauſiſſe; tum quoniam ſola

tunc

tunc floreret iſtiuſmodi Philoſophia; tum quoniam Jamblichus eandem (licèt obſcuriùs) indicâſſe videatur, quando affirmat, eos eſſe de genere Moſchi phyſiologi (quem ferunt [e] Atomicæ philoſophiæ patronum fuiſſe; atque ipſum fuiſſe eundem cum Moſe per hiſtoriæ ſuædeſcriptionem planè ſignificat; prout Seldenus, Arcerius, aliique viri doctiſſimi ſentiunt.

[e] v. Strab. l. 14.

Et quamvis Jamblichus non recenſeat *Hebræos* inter eos, ad quos adibat Pythagoras ad diſcendæ Philoſophiæ cauſâ, vix dubitandum eſt attamen, quin illos non ſolummodò viſitârit, ſed & cum illis aliquandiù familiariter vixerit; & ab illis philoſophiam perceperit; cùm Porphyrius (qui & ortu Phœnicius fuit) affirmet illum adiiſſe πρὸς Αἰγυπτίους, καὶ πρὸς Ἄραβας, καὶ Χαλδαίους, καὶ Ἑβραίους, *ad Ægyptios & Arabas & Chaldæos & Hebræos*, ut veriſimile ſit, Jamblicum per Phœnices & Syros (quos Porphyrius non memorat) intellexiſſe *Hebræos*, qui communiter à Scriptoribus, aut Syri vel Phœnices appellâri ſolent.

XXI. Verùm enim verò ſive Moſes idem fuerit qui Moſchus ille, ſive non, pluſquam veriſimile eſt eandem Philoſophandi rationem Phœnicibus, Syris, Ægpytiis, Idumæis, Arabibus, & Hebræis extitiſſe; ipſamque porrò corpuſcularem fuiſſe; quod non de illis ſolummodò temporibus, in quibus hæc ſcripſit Moſes; ſed etiam de vetuſtioribus intelligi rectè poteſt. Idem verò philoſophiæ genus antiquitùs ab omnibus approbatum, & communiter uſitatum fuiſſe ſatis apparet ex eo, quòd omnes primam rerum materiam, ſimili vocabulo rem eandem notante ſignabant: Nam ſi Græcos interpretes adhibeamus, Ægyptii Syrique, ſimiliter ac ipſi Græci, primam rerum naturalium materiam vocabant Ὕλην, *Hylen*; ipſamque Phœnices appellabant Ἴλην, *Ilun*: quod quidem (prout opinor) rem eandem, ſimul & vocem, præ ſe fert. Non quòd vox Ἴλυς fuit vernacula Phœnicibus; aut Ὕλη ſit Ægyptiaca vel Syra: ſed quòd utrumque vocabulum à Græcis imitando voces eas, quibus dictæ Gentes ſolent primam materiam notare, fictum ſit; & ad normam atque mollitiem linguæ ſuæ detornatum.

Quæcunque verò fuerint iſta vocabula, quibus Ægyptii, Phænices atque Syri materiam primam notabant, ortu ſuo, (prout mihi videtur) Hebræa fuerunt; *tum* quoniam ſolent artis vocabula referri ad eam gentem, cui ipſa ſcientia debetur; (& vix dubi-

dubitandum eſt, quin Hebræi philoſophi, qui primi coſmologiam docebant, etiam τεχνικὸν illud verbum, quo decantata materia prima ſolet noncupari, primò conciperent & propagarent; illud enim gens quæque diſcipula quàm citò recipiebat, & pro dialecto ſua proprium ſibi reddebat) *tum* quoniam ipſa verba, quæ transferendo nobis exhibuit Græcus interpres, ὕλη ſcilicet & ἴλυς, Hebræam linguam redolent; ut & Arabicam (quæ eſt Hebrææ filia vel dialectus) planè referunt.

XXIII. Hic meritò quis interroget, quænam ſit, obſecro, vox illa Hebraica, ad quam tanquam ad originalem indicem materiæ primæ, dicta vicinarum gentium vocabula ſe referant, eamque tanquam matrem ſimulent? Nihil ſanè in tota hiſtoria creationis occurrit, ad quod reduci poſſunt; nec inter omnes hagiographos inveniatur ulla vox, quæ ſimilem notationem præ ſe ferat.

Reſp. Moſes, equidem ſcio, primam illam materiam, ex qua formata fuerunt omnia ſignificavit, *vel* per *dictionem*, nempe *cælos & terram*, verba junctim ſumpta; atque ἰσοδύναμα: *vel* per verbum unum ſcilicèt *aquas*, aut *abyſſum*, quæ rem eandem, ſed diverſo reſpectu, notant: ab illis autem verbis manifeſtum eſt, nec Ægyptiorum vel Syrorum ὕλω neque *Phœnicum* ἴλαω ullo modo derivari potuiſſe: quærendum eſt igitur, an aliud apud Hebræos extet verbum (quod ad eandem materiam applicari poſſit) cui dicta vocabula ſuam originem referant?

Sed notandum eſt, verba nonnulla Philoſophis Hebræis olim in uſu fuiſſe à quibus ſacri Scriptores omninò ſe abſtinebant; eò quòd in populi gratiam præcipuè ſcripſerunt: Hinc evenit, ut plurimæ voces Hebrææ (vel à mixtione populorum, vel à frequenti ſervitute, vel à ſoli ſcientiæve mutatione) penitùs amiſſæ fuerint: illis ſolis ferè ſervatis, quæ in ſacro codice, tanquam in arca, religioſiſſimè cuſtoditæ erant: Et ut nonnullæ (quanquam permaneant adhuc) aliquid utcunque ſuæ notationis atque ſenſus, per deſuetudinem perderent; inter quas fortè numeranda ſit ea vox, quam Hebræi philoſophi ab initio ſibi formârant, atque tam diu ad primam materiam, materiæque diſpertitum modum ſignatiſſimè demonſtrandum vocare ſolebant, quamdiu inter Hebræos vigeret iſta phyſica, quæ per *Atomos* aut *minutiſſima corpora* res omnes conflabat.

Sed

Sed facilè concipiamus illi populo, qui in occupanda, colenda, recuperandaque terra ſua pro virili ſemper occupatus; atque frequenti ſervitute inductâ turbatus divulſuſque fuit, non diu curæ fuiſſe rerum naturalium contemplationem, adeóque τεχνικὰ illa verba, quæ ad phyſicam ſolummodo pertinerent, funditùs oblivioni tradita, citò periiſſe.

XXIII. Et certum eſt veterem Phyſicam apud Hebræos exoletam fuiſſe longè priùs, quàm oriretur Ariſtotelica doctrina; atque ipſos Hebræos tandem, cum floreret iſta philoſophia, ſimul cum quidditatibus & hæcceitatibus Ariſtotelis (quas brevi tempore, & uſquequaque recipiebant) ejus etiam inſigne illud indicium principii phyſici, nempe ὕλω, id eſt, *Hylen* penitùs imbibiſſe: novo tamen ſenſu (quem ad eam Græcus ille Philoſophus affixiſſet) donatam; ita ut vocis iſtius originalem atque propriam ſignificationem non cognoſcerent, quanquàm ab Hebræâ voce deducta ſit, ut mox probabiliter appareat.

Quæ cauſa fuit, cur Hebraici Doctores, qui jam nullam philoſophiam præter Ariſtotelicam ſapiebant, Moſis hiſtoriam de generatione rerum omnium non caperent; (quippe quæ Peripateticè comprehendi ſcirique noluit) ipſamque propterea perabſurdam, ac omni ratione vacuam cenſebant, uti Maimonides; vel per obſcuram & allegoricam, prout Philo-Judæus: Non tamen hi literati viri tam gravem de illa narratione tamque iniquam cenſuram tuliſſent, niſi genuinam vim verbi iſtius præcipui, ſcilicet יצר, dicti; veramque phyſicam per illud fundandam prorsùs ignorâſſent.

Nam quamvis ex vox יצר Græco vultu & habitu ſit induta, verumtamen nativitate ſuâ, vel Phœnicium, vel Ægyptiacum, Syriacumve genus (ut obſervatum eſt anteà) ſibi vendicat: Quippe tum Phœnices tum Ægyptii, ſicut etiam Syri, primam materiam tali ſono verboque proferebant, quale Græci (pro genio ſuæ dialecti) ad hunc modum ſimulabant. Nec illæ tantùm, ſed & aliæ ſaltem gentes vicinæ, à primis temporibus, eôdem ferè vocabulo principia ſua phyſica denotabant; artis vocabulum ſumentes ab illis, à quibus ipſam artem didicerant.

XXIV. Veriſimile eſt eam nationem, cui prædictæ Gentes ſuas ſcientias, phyſicæ ſpeciatim notiones, acceptas referunt, eſſe Hebræam. Nam qui rectè ſecum omnia reputant, & ſcholarum

Semi atque Heberi (quas multùm prædicat antiquitas) rationem habent: Nec non Abrahami (cujus in hominibus erudiendis aſſiduitas & diligentia fidelis ab ipſo Deo celebratur) diſciplinam mente ſua recolunt, facilè credant Hebræos omnium primos ſcientiarum (Theologiæ præſertim atque Phyſicæ) magiſtros exſtitiſſe; adeóque maximè conſentaneum eſſe, ut illud inſigne verbum, quod antiquiſſimi philoſophi pro nominando ſuo principio phyſico deligebant; & quod aliarum gentium phyſici per imitationem ſibi recepiſſe videntur, etiam ſit *Hebræum.*

Quodnam verò ſit illud verbum, quanquàm nemo fortè claris aſſerit argumentis, nihilominùs ipſam veriſimilitudinem ſequi videantur, qui conjecturâ ſuâ feruntur in Hebræam vocem חול *bhiul*, quæ *arenam* ſignificat, Hoc verbum quoque Phœnicium eſt, quo principium rerum omnium nuncupare ſolent gentis iſtius Phyſici; quod cum Græcus interpres (pro modo ſuo voces alienas ad ſuam linguam formandi) reddit ὑλαω, non exiguam quidem meæ ſuſpicionis anſam præbuit: Quæ non ſine magna ratione (cum perparùm ab invicem diſtabat Hebræorum & Phœnicum ſermo) dici atque affirmari poſſit: Phœnicium illud verbum, ex quo Philo Sanchoniathonis explicator ὑλαω fingebat, חול *bhiul* quoque nuncupatum fuiſſe.

Fidem quoque talia ſentienti mihi fecit Arabs, (cujus lingua eſt Hebrææ filia vel dialectus) qui rem ipſam non abſimili, tum ſignificationis tum ſoni, vocabulo, nominat هيولي *hiule* quod ſanè quoad ejus ſonum, eſt ipſiſſimum Græcorum ὕλη; eò etenim nomine Gentis iſtius Philoſophi notabant primam rerum omnium materiam.

Hiſce benè ſpectatis atque perpenſis, optimè concipiamus, ex quo fonte primùm Phœnices, Ægyptii, Syri, Arabes, & antiquiſſimi Græci quoque ſuam hauriebant Phyſicam; & quidnam rei putabant id eſſe, ex quo tanquam è ſuo principio, cunctæ res naturáles fierent, *Rem* nempe *diviſam* atq; *minutam*: id quod ſatis apertè per *arenæ* vocem deſignatam volebant, Hebræorum etenim *bhiul* eſt *arena* & Arabum هيولي *hiule* vel هيول *hiul* eſt *materia prima*, ſimul & *arena*, ab هال *hala* quod eſt *arenam profundere*

fundere, undè, هال *halon* eſt *arena profuſa:* Ut videantur Arabes eo vocabulo, non *exilitatem* materiæ ſolummodò, ſed *fluiditatem* quoque notâſſe, & eam ipſam doctrinam præ ſe tuliſſe, quam Moſes ipſe in opere primi diei per *aquarum* nomen indigitat: nimirùm immenſam puſilliſſimarum commotarumque particularum multitudinem; quæ quia circa ſuum quæque centrum volvebantur, *aquæ fluiditatem* atque *naturam* repræſentabant.

Nec addubitandum eſt, quin celebre illud vocabulum ים, quod Græcorum fuit, & per interpretationem *Syris* & Ægyptiis attribuitur, idem ab initio ſignificaret; nempe *minutiſſimum quid* adinſtar *arenæ* diſpertitum. Quod attinet priſcos ſapientes in Ægypto, ſatis apparet materiam primam ab ipſis dictam fuiſſe *arenam*, quia vetuſtiſſimus ille philoſophus, Ægyptiacorum omnium Coryphæus, *Taautus* (quem Græci vocant Hermetem) diſertè affirmat omnia fieri ἐκ τῆς ἀμμάδος, *ex arena*; ſcilicet è diverſa multitudine particularum minutiſſimarum, quas affimulet *arenæ*. Quale quid etiam notat vox ea, per quam materiam primam communiter indicabant Ægyptii, quam Græcus interpres reddit ὕλη.

Scio quòd aliquando Phyſici Ægyptii rerum omnium materiam communiter appellabant *Aquam*, quod an fecerint ad Moſis exemplum; an potiùs in aſſenſum vetuſtiſſimorum philoſophorum, qui longè priùs (ut probabile eſt) eodem nomine, tum per Orientem, tum per Occidentem, ſuam ordiebantur phyſicam, prorſus incertum eſt. Oportet autem, ut credamus Ægyptios uſque per *aquam*, dum rerum principium notabant, idem ſignificâſſe, quod gentes aliæ vicinæ per ὕλω indicabant, nempe *puſilliſſimarum commotarumque particularum multitudinem.*

XXV. Cæterùm licèt priſci Hebræi, tum vicinarum gentium phyſici, ad iſta exilia corpora, ex quibus omnia concreta fiunt, explicanda, ſæpiùs advocare ſolent *arenæ* vocabulum: frequenter attamen ob eam ipſam rem nomen *pulveris* adhibebant tum ſapientes Hebræi, tum alii: Utrumque certè vocabulum ad *multitudinem* exprimendam bellè convenit. Simul & utrumque, (propterea quòd ad compoſitiones omnes efficiendas immenſa corpuſculorum *multitudo* confluere ſolet) aptè rerum naturalium principia ſignificent. Hæc namque ob omni antiquitate dicta

fuiſſe τὰ Πολλὰ, id eſt, *Multa* tradit ſapientiſſimus ille fundator Academiæ, Plato, qui proùt ante illum Ariſtophanes, & alii, Ψαμμακόσια ad indicandam multitudinem adhibere ſolent. Et certum eſt, non Hebræos ſolummodò, ſed alias etiam nationes ante Moſaica tempora, ſolere *multitudinem* vocare *pulverem.* De quo ſatis liquet è verbis Bilhami, qui magnam Iſraelitici populi *multitudinem* nominat *pulverem Jacobi*, quando ait *Quis numerabit pulverem Jacobi? quis numerabit quartam partem* Jacobi [f]?

[f] Num. 23.10.

Nec minùs certum eſt, Hebræos, ut & alios etiam phyſicos antiquiſſimos, omnium rerum naturalium principia ſæpenumerò vocâſſe *pulverem*; atq; ex eo tum cœlos, tum terraqueum hunc orbem factos aſſeruiſſe. Hinc ſapiens ille propheta *Iſaias* prædicans omnipotentiam Dei, ferventiùs exclamat, *An non intelligitis è fundamentis terræ eum, qui inſidet globo terræ, cui habitatores ejus ſunt velut locuſtæ, ipſum eſſe, qui cœlos tanquam* pulverem *extendit* [g]? id eſt, qui mirificè raram atque lucidam hanc naturam, quam *cœlum* dicimus, *è minutiſſimo pulvere*, ſcilicet ex *immenſa particularum multitudine* confecit. Quippe nomen Hebræum Doq vel Dok (cui comparatur cœli materia,) *ſignificat pulverem minutiſſimam, qui vento raptante ſæpiùs in oculos mittitur; & tam tenuis eſt, ut non videatur, etiamſi ſentiatur*, teſte Hieronymo in locum.

[g] Iſa.40. 22.

Et quod attinet Terræ compoſitionem, ipſa ſapientia, proùt affirmat ſapiens ille Rex & Philoſophus Solomon [h], *proclamat ſe inunctam fuiſſe ante omnia Jehovæ opera, priuſquam fecerat terram, vel ejus principium*, nempe *pulveres* orbis habitabilis, qui erant *principium, ex quo* componeretur terra: Neque Cœlum & Terram ſolummodò, ſed & omnia animantia, è pulvere concreta docent ſacræ literæ: Quippè de pulvere terræ fictum eſſe genus humanum expreſsè tradit Moſes: & dictus ſapiens [i] declarat tum homines tum beſtias eſſe *ex pulvere, & reverti in ipſum pulverem. Simul ac ſpiritum ſuum aufert Dominus, omnia (tam aquatilia* quàm terreſtria) *in pulverem ſuum abeunt & evaneſcunt.* Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, omnia tandem corrumpi, & *in primam ſuam materiam reſolvi*, ſine qua reſolutione (quod omnes philoſophi tam Peripatetici quàm Atomici docent) nec interire quidpiam, neque generari ſolet.

[h] Prov.8. 26.

[i] Eccleſiaſtis 3. 20.

XXVI.

XXVI. *Object.* Non ſum neſcius quòd quæ jam dicta ſunt, redargui poſſint, dicendo, Scriptores ſacros affirmâſſe, quòd homo factus ſit de luto, ſive de limo terræ, ita interpretantes Moſem, ac ſi per pulverem terræ, non niſi terram ipſam concretam ac pinguem notari voluiſſet. Lutum verò, ſive pinguem argillam concreti cujuſvis eſſe materiam primam, nemo unquam ſentiit, niſi ſtipes fuerit, aut pingui (quod aiunt) Minervâ retuſus.

Reſp. Rectè quidem, ſed quamvis Argilla non poteſt dici *prima*, poteſt attamen appellari *proxima materia* hominis; quam omnes hagiographos, qui tanquam rhetores hominem de luto fictum pronuntiant, intelligere certum eſt. Moſes autem, qui res ab origine ſua repetit, & tanquam philoſophus, primam concretionis iſtius materiam ſpectat, ipſam vocat *pulverem terræ*, ſive particulas terreſtres. Quatenus ſimilium particularum terrearum coitione fierent; & è quibus unà cum particulis aqueis admixtis ac temperatis, Deus argillam compoſuit; & ex ea Adamum formavit.

Scitè ergò Septuaginta Interpretes aiunt Deum ſumpſiſſe χοῦν, id eſt, *terram humidam* ſive *lutum*, tanquam proximam hominis effingendi materiam. Moſes autem, remotiorem atque primam reſpiciens, Adamum *de pulvere terreo* fictum tradit.

Nam quanquam homines inhabitent domos argillaceas, attamen (ut eximius ille philoſophus & princeps Idumæus Eliphas [k] aſſeruit) *eorum fundamentum, ſive principium, eſt in pulvere:* ſcilicet in iſtis exilibus materiei minutiis, ex quibus omnes res terreſtres ortæ ſunt. [k] Job 4. 19.

Terreſtres dixi, qui res terreſtres ſuppoſui, non è ſimplicioribus Atomis immediatè conflatas fuiſſe, ſed ex illis proximè, quæ ad terreas concretiones efficiendas aptæ atque diſpoſitæ erant: has ego voco *ſecundarias*, concretionique proximiores. [l] Quam quidem diſtinctionem Moſes ipſe videtur indigitâſſe, cùm dixerit hominem non de pulvere ſimpliciter ita dicto, ſed de *pulvere terræ* (vel terreo) factum fuiſſe [m]. [l] Vid. cap. [m] Gen. 2. 7.

XXVII. Hîc etiam non abs re foret obſervare, quòd cùm varii Philoſophi varias res exiles ad iſtæc exigua rerum omnium principia deſcribenda (proùt Hermes, *arenas*; Moſchus; *Atomos*; Empedocles, *ramenta*; Archigenes *Moleculas*; alii verò *corpuſcula*,

corpuſcula, vel neſcio quæ *titivillitia*) philoſophantes adhibuerint, nemo tamen illa magis aptè congruentérque denominavit quàm *ſummus* ille philoſophus Moſes, qui eadem vocat *haphar*, id eſt, *pulverem tenuem.*

Nec minùs phyſicè locutus eſt Moſes, quando molem Abyſſinàm, ſive primam rerum omnium materiam, vocabat *Aquas*: Quippe *Aquarum* natura conſtat magnâ particularum commotarum *Multitudine*; quia non aliud, ut dixi requiritur ad *Aquæ ſpeciem* conficiendam, quàm ut multæ teretes atque rotundæ partaticulæ (ſive globuli) coirent, & circà ſuum quæque centrum volverentur. Atque idcirco Moſes (quod imprimis obſervandum eſt) haud priùs infinitum hunc atomorum, ſive particularum, numerum vocabat *aquas*, quàm Dei ſpiritus illas *agitâſſet*, illiſque ſuum motum *circacentralem* (ſi ita dicam) dediſſet.

At quòd Moſes per *aquas* in initio Geneſeos haud aliud intelligeret, quàm particularum multitudinem, quæ erat principium rerum omnium, pluribus argumentis alibi ( ) monſtratum eſt; & per illud nomen haud exiguam tum naturæ ipſius, tum populi ſui (tam plebis, quàm Sacerdotum, Seniorumque) rationem habuiſſe videatur. Nam pluſquam veriſimile eſt, quòd eo tempore, quo Moſes exarabat ſuam Geneſin (atque multò priùs) immenſus ille particularum numerus, è quibus omnia ſunt facta, per *multitudinem* vulgò deſignaretur: Certum eſt autem, quòd *Multitudo* rei cujuſque frequentiſſimè tam à populo Hebraico, quàm à Philoſophis iſtius gentis, *Aquarum* nomine ſignificata fuerit. [n] Quæ quidem notificatio rei primæ, quanquam metaphorica, tam generalis fuit, & per omnia ſecula ſæpiùs uſitata, Ut veteres, non Hebræi tantùm (propter quorum uſum, à ſacro Pſalmiſta (Pſalm 124. v. 4. *multitudo inimicorum* Iſraelis dicuntur *Aquæ*, quæ tanquam torrens ſuperâſſent Iſraelitas: Ut *ſuperbas iſtas aquas* interpretatur Chaldæus, eſſe *inimicum regem cum ſuo exercitu, quem marinis aquis exundantibus aſſimilat*) ſed & omnes hûc uſque Gentes ferè, quoties immenſum numerum voluerint exprimere, *aquas maris* dixerint.

[n] Pſal. 124. 4.

Ita ut quanquam multi iſtius ſeculi, ad indicandam rerum omnium materiam, vocabulo חול *hhiul*, id eſt, *arena* ſæpiùs uterentur, Moſes utcunque, Gentis ſuæ gratia, potiùs *Aquarum* nomen uſurpabat, quia vulgarius erat, ac magis notum.

XXVIII.

XXVIII. Eaque de causâ non inſcitè concipiamus illos phyſiologos, qui putant *Aquas*, primò ſic appellatas à Moſe, veras ac elementares aquas fuiſſe, & totam Terram ab illis in principio coopertam ſubſidiſſe, à mente philoſophi noſtri longiùs aberrare; atque ſenſum vetuſtiſſimorum quoque Philoſophorum (qui rerum omnium principium dixerunt *aquam*) minùs intellexiſſe. Quippe nec Moſes, qui rem benè callebat, aquas abyſſinas crederet eſſe diſtinctam naturam; nec alii phyſici (modò fuerint experti) ſentirent ſpeciem aquæ primum omnium extitiſſe principium; quià certâ experientiâ planè conſtat, *Aquam* omninò in *Terram* tum per Naturæ, tum per artis induſtriam verti poſſe: Verùm cuncti circumquaque philoſophi, Hebræi, Phœnices, Ægyptii, Syri, Græcique nec non Indici, judicabant rerum naturas in initio *ſimul* fuiſſe unâ mole penitiſſimè comprehenſas confuſaſque. Omnes attamen in eo conveniebant, ut ea confuſa corpuſcula, mundi ſemina propter rationes ° allatas, *Aquas* appellarent. Quo nomine prima rerum omnium principia ſignificabant apud Indos, Brachmanes; apud Celtas atque Britannos Druides; aut Semothei: qui in argumentum ſuæ ſententiæ ducebant ſummam antiquitatem:

° Vid. cap. 2. de opere primi diei & cap. de Aquis Chaoticis.

Nam cùm Druides (Aventini teſtimonio, de memoriis antiquis accepto) mox ab Abrahami tempore florerent, (vivente adhuc Hebero, ejuſque Scholâ etiam dum vigente) non potuerunt hi ſapientes, qui diligentes antiquæ veritatis indagatores, atque traditionum ſuarum valdè tenaces exſtiterunt; non potuerunt inquam, non vel per Noachi traditionem, vel per Heberi doctrinam, hoc ſuum principium phyſicum didiciſſe; cùm per antiqua, maximéque probata monumenta ſatis appareat, quòd à primis rerum divinarum naturaliumque doctoribus (ut putà Noachi filiis) id receptum fuit.

XXIX. Illi namque ſimili planè ratione, quâ rerum principia τὰ Πολλὰ, id eſt, *multa* dixerunt, ſimul & *Aquas* appellabant: quoniam iſta innumera corpuſcula (per quorum figuras varias ac ſitum poſitumque multiplicem, cunctas univerſi naturas in initio formatas crederent) ſimul atque per Dei ſpiritum mota fuerint, *Aquarum* ſpeciem repræſentabant.

Hæc

Hæc ea naturalis ſapientia eſt, in qua omnes Philoſophi poſt Noam (veriùs, ut exiſtimo, poſt Adamum) conveniebant, firméque per multa ſecula perſtabant: ſed quia tandem per ſequiora tempora penitùs exoleverat hæc philoſophia; nec non ex animis hominum memoriiſq; temporum penitùs evanuerat; ità ut ipſam poſteri communiter haud ante ætatem Democriti natam crederent; mea jam magni intereſt, ejus antiquitatem, atque inter ipſos etiam Patriarchas uſum & æſtimationem monſtrare: ſimul & (quò faciliùs in omnium animos influeret iſtius veritatis opinio) Platonis ac ipſius Ariſtotelis etiam teſtimonia producere.

XXX. Nam Plato affirmat quòd ſententiâ *priſcorum ſapientum* cuncta generata fuerint Ἐξ ἑνὸς, καὶ Πολλῶν *ex uno & multis*: per *Unum*, Deum notaus; per *Multa*, verò *particulas exiliſſimas*, vel *atomos*, quarum multa concurrunt ad rem quamlibet efficiendam, tanquam ejus prima materia. Aſſerit etiam priſcos illos ſapientes, è quibus fluxit inſignis ea philoſophia de *uno & multis*, longè meliores fuiſſe, quàm philoſophi ſuæ ætatis erant, & Diis proximiores: Quibus certè verbis apertè ſatis indigitat, filios atque nepotes *Semi*, *Chami*, atque *Japheti*, qui apud Gentes Dii fuerunt habiti. Nam Japhetum, *Neptunum*; Chamum, *Jovem*; Semum vero, *Plutonem* vocabant.

Horum ergo filii fuerunt iſti quos Ariſtoteles vocat Παμπαλαίους, i.e. *omnium vetuſtiſſimos*; qui per colonias ſuas in Ægyptum, Phœniciam, Aſſyriam, Arabiam atque in Græciam ductas, hanc ipſam doctrinam diſſeminâſſent: Quique meritò dicuntur à Platone ἐγγυτέρω θεῶν, id eſt, *propiùs à Diis* vixiſſe: atque ſuæ Doctrinæ ſummam vetuſtatis authoritatem tribuiſſe. *Nam quò propiùs*, ut ait Cicero, *aberant ob ortu, & à divina progenie, hoc meliùs veritatem* naturæ *cernebant.*

Nec minùs antiquitatis huic generi philoſophiæ conceſſit Ariſtoteles, (quod tamen ipſe reſpuit atque refellere conatur) qui primos ejus interpretes atq; doctores appellat Παμπαλαίους καὶ πρώτους θεολογήσαντας, id eſt, *vetuſtiſſimos & primos illos ſapientes, qui rerum divinarum ſimul & naturalium ſcientiam profitebantur* atque præcipiebant.

Hæc autem primæ veritatis indicia non tam à ſuis Græcis addiſcebat Plato vel Ariſtoteles; ac à Phœnicibus, aut ab Hebræis; ambo nempe cum Hebræis conſuetudinem habuerunt. Quamvis etenim

etenim Japheth, aut ejus filius Javan tum divinæ tum naturalis ſcientiæ radices ita plantâſſet in coloniis ſuis, ut Græcia (quod pluſquàm veriſimile eſt) hiſtoriam Mundi conditi, Creatoris opera magnifica, naturæque methodum atque modum, nec tardiùs neque parciùs, quàm ulla gens alia recepiſſet; veruntamen haud tam diu matutinas ſuas notitias retinebat. Idque *vel* quià brevi tempore voluptatibus atque luxuriei tam profundè dediti erant, ut patrum ſuorum traditiones haud curarent; & ita addicti fabulis, ut quas habuerunt antiquitates, peſſimè corrumperent, aut ſummutarent.

Vel quoniam, ob ingeniorum ſuorum fertilitatem, dicam an luxuriem, atque inconſtantiam, novas ſibi notiones condere perpetuò geſtiebant. Quæ non fuit minima cauſa iſtius opprobrii, quo Sacerdos Ægyptiacus apud Platonem novitatem doctrinæ Græcis objectabat. Et quòd Græci quæſtûs gratiâ diſciplinis adhæreſcebant; nováſque ſæpiſſimè de placitis maximis quæſtiones movebant; nec fixum in majorum veſtigiis pedem tenebant.

XXXI. Hebræi verò, (maximè qui præ Moſaico tempore vixerunt) quia philoſophiam per Generis aut Familiæ traditiones aſſequebantur; eaſque ſeriâ religioſâque recordatione cuſtodire ſolent; & quia parentes haberent magiſtros; factum eſt ut liberè atque apertè citrà invidiam cuncta diſcerent; & certiori fide præceptis attenderent. Quod æquè penè de Arabibus & Idumæis eſt prædicandum.

Adeò ut ſenex, & ſapiens ille Philoſophus & princeps Idumæus, Eliphaz in colloquio ſuo cum Jobo (ubi ſignificat ea, quæcunque fuerint, quæ Jobus ſciret, à ſeipſo cognoſci) verè aſſeveraret, *illa omnia, quæ præcepturus erat, declarata ſibi fuiſſe à viris ſapientibus; prout illi per traditionem priùs acceperant ipſa à patribus ſuis; illique ſimiliter à progenitoribus ſuis, qui fuerunt totius mundi Patres & hæredes*; illi ipſi nimirùm, *quibus ſolis Terra data fuit* [p]. Quâ manifeſtâ periphraſe deſignat *Noam* atque ejus *filios*, à *quibus diviſæ ſunt Gentes in terra* poſt diluvium.

[p] Job 15. 18 & 19.

Hæc enim omnia perindè ſunt, ac ſi dixiſſet Eliphaz, Ego doctrinam meam didici tam à Patre meo *Eſavo*, quàm à patruo *Jacobo*, qui illam acceperunt ab *Hebero*, & ab ejus abavo *Semo*;

qui erat unus ex illis, *quibus ſolis Terra* à Deo *data fuit.*

Sin Arabes & Idumæi memorias atque præcepta patrum ſuorum de manu ad manum quaſi tradita ſolicitè ac diu cuſtodire ſolent; non eſt ut credamus Hebræos, Iſraëlitas ſaltem, ſua quoque παραδόσεις minori cura, breviorique tempore perpetuâſſe: maximè cùm verum ſit, (quod pro certo ſtatuamus) Abrahami filios atque nepotes fuiſſe ipſius domum; & advertamus ejus diligentiam à Deo ipſo laudatam, quam exercuit *in inſtruenda familia ſua poſt ſe:* nimirùm præceptiones ſuas tanta ſedulitate, tam fervida pietate, atque tot efficacibus argumentis inculcando filiis atque nepotibus ſuis; ut ipſi deinceps etiam patrum ſuorum præceptis, ſimul & exemplis excitati, vix potuere non & filios atque nepotes ſuos pariliter erudire. Adeò ut veriſimilè ſit Iſraëlitas patrum ſuorum doctrinas diutiſſimè retinuiſſe.

XXXII. Quocircà jam, ſi revereamur indicia ſacra; ſi reſpiciamus enuntiata Phœnicum, ac Arabum atque Idumæorum; qui favent doctrinæ corpuſculari: nec non attendamus illud fervens ſtudium, quo notiones ſuas omnes ad Noam, & ipſius filios (ipſos fontes ſcientiæ veriſſimæ) referebant: ſive mentes noſtras advertamus ad ea teſtimonia, quibus inſignis ille Philoſophus Plato (quo fortè nemo diligentiùs unquàm veterum traditiones exploravit) eandem philoſophandi rationem profert atque prædicat; ipſamque ad primos omnium ſcientiarum ſimul & hominum patres (ut puta Semum, Chamum, atque Japhetum) revocat: Vel ſi quid tribuamus Ariſtotelis opinioni, (dicam an conſcientiæ?) qui philoſophiam hanc (quam tamen ipſe vellicat acriùs & inſectatur) *antiquiſſimam, & ad omnia explicanda paratam* eſſe confeſſus eſt. Aut ſi non negligemus omninò memorias Indici iſtius hiſtorici *Megaſthenis*, qui affirmat omnes eas doctrinas, ob quas olim Græci valdè celebres erant, quaſque tanquam ſuas venditabant, priùs apud Judæos, ſcilicèt Hebræos, effloruiſſe:

Tandem ſi perpendamus omnia argumenta, quæ vel opera certæ experientiæ, vel rectæ rationis eloquia ſuppeditârunt, conſentaneum valdè atque tantùm non neceſſarium erit inferre, quòd philoſophia, *atomica* vel corpuſcularis, fuit naturalis ea ſcientia, quæ communiter obtinuit ante Moſaica tempora; quamque

quamque Moſes animo ſuo recoluit, dum *Geneſin* exarabat.

His ergò præmiſſis, & circumſpectis omnibus, atque ſubductis rationibus, hanc ego ſummam feci concluſionum mearum. *Moſaicam nempe philoſophiam, prout antiquiſſimam, ita & cum rerum natura, rectiſſimaque ratione maximè congruentem eſſe; adeóque non tam difficilem intellectu fore, quin ab idoneis interpretibus optimè dilucidari poſſit; immò jam nunc* (niſi me meæ fefellerunt conceptiones) *per ſequentes explanationes aptè perſpicuéque dilucidatam eſſe.*

CAPUT QUINTUM.

De amplitudine Creationis Moſaicæ.

Syllabus. I. *Verba, quæ oſtendunt Creationem Moſaicam eſſe Univerſam, luculentèr explicata.* II. *Chaos eſſe originis Hebraicæ; & Græcis idem eſſe, quod Moſi Abyſſus vel Aquæ fuerunt.* III. *Tohu & Bohu Moſaica ſunt idem, quod ἀδὲν & κενὸν Græca.* IV. *Conſenſio Gentium, quæ per Chaos intelligebant Univerſi confuſam materiam; Moſaicam Creationem eſſe Univerſam arguit.* V. *Ut & generalis ipſarum opinio, quòd omnium rerum materia prima, fuit una & confuſa natura, atque totius Mundi ſeminium.*

Quoniam verò multi, qui Coſmologiæ munus in ſe ſuſceperunt, haud ſolùm vanam atque falſam notionem de prima rerum materia concepiſſe, ſed & magni noſtri Coſmologi verba, (ſive τεχνικὰ ſive διασαφητικὰ) quibus exponit initia rerum, minùs intellexiſſe videantur; atque ob eam rem vice Creationis univerſæ, nec non aſpectabilis hujuſce mundi formationis (quas certò & Moſes, ſimul & omnes antiquiſſimi Gentium Philoſophi in oculis, in animis, ac in elogiis ſuis habuerunt) neſcio quam puſillam molem, vel è fragmentis Saturni, vel alterius Stellæ, Cometæve ruderibus accumulatam, ſine ulla ratione phyſicæ, vel conſilio

conſilio veterive exemplo, finxerunt ; & pro mundo Moſaico nobis imponere ſategerunt: Hi namque grumulum hunc, quem terraqueum globum dicimus, cum ſua ſphæra vaporoſa putant eſſe id omne, quod Moſes à Deo tam magnificè conditum memorat ; & quod non è primis principiis erexerunt, ut Philoſophi ſolent, (qui rerum generationes omnes è materia prima productas cenſent) at è rebus anteà compoſitis & uſitatis, ut puta, lapidibus, arenis, argillis, metallis, oleis, reſinis, gummi, ſalibus, & id genus aliis conſarcinârunt ; ut qui ſcruta vendunt : Adhæc, quia valdè probabile eſt pravas haſce notiones atque percepta futilia nata fuiſſe præſertim ex ignorantia verborum, quæ Moſes ad materiæ primæ rationes atque modos clariùs atque diſtinctiùs exponendos, haud ſine pompa quâdam, catervatim conduxit : Hoc imprimis mei muneris eſſe, & è re veræ Coſmologiæ fore judicabam, ut quid ipſe Moſes, item & Hebræi Philoſophi vetuſtiſſimi per iſta verba concipiebant ; unà & quid antiquiſſimi quoque gentium Philoſophi per *Chaos* indicabant, ipſe pro tenui mea parte dilucidarem : Ut aliquo ſaltem modo poſſimus & congruentèr cum natura ſentire, ſimul & cum phyſicis antiquiſſimis ſapere.

Illa inſignia verba de quibus omninò pendet notitia Coſmologiæ Moſaicæ, ſunt Primò, *Samaim* & *Aretz*, i. e. *Cœli & Terra* junctim ſumpta ; Secundò, *Aretz*, id eſt *Terra* ſolitariè conceptum ; Tertio, *Tohu & Bohu*, id eſt res *informis*, & *Vacuum* : Quartò, *Tehom*, id eſt, *Abyſſus* : Quintò, *Majim*, id eſt, *Aquæ*. Quæ multis retrò ſeculis plurimum negotii creârunt interpretibus. At quæ verbis illis obſcuritatem fecerat, aut ignorantia fuit, aut neglectio veteris Philoſophiæ, quæ Moſis ætate floruit ; & per quam ratio Moſaicæ Geneſeos unicè dilucidari potuit.

Doctis autem non ignotum eſt, conjugatas illas voces, *Cœli* & *Terra*, per Hebræos ſumi ſolere pro Univerſitate materiæ, ex qua res omnes conſtant ; adeò ut veriſimile ſit Moſem, (propterea quòd Hebræi vulgò & communiter id omne, quod erat in initio, atque ortum huic aſpectabili mundo tribuebat, per eas voces adunatas exprimerent) illas hic imprimis uſurpâſſe, ut univerſam materiam pleniùs atque ſonantiùs enarraret. Non tamen ut diſtinctas partes Univerſi per ea verba notaret, at tanquam

quam per ἰσοδωίαμα vocabula, rem unam atque eandem, sed commixtam confusámque materiam, nobis indigitaret.

Horum quidem conjugatorum verborum σωωνυμίαν, à multis seculis obsérvârunt quoque Gentium Philosophi, sive id è Mosaicæ Creationis historia; sive per Hebraicas Phœniciasve traditiones intellexerint. Undè vetustissimus ille Gentium Cosmologus Hesiodus in rerum origine recensenda *Cœlum* affirmat esse ἴσον γαίᾳ, id est, *par vel synonymum Terræ.* Ita namque Philosophicè canit.

> Γαῖα δ'ἐ τον πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
> Οὐρανὸν, id est,
>
> *Terra verò primùm genuit parem sibi*
> *Cœlum.*

Hæc asserit quia per Hebræos, aut per alios ab Hebræis institutos intellexerat in ipso introitu Cosmurgiæ Mosaicæ (in quo describitur mundi materia prima) *Cœlum & Terram simul* unum atque idem significâsse. Et quia Moses pergens in hac ipsa materia describenda, mox omisso Cœlo, vocabulum *Terræ* solùm, tanquàm materiæ crassæ significandæ magis aptum ac idoneum potiùs adhibuit, (Omnes etenim primam hanc materiam *crassam* censebant; ipsamque idcircò dixerunt ἰλωὶ, i. e. *limum*) Poëticus ille Philosophus eâ re *Terram* proximè post Chaos existentem refert, his verbis;

> Ἤτοὶ μὲν πρώτιστα Χάος γένετ' αὐτὰρ ἔπειτα
> Γαῖ' εὐρύστερνος

> *Primò omnium quidem Chaos fuit, at deinde*
> *Terra lata.*

Sublucet hîc antiquissima veritas, at partim per mythologias, partim per imperfectas rei notitias obscurata: Quippè quod Hesiodus, etiamsi ad Exemplum Cosmologi nostri Mosis, proximè post eam materiam, quam *Chaos* dixerat, Terram factam memorat; illam tamen veluti distinctam naturam refert; alitèr ac à Mose factum; qui per terram, quam primò distinctè nominat, minimè

minimè rem à materia prima diversam notari voluit, at ipsam materiam pleniùs explicandam. Hinc illam expressè per explicationem affirmat esse בהו & תהו *Tohu*, & *Bohu*, scilicet *rem informem*, & *vacuum*, ob ea spatiola vacua, quæ ei inerant.

Quæ quidem verba primam generationis universæ materiam proferunt eâdem notatione ac sensu, quo illam prisci Græciæ Philosophi per ea notissima vocabula ἀδὲν καὶ κενὸν, i. e. *nihil* & *vacuum* significare solent. Nam scisitanti, quid sibi velint תהו & בהו *Tohu* & *Bohu*, respondebit *Theodotion* per illud ἀδὲν, per hoc κενὸν intelligi: Idemque responsum dabit *Aquila Judæus*, qui verbum de verbo expressit.

Nec aliud à quopiam rectè reddi potest, quàm quod materiam primam ab illa terra significari probet.

Hanc autem terram, quam Moses appellat *informem* & *vacuam*, tanquam Mundi futuri materiam, benè advertisse videntur, & *Archelaus* ille *Physicus* appellatus; & *Xenophanes* etiam Colophonius, qui terram esse rerum omnium principium docebant. Sed ante illos *Pherecydes Syrus* explicatiùs hujusce terræ primæ sensum, quem promoveo, declaravit, ubi illam χθονίαν appellat, ut eo nomine significaret ejus & turbidam & confusam conditionem (Nam quod turbidum fuit & confusum veteres Græci χθόνιον dicebant) quem primi principii statum fuisse omnes agnoscunt.

Hanc porrò χθονίαν Pherecydes posteà τὸν γῆν, i. e. *terram* dictam fuisse tradit, quandò honorata fuisset à Jove. Hoc est cùm terræ fundamenta Deus ipse jecisset, eique concrescere, atque *aridam* constituere mandârat; eodemque momento Stellæ matutinæ canerent, & Angeli præ gaudio jubilarent (Job 38. 7.) Per *secundam* hanc terram Pherecydes absque dubio notabat οἰκουμένην *terram habitabilem*; per *primam* verò *chaoticam* illam, per quam Mundi rudem materiam, perinde ac Moses, indicabat.

Quemadmodum verò Moses per vocabulum, *Terra*, materiæ primæ *crassam* atque *segnem stagnantémque* rationem monstrabat; ita & per vocem תהום *Tehom* ejus *immensam profunditatem* significari voluit. Hanc vocem Græci reddunt, Ἄβυσσον, *abyssum*; ut quod trino suo dimenso, tam altè extendatur, *ut fundo* carere videatur. Scio quod Ἄβυσσος Hesychio sit ὕδατα ἄπειρα ἀκατάληπτα, i. e.

i. e. *Aquæ infinitæ incomprehensibiles*; & quod aliis etiam Græcis sit *Lacus* aut *Pelagus immensæ profunditatis*: Nec sum nescius quòd תהום *Tehom* apud Hebræos etiam significet aliquando *Mare*. Ut Job 38. 30. & Psalm. 107.24. & Proverb. 8. 22. & 28. at sæpiùs *omnes Aquas profundas*, sive sint suprà terram, ut Psalm. 104. 6. sive sint in terræ visceribus ut Psalm. 33. 7. & Job 33. 16. ubi dicuntur reponi tanquam *in thesauris*, aut penetralibus, ut indè scaturiant, vel ad terram obruendam, vel irrigandam.

Immò & nonnunquam vox ea notat profunda terræ, ut Ezech. 31. 4. & Gen. 49. 25. ubi 70 Interpretes pro benedictionibus Abyssi habent εὐλογίαν τῆς γῆς ἐχόσης πάντα, *benedictionem terræ habentis omnia.* Sic & aliquando significat omne id quod *profundum est*, sive sit *aqueum*, sive *terreum.*

Sed in historia Creationis, ubi Moses explicat omnes modos & conditiones materiæ ex qua facta sunt omnia, non aliud indicare posse videatur *Abyssus*, quàm immensam chaoticæ materiæ profunditatem. Quod Aretas (in Cap. X. Apocal.) à doctis etiam tali sensu notatum memorat his Verbis, Ἄβυσσον καλέσι τὸ πολύβαθον τῶ πρώτυ σοιχέιυ, *Abyssum vocant immensam profunditatem primi Principii*, nempe minutissimarum particularum materiæ, quæ res omnes in initio constituebant.

Verùm illæ particulæ, quamvis infinitæ pœnè fuerint, nihil attamen efficere valerent priusquàm motæ fuerint: Moses igitur, ut harum particularum *multitudinem* atque *motum* significaret, illas aptissimè vocat *Aquas.* Quippe quia nihil ad aquarum naturam conflandam requiri videtur, quàm ut laxæ volubilésque particulæ, singulæ circà centrum suum moverent: Undè particulas hasce Moses haud appellabat *Aquas*, priusquam illas à Dei Spiritu motas dixisset: quod notandum.

Mundi, inquam, futuri materiam, sive corpuscula minutissima, per hanc appellationem tralatitiam denotabat, non ut eorum motum solummodò, sed & ipsorum multitudinem immensam quoque designaret. Aquarum etenim nomen, usu communi tum apud Hebræos, tum apud Gentes ad indicandam *multitudinem* sumi solet. Ut nihil aptiùs eâ voce metaphoricâ ad exprimendam illam materiam fuerit, tum quia particulæ chaoticæ reverà *multæ* erant; tum quia (proùt in præcedenti capite monstratum est) à vetustissimis hujusce mundi philosophis

prima

prima illa principia dicebantur *Multa.* Ut dictum est.

Certum est autem Mosem per illud Aquarum vocabulum haud intellexisse *naturales*, at *metaphoricas Aquas*; nempè particulas omninò solutas, ac inter se motas, *Primò*, quia veras aquas nondum factas esse dixisset; *Secundò*, quia rerum omnium principium (propter rationes in Cap. de Aquis Chaoticis exhibitas) *Aqua* esse non potuit: *Tertiò*, quia minimè probabile est Deum voluisse in primo Die terram aquis obruere, quam tertio die *siccam* atque *aridam* facere constituisset.

Et verisimile est insignes istos, & ab antiquitate celebratos philosophos, tam Druidas quàm Brachmanos, qui *aquam* esse rerum principia palàm docebant (sive notiones suas Mosi, sive multùm vetustiori traditioni referant acceptas) haud aliam intellexisse, quàm *metaphoricam*; nempè chaoticarum particularum aquam, motione simulatam.

Ità certè Brachmanas interpretatur Megasthenes apud Strabonem l. 1. ait etenim eos existimâsse ἀρχὰς ὧν τὰ σύμπαντων ἑτέρας, τῆς δὲ κοσμοποιΐας τὸ ὕδωρ, id est, *Omnum principia fuisse alia, Cosmopœiæ verò, Aquam.*

Nam certum est inter ea principia vel elementa, quæ ad compositionem atque formationem Mundi proximè concurrebant, fuisse Elementum Aquæ; sed communia rerum omnium principia fuisse alia, nempè simplicia illa corpuscula minutissima, ex quibus ista elementa componebantur.

Expositis ad hunc modum, perutilis insigniſque notæ, sed multùm ac diu controversis, vocabulis, quæ Moses ad distinctas rei primæ rationes enarrandas adhibuit, intimiùs inspiciendum est πολυθρύλλητον illud Græcorum principium quod χάος *Chaos* appellant; ut ejus Origine cognitâ sciamus etiam quid suo complexu teneat; ad quid se extendat; & an Mosaicum illud, quod primâ fronte præ se fert, intùs sapiat.

χάος certè veteres Græci, teste Philone, [a] deducebant à χεῖσθαι, quod interpretando redditur *fundere*, vel *facere ut diffluat*; satis ineptè quidem, (proùt solent, sæpissimè) nam Chaotica materia res penitùs immota fuit, donec eam spiritus Dei movebat. Nisi dixerint Chaos illud, quod priùs res crassiuscula fuit adinstar *limi*, per motum inditum à Deo mox attenuari & quasi fundi; quatenùs illa, terrarum orbe tantùm (quæ minima pars ejus

[a] L. de mundo.

fuit) concrescente, totam hanc tenuem atque fluidam naturam, quæ vocatur Cœlum, conflabat: At per istiusmodi fusionem desinebat esse *Chaos:* Quò minùs ab ea nominari debuit.

II. Vendibilior autem veriorque ratio illius verbi sumatur à conditione materiæ chaoticæ, quam expressè notavit Moses, quando Abyssum (per quam designabat Mundi futuri materiam) *tenebrosam* esse ait: Ad illius certè Genesin omnes ferè Gentium cosmologiæ plus aut minùs effingi videntur: Hanc spectabant; ad hanc collimabant philosophi; & ex illa speciatim Græci *Chaos* suum desumpserunt: & per Abyssum Mosaicam se intellexisse totius Mundi materiam clarè docent; cùm *Chaos* illud (quod omnes tradunt fuisse totius Mundi seminium) planè idem esse cum Abysso per originationem vocis ostendant: Hebraicè namque sonat χάος, & (judicio doctissimi Bocharti) non ab alio derivatur, quàm ab Hebræo vocabulo חוח *chaüth*, significante *caliginem*; quæ à Mose dicitur fuisse super faciem Abyssi. Unde Orpheus, qui Chaos vel Abyssinam materiam vocat ὠὸν πρωτογενὲς, id est, *Ovum primigenium* à rotunditate suæ molis: idem Chaos etiam vocat νυκτὰ ζοφερὸν, id est, *noctem tenebrosam* ab Abyssi caligine.

At quamvis ea caligo, prout exprimitur ab Hebræo, non ipsam materiam, sed ejus modum vel affectionem quandam solummodò, nimirum *tenebras*, indicaret; Græci tamen eas tenebras pro ipsa materia; vel ad ipsam peraptè significandam sumebant: idque ob sequentes (ut mihi videtur) rationes: Primò, quoniam è scripto Mosaico didicisset caliginem in initio fuisse super omnem mundi futuri materiam; eamque penitùs sic affeciisse, ut nulla daretur, ne minima certè particula, quæ non caliginosa fuerit, Luce (primâ rerum specie) nondum factâ. Secundò quia Phœnices (quos etiam magistros habuere Græci) physicum suum principium voce, eandem planè significationem ferente, notâssent; quam Sanchoniathonis interpres, Philo Biblius per ἀέρα ζοφώδη, i.e. per *aerem tenebrosum*, atque per χάος reddidit.

Nomen etiam χάος Hebraicâ prosapiâ oriundum, Græci protinùs, Hebraico induebant agnomine, quandò illud Ἐρεβώδες dixissent. Undè satis manifestam fecerant ipsius *originem*, simul & *potestatem*: *Primam*, quoniam ערב *Ereb* apud Mosem, *Gen.* 1.5. significat eam durationem chaoticarum tenebrarum quæ primam noctem

noctem faciebat. *Secundam*, propterea quòd intrinsecâ suâ notatione rerum confusionem, mixtionemque monstrabat, adeóque materiæ chaoticæ rationem pleniùs illustrabat.

III. Ad hæc egregium quoque nobis argumentum præbuerunt Græci, quo firmè concipiamus eorum physiologos semet antiquitùs ad Mosaicam Genesin applicuisse: atque ad ejus ideam quodam modo finxisse Cosmogoniæ suæ speciem, ex eo quòd à notandis istis vocabulis תהו ובהו *Tohu* & *Bohu* (quibus Moses Abyssinæ sive Chaoticæ materiæ naturam declarat) physica sua principia denominant: quippè quòd à priscis usque temporibus ea vocabant ἀδὲν καὶ κενὸν, id est, *nihil* & *vacuum*, quæ prorsùs eadem notant (ut anteà dictum est) ac Hebraica *Tohu* & *Bohu*. Quo quidem facto sat luculenter ostenderunt se non tantùm suæ materiæ physicæ nomen à Mose, sed & ipsa principia mutuâsse.

At si Cosmurgia Mosaica proximis ab illo seculis inter omnes omnium ferè Gentium sapientes evulgata, æstimata atque tractata fuerit, operæ pretium erit studiosè perquirere, quænam constaret esse generalis & consentiens eorum opinio, non solùm de ratione Mosaicæ Creationis, at etiam de ipsius amplitudine: Certè quidem verisimile est Ægyptios, Phœnices, Arabas aliosque, saltem viciniores, qui in illa ætate florebant, in qua Moses cum Hebræis suis communicâsset historiam Creationis, actutùm de ea cognoscenda solicitos exstitisse, atque illam datis operis intellexisse: Hoc ipsum de illis etiam dicendum videtur, qui in proximis ab illa ætate seculis vitâ, doctrinâ, curiosisque geniis fruebantur.

Nam subtile illud & sagax ingenium, quod inter istas Gentes eo tempore viguit, non potuit tanti philosophi succinctam Narrationem de Mundi Origine non avidè expetere, enixéque perquirere & procurare; neque voluit, aut passa est tam boni benignique viri charitas, ut ea, vel suos Hebræos, vel alios ullo modo lateret: Quocircà si posteræ ætates aliquandò Mosaicam Genesim obscuram atque intellectu perdifficilem perceperint, id vel crassæ ignorantiæ, vel immutatæ philosophiæ (prout alibi dictum est) attribui debet.

IV. At, inquam, si Gentibus olim vel lectione vel auditione tradu&ta fuerit hiſtoria Creationis, ità ut priſca Philoſophia quodam modo filia Moſaicæ doctrinæ dicatur, Conſentaneum erit eam multò magis ſui Genitoris formam relaturam eſſe, (quàm quæ recens eſt, & alieni generis, qualis eſt, ea quæ multis ſeculis inter doctos viros obtinuit) atque ſatorem ſuum notiorem reddere poſſe. Ut ſi conſenſio Veterum Coſmologiam ſuam, quam de Chao fundabant, *Univerſam* eſſe ſtatuat; eandem Moſi quoque mentem fuiſſe de ſua, credendum ſit.

V. Certum eſt autem tum aliarum Gentium, tum Græciæ Philoſophos antiquiſſimos, omnes ferè, per ſuas Coſmogonias tam Cœlorum quàm Terræ fabricationem deſcripſiſſe, omnium materiam in initio permixtam, ac confuſam fuiſſe docuiſſe, atque ex ea Cœlos haud minùs ac Terrarum orbem, concinnatos prædicâſſe.

Phœnicum quidem phyſiologia docuit Univerſi principium fuiſſe ἀέρα ζοφώδη, i. e. *aerem tenebroſum*; atque (ut Sanconiathonem Græcè interpretatur Philo Biblius) χάος θολερὸν, id eſt, *Chaos turbidum*; ſpeciatim verò ἴλωὶ *ilun*, per quam vocem, nec infiteor, veteres intellexerunt *limum*: Sed multò veriſimilius eſt, Phœnicium illud vocabulum, quod Græcus interpres reddebat ἴλωὶ, id ipſum ſignificâſſe quod Ægyptiorum atque Syrorum ὕλη, *hyle*. Sic etenim Græci vertebant illud vocabulum quo Gentes illæ nuncupabant primam materiam, de qua factam eſſe πᾶσαν σπορὰν κτίσεως, καὶ γένεσιν τῶν ὅλων, id eſt, *ſeminium cunctæ creaturæ, & omnium rerum generationem tradunt* [b].

[b] Euſeb. l. 1. Præp. cap. 10.

Per vocem ὕλη, *hyle*, intellecta fuiſſe minutiſſima corpuſcula, probat Arabum هيولى *hiule*, vocabulum quod eſt ipſiſſimum Græcorum, Ægyptiorum, atque Syrorum ὕλη, *hyle*. Non tantùm ſoni, ſed & ſignificationis ſuæ ſimilitudine. Illo namque vocabulo *primam rerum omnium materiam notant* Arabes; atque *res exiliſſimas ſive atomos* deſignant; ut notum eſt. Et omnibus hiſce nationibus antiquitùs eadem pœnè dialectus fuit; at philoſophia prorsùs eadem.

[b] In Proœmio.

Ægyptii certè, Laertio teſte [c] docebant, ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, ἐκ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακεκρῖσθαι, i. e. Principium *eſſe hylen* (i. e. corpuſcula minutiſſima) & ex ea materia *diſcreta fuiſſe quatuor elementa*.

Et

Et in horum Cosmologia quoque dicitur [d], κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅ- [c] Diod. Sicul.
λων σύστασιν μίαν ἐχεῖν ἰδέαν Οὐρανόν τε καὶ γῆν μεμιγμένης αὐτῶν τῆς φύσεως. *Secundùm constitutionem rerum omnium in initio, fuit unius vultûs & Cœlum & Terra, permixtâ eorum naturâ.*

Quod satis manifestò de illa rerum genesi, quam Moses explicuit; & quam doctæ circumquaque Nationes tanquam verissimam rei primigeniæ memoriam receperant, intelligi debet.

Constat etiam, vel ante Mosem, sapientes Idumæos & Arabes idem de Mundi materia prima sentiisse; *tum* ex eo vocabulo, quo physicum suum principium nominant, quod, ut anteà dicitur, est *hiule: tum* è colloquiis Jobianis, ex quibus intelligere est tunc temporis inter illos exculta fuisse *atomica* sive corpuscularia principia, quæ ab ipsis habita fuerunt communis ea materia, ex qua cunctæ res in initio compositæ ac concinnatæ fuerunt. Nam qui prisco tempore per Corpuscularem doctrinam philosophati sunt, omnes in eo convenerunt, ut in principio rerum, omnia confusa, atque unius faciei ac naturæ fuisse statuerent.

Qui secùs opinati sunt, illi quidem non nisi posteris seculis exoriebantur, & æternam esse Mundi compagem credebant; quod tamen antiquis Arabibus & Idumæis imputari non debet. Illi namque Mundum genitum esse dicebant; & illustria ista corpora Solem, Lunam & Stellas insignes reverà partes esse Totius, at *servos Terræ*, ducebant.

Assyrii verò, nec infiteor, quanquam fuerint primi philosophi, & priùs quàm cæteri post-diluviani studiis & observationibus Astronomiæ dediti; verùm tamen, quia Solem atque Stellas (quorum splendida ac glorioſa corpora simul & admirandos effectus indies advertebant; & quos esse verè *Animantia*; per cœlorum æquor elatè spatiantia, credebant) post breve tempus pro Diis habebant, & summâ religione prosequebantur; atque adeò, propterea quòd tam citò deseruissent principia rectæ religionis, omnia quoque pronuntiata Physica (quæcunque Solis & Stellarum venerationi quicque detraherent, despicatui ducentes) missa faciebant, priusquam vicinæ Gentes physicas suas notitias oblivioni tradiderant. Hinc apud illos nihil de ista unitate naturārum confusionéque materiæ, quæ in initio Mundi fuerunt, inveniendum est. In eo quidem cum philosopho nostro Mose consentiebant, hi sapientes, & à Noa celebres Astronomi, quòd existi-

existimarent, Οὐρανὸν θέειν δρόμον ἀίδιον καὶ τάχει ἠέλιον ἀεὶ κενλεὸν ἐλθεῖν, i. e. *Cœlum cursum currere sempiternum, & Solem celeriter venire circa centrum:* Immò & τὴν γῆν ἐν μέσῳ, [f] *Terram in medio* poni.

[f] vid. Orac. Chaldaica.

Minimè tamen, id quod Moses apertè docet, *Lucem Sole priorem* esse agnoscunt; quia Solem, quem Deum credunt, non esse vehiculum lucis, at Fontem asserunt. Neque Solem Terræ, vel hominis servum esse, vel ejus gratiâ factum concedent [g]. Quod horum sapientum rationi minimè tribuendum est, at superstitioni cæcæ: Neque mirandum est quòd hi ἀσεβέλπιοι non amplexarentur, nec admitterent istiusmodi Philosophiam, quæ suæ cærimoniæ cultuique sacro turpes ac infames notas inureret; & vulgo proderet quòd ipsorum Dii serviles erant creaturæ. Nec ambigendum est cur illi à Mosis Physica tantoperè discederent qui à Noachi religione tam citò recesserant.

[g] Oracul. Zoroastr. Sect.

Interim tamen antiqui sapientes Græciæ, qui physicæ suæ lampadas, aut ad Hebræorum focos accenderant; aut qui sportulas suas implêrant Phœnicum vel Ægyptiorum stipe physicâ, principia Philosophiæ, non multùm à Mosaicis aberrantia statuebant: Quod eò faciliùs credi possit, quià tam Phœnices ipsi quàm Ægyptii mel doctrinæ suæ ex Hebræorum favis exuxerant.

Per antiquos istos sapientes Græciæ non intelligendi sunt Javanis filii, vel nepotes qui Noachi Philosophiam retinebant; sed qui in Græca, longè antè Lini vel Musæi vel Hesiodi tempora florebant; quandò, post generalem inertiam bonarúmque literarum omnium ignorantiam vel neglectum (quo Græcia diù laborâsset) mirum in modum suscitata fuerunt solertiora ingenia; & ad scientias acquirendas accensa; ità ut discendi causâ frequentiùs iretur ad Phœnices, ad Ægyptios, & ad Hebræos; à quibus etiam, præter alia, sapientiæ Mosaicæ theoremata condiscebant Græci Philosophi.

Hinc orti sunt veteres illi Cosmologi, qui de prima atque de secunda terra loquuntur; qui Lucem antè Solem natum memorant; qui Solem terræ servum credunt; atque omnia, quæ nunc existunt, ex eodem chaote facta fuisse, atque illa omnia unam naturam priùs exstitisse, censent.

Hinc

Hinc Linus suam, quam scripsit, Cosmogoniam sic inchoat; Ἦν πότε τοὶ χρόνος ἔτος ἐν ᾧ ἅμα πάντα ἐπεφύκει, i. e. *Erat aliquando tempus in quo mixta fuerint omnia.* Cum Lino concinebat Musæus: ut & Orpheus, ut colligere est ex hymnis, qui gerunt ejus nomen. Ex iisdem etiam memoriis, receptum est illud Anaxagoræ pronuntiatum, πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ πεφυμένα, *Res omnes genitæ erant simul, id est, in Chaote commixtæ & confusæ; sed mens eas separavit, & ex illis ornatum Mundi fecit.* Hæc itidem sententia fuit Thaletis, qui fuit Anaxagoræ præceptor: Eadem quoque fertur esse Opinio Pythagoræ, qui fuit ætate cum Thalete conjunctus. Ille namque secundùm Porphyrium docuit, quòd τὸ ἀρχῆς καὶ γενέσεως ταραττομένης, καὶ πολλῶν ἅμα συννεομένων, καὶ συμπιπτομένων ἐν τῇ γῇ καθ' ὀλίγον γένεσις καὶ διάκρισις συνέστη. *Cùm primum rerum principium & generatio in motu fuerit, & multa* (scilicèt ista exilia materiæ primæ corpuscula, quæ dicta fuerunt *multa*) *congrederentur, & concoquerentur in terra,* (scilicèt in chaotica terra) *generatio & secretio gradatim processit.*

Nec à me dubitari possit, quin Pythagoras per vocem Πολλὰ loco citato totius Abyssi particulas intellexerit. Et ut totam chaoticarum particularum multitudinem per Πολλὰ; sic & singulas quasque particulas per μονάδας à discipulo (quoties agitur de materia prima) comprehendi voluerit.

Adhæc omnes prisci philosophi usque ad ætatem Democriti, qui mundum genitum putabant, nullum in initio vel Elementum, vel distinctam rerum speciem exstitisse; verùm ipsarum tantùm principia confusa fuisse concipiebant. Unde Euripides [h], [h] In Menalippæ.

Ὡς Οὐρανός τε γαία θ' ἓν μορφὴ μία
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα
Τίκτουσι πάντα κἀξέδωκαν ἐν φάος.

Ut una figura fuerit & Cœlum & Terra
Quæ mox ut disjuncta recesserant ab invicem
Cuncta genuerunt, & ediderunt in lucem.

Aristophanes etiam cecinit eandem cantilenam Philosophicam: his verbis,

Χάος

Χάος ὣν ἡ Νὺξ ἐρεβός τε μέλαν πρῶτον
ἠ τάρταρος εὐρὺς
Γῆ δ' ἠδ' Ἀὴρ, ἠδ' Οὐρανὸς ὣν, id eſt,

Chaos & Nox primùm erat, atque niger Erebus, & Tartarus amplus,
Nec Tellus, aut Aer, aut Cœlum erat.

Hæc Euripides & Ariſtophanes longè ante Ariſtotelem præclarè philoſophati ſunt. (Nam ſolent & Poëtæ philoſophari, & philoſophi ſua phyſica metris incluſa canere) ſed quia major erit apud aliquos Ariſtotelis autoritas, hic in rei teſtimonium vocandus eſt. Ille autem palam fatetur omnes phyſicos olim communiter aſſeruiſſe, quod ὣν ὅμα πάντα χρήματα, id eſt, *res omnes* unà fuerunt in initio.

Ut palàm fiat ſapientes Gentium ab omni antiquitate exiſtimaſſe Chaos ſuum totius mundi *Seminium* fuiſſe; &, quod conſequens eſt, per Moſaicam geneſim tam Cœli quàm Terræ natales editas extitiſſe. Nam certum eſt Chaotis Effigiem, quam ſibi veterem Phyſicorum ferè omnium Coſmogoniæ depinxerunt, Originem Moſaicam habuiſſe, velut ἀρχέτυπον; undè lineas & umbras ſuas deſumpſerunt.

Ità ut ex ea ſimilitudine veritas & amplitudo Moſaicæ Geneſeos eluceat.

Ectypam namque figuram, quam veteres ac celebrati pictores omnes ad magnitudinem Gyganteæ ſtaturæ delineârunt, hanc ego pygmæi exemplaris fuiſſe non credam. Neque certè Creationem Moſaicam, quam vetuſtiſſimorum Philoſophorum conſenſus concentuſque generalem eſſe faſſus eſt, particularem atque minutam dici concedam. Præſertim quia maxima capacitas atque facultas verborum, quæ Moſes ad rationes atque modos Abyſſinæ (ſive primæ) materiæ demonſtrandos adſcivit, univerſam fuiſſe probat.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

De Opere primi Diei.

Syllabus. I. *Universæ materiæ generatio, vera Creatio.* II. *Materia prima, quæ?* III. *Ratio nominum quibus appellatur ista materia.* IV. *Materia moveri non potuit nisi per Deum.* V. *Non fuit continua, sed vacuolis intermediis distincta.* VI. *Ut motus fieret, & omnia per motum.* VII. *Motus istius viam, quâ usus est Deus in formatione Mundi licitè quærat philosophus.* VIII. *Supponat ergo materiam fuisse particulas, sed non verè atomos; eamque duplici genere Motionis agitatam.* IX. *Primum genus lene fuisse, & transversum, quod particulas inter se committebat.* X. *Unde factæ sunt moleculæ igneæ, aereæ, aqueæ, terreæ; & ex illis posthac Elementa.* XI. *Secundum verò genus fuisse Circulare, quo tota moles Abyssi gyrabatur.* XII. *Non necesse fuit ut Moses hunc Motum clariùs exprimeret.* XIII. *Huic motui lex data fuit à Deo, per quam modus & ordo Creationis intelligi potuit.* XIV. *Elementa, qualia videantur esse corpuscula* XV. *Per Abyssi gyrum primò factum fuit cœlum Empyræum.* XVI. *Moses Empyræi Cœli formationem sat explicatè ad intelligentiam populi Israelitici descripsit.* XVII. *Cum Mose consonabant antiquissimi philosophi.* XVIII. *Per neglectum & ignorantiam primæ significationis vocabuli, Ur, in historia Creationis, oriebatur ignoratio contemptioque Mosaicæ philosophiæ.* XIX. *Eodem mandato, quo Deus ignem, lucem quoque fieri jussit.* XX. *Lucis primigeniæ ratio.* XXI. *Primæ noctis, primique diei ratio.* XXII. *Cur separatâ subtiliori, non statim concrescebat crassior materia.* XXIII. *Unà cum particulis rotundis subtilissimis, quæ conflabant igneam regionem, separata fuerunt multa corpuscula, etiam rotunda; sed majora; quæ aquas superiores constituebant.*

bant. XXIV. *Situs æquarum in Empyræa regione non caret autoritate ſacrâ, neque ratione maximâ, nec inſigni ſimul & generali uſu.*

Actenùs ea, quæ ad rationem atque modum Creationis intelligendum faciebant, afferre conatus ſum; nunc illius opera magnifica, ſimul & ordinem admirandum viâ phyſicâ atque planâ, (in qua maximam partem fieri à Deo certum eſt) per eas, quæ deinceps hîc ſequuntur, ὑποθέσεις exponere dilucidareque pro meis viribus enitar.

I. Deus in principio materiam viſibilis hujuſce Mundi de nihilo fecit, id eſt, creavit : Quia facere materiam, quæ priùs non fuit, eſt reipsâ creare[a].

[a] Vid. Cap. de Creat. Materiæ.

II. Hanc autem materiam (ſi benè conſiderentur argumenta, quæ jam capite ſecundo ac quarto prolata ſunt, rerumque naturalium principia ſubtili nare ſagacique periclitatione priùs indagentur) rectè concipiamus fuiſſe miram quandam particularum omnigenarum congeriem, indiſpoſitam, immotam, laxam tamen, atque vacuolis undequaque ſparſis interpunctam.

III. Quam Moſes expreſsè affirmat Deum feciſſe, atque illam dictione conjugatâ nuncupat *Cælos & Terram*, prout Hebræi vulgò & communiter ſolent : Ipſamque deindè Moſes, quatenùs immota fuit & ſpiſſa, & quaſi limoſa, *Terram vocat :* Mox autem, quia fuit valdè confuſa moles, & quæ fundo carere videretur, *Abyſſum* nominat : Sed quatenùs ea conſtabat *multitudine* particularum, atque, ob ipſarum diſtinctionem inter ſe, laxa fuerit, atque, ſolâ motione adhibitâ, fluida fieret, *Aquas* appellat : Aquæ enim ratio non aliud expoſcit, quàm ut ſolutæ volubileſque particulæ circà ſuum quæque centrum moveant. Et obſervandum eſt Moſem non priùs huic immenſæ moli corpuſculorum, nomen *Aquarum* dediſſe, quàm illam per immiſſum ſpiritum à Deo commotam ſignificâſſet.

IV. Et Abyſſi particulas, vel aquas, à Divino ſpiritu motas ac incitatas fuiſſe expreſsè affirmat, ne quis inſanus opinator omnia ſtatim cœcâ atque fortuitâ concurſatione particularum fieri crederet, quoties ille rudem ac informem materiam ſolâ motione, concurſionéque diſpoſitam, ac in elegantiſſimum hunc, quem videmus, ordinem redactam fuiſſe vel legit, vel audit; ni

ſimul

ſimul intelligeret illum motum, qui fuit inſtrumentum tantæ harmoniæ, Dei quaſi digito plecti ac modulari: atque unà monitus fuerit, quòd iſta confuſa materia, quæ bruta res erat, & pati ſolùm nata, ne hilum quidem potuit agere ad condendum hunc mundum; ſive ſpectaret ejus ordinem, vel ornatum.

Certè quidem non ex Abyſſi tenebris emerſiſſet teuue ac ſplendens Cœlum; non ad Univerſi fundum ſubſediſſet gravis Terra; nec illa amœniſſima varietas formarum, quæ Mundi ſcænam adornat, penecillo naturæ quaſi venditantis ſeſe delineata fuiſſet, & explicata, ſed omnia in perpetuum confuſa atque immota permanſiſſent, & velut aquæ limoſæ porrò ſtagnâſſent, ſi Mundi effector molitórque Deus illa ſpiritu ſuo non moviſſet; hoc &, moveri penitùs & agitari juſſiſſet.

V. Motus hujuſce μεγαλεῖα conſiderantibus elucet Dei ſapientia: Qui quanquam Mundi materiam genere unam atque eandem creârat; non tamen continuam; ſed in particulas, mole atque figurâ diverſas, fractam; nec non ſpatiolis intermediis diſcretam: Quod ſatis apertè docet philoſophus noſter, quando affirmat *Terram* ſive materiam primam fuiſſe תהו & בהו *Tohu* & *Bohu*, id eſt, *materiam informem, & vacuum*. *Tohu* namque rem informem; *Bohu*, vacuum notat [b].

[b] Vid. Cap. de Principiis.

VI. Novit ſapientiſſimus ille Phyſicus Moſes, quòd rerum faciendarum naturæ neceſſaria fuerit diſcreta, & per exiles meatus vacuos disjuncta materia; quià non aliter fieret motus: Novit autem perneceſſarium fuiſſe motum, per quem vis ea data fuit univerſæ materiæ, quam *naturam* vocamus: Quippe non aliud per Naturæ vocabulum rectè intelligi poteſt, quàm motus iſte, quem Dei ſpiritus impreſſit materiæ, quemque infinitâ ſapientiâ perpetuò regit.

Qui quidem motus, ut omnes rerum omnium methodos & actiones hodie præſtat; omnéſque generationes in Mundo continuat; ità ipſas in initio moliebatur & efficiebat: Quâ de re minimè dubitet, quicunque (perindè ut gentium philoſophi ſapientiores aſſolent) τῇ φύσει ἢ νῷ, id eſt, *naturæ mentem* adjungit. Nam licèt ipſa materia bruta res ſit, ita ut neſciat quid agit; immò certè per ſe nihil agit; nihilò minùs in initio, quoniam ab omnipotente ſapientéque digito mota fuit & gubernata; tam variis támque mirandis modis omnia diſponebat, tantâque ra-

ratione cunctas res Universi gerebat, ut omnia sciviſſe, atque omnia intellexiſſe videretur.

VII. At si ad motionem materiæ tam potens semper, & intelligens adsit, atque semper influat spiritus, ut illi mirifica Dei conditoris opera tribui possint, imò debeant; Oportebit sapientiæ physicæ Venatores humilitèr ac modestè quidem, sed diligenter inquirere, quâ methodo motionis usus sit Deus, quandò è confusione, ordinem; è tenebris, Lucem; atque è Chao, Mundum produxit.

Nimis alta sapere, secretásque vias Omnipotentiæ curiosiùs investigare perscrutarique velle, certè audax foret, atque nefandum consilium: Verùm tamen ea, quæ Moses ipse (qui Θεοδίδακτος fuit) aut expressâ narratione declaravit; aut vi verborum suorum significari voluit, quà physica sunt, industriam philosophantium liberè permittunt, si non & poscant. In quibus utique tractandis, quià sensibus haud semper apparent, philosophi justè ac meritò credant se munus suum benè compleviſſe, sufficientésque demonstrationes attuliſſe, si clarè ostendant, illa sic fieri potuiſſe, prout explicârunt.

VIII. Quæ sua sunt ergò decentèr agant naturalis scientiæ studiosi. Primò quidem (quià neque reclamant sacræ literæ, nec obstat recta ratio) fidentèr supponant (quod antiquiſſima philosophia tenuit) Abyssi particulas etiamsi minutiſſimas, haud adeò tenues & exiles fuiſſe, ut non in alias etiam minores, suâ naturâ divisibiles sint, atque adeò primam materiam à Deo factam, non propriè fuiſſe *Atomos*, id est, *res insectiles*; at perexiguas quasdam materiei moleculas, ex aliis ejusdem farinæ minutiis constantes: ipsasque præterea non tam regulares habuiſſe figuras, neque tam concinnè vel ordinatè junctas, ut sese penitùs absque ullo intervallo tangerent; at inter exiliſſima sua corpuscula multa quidem, sed una aliis plura atque majora spatiola continerent.

Secundò supponant Mosen per illum motum, quo ciebantur *Aquæ*, (scilicet Abyssi particulæ) duo genera Motionis intellexiſſe; Unum, *Preparationis*; alterum verò, *Separationis*.

IX. Primum genus motionis (quod universam materiam præparabat, eamque ad primas suas concretiones ineundas disponebat) fuiſſe *transversum*, & quod particulas omnes inter se

variè

variè miſcebat : Quod eâ re factum concipiat, ut illæ, poſt varias obviationes occurſionéſque, ſimilibus ad ſibi ſimiles applicatis, appoſitè coirent, conjunctiſque lateribus aptis & congruentibus inter ſe cohærerent, & concreſcerent.

Nec apparet aliquid rationi magis conſentaneum, quàm quòd *prima Concretio* particularum per contactum ſuperficierum ſuarum ſolummodò fieret ; & quòd Deus talem huic confuſæ ſtagnantique materiæ motum dabat, ut ejus particulæ, aliæ ad alias ſimiles allatæ inter occurſandum ſe ſiſterent, ſuperficiéſque ſuas arctè conjungerent & adunarent.

Et æquum eſt ut concipiat hunc primum motum materiæ (qui particulas aptas & appoſitas, poſt varias fortè collationes, aſſociebat) non fuiſſe turbulentum quendam, & tanquàm à magno vento (quod putant nonnulli) concitatum , ſed lenem potiùs atque pacatum, coitioni cohæſionique particularum magis idoneum : Quippe ſi Creatori placuerit, ut Univerſæ particulæ non niſi laterum ſuorum benê congruentium decenti applicatione coaleſcerent ; neceſſe erat ut moderatus exiſteret iſte motus, qui benè concordantia corpuſcula ſic adjungi ſineret, ut cohæreſcerent.

Moſes ergo,qui dixit,quòd רוח אלהים מרחפת id eſt,*Spiritus Dei motabat* in ſuperficie Aquarum, non ita intelligendus eſt ac ſi per *Spiritum Dei* vellet *magnum ventum* notari ; (prout quidam Judæi, nec non alii ſentiunt ; quoniam *ruahh* ſæpenumerò *ventum* ſignificat ; & Hebræorum mos eſt appellationibus addere *nomen Dei* ad res ipſas magnifaciendas adaugendáſve) ſed ipſum Deum ; vel, ut ornatè loquitur doctus vir [c] (& quod eôdem recidit) πνεῦμα ὅλων ποιητικὸν τε καὶ δημιουργητικὸν δύναμιν, id eſt, *vim omnium rerum effectricem, atque fabricatricem :* Quæ movebat Aquas ſive particulas Abyſſinas vel Chaoticas, eo motu, qui concretioni ſimilium particularum maximè conveniebat.

[c] Euſebius in Præp. Evan. l. vii. c. xi.

X. Per hunc primum genus motionis optimè ſupponamus ea corpuſcula, quæ parilia fuerunt,ſic coiiſſe, & ſic connexa fuiſſe, ut hæc, igneas moleculas ; illa, aëreas ; aqueas alia ; vel terreas efficerent ; non tamen ipſa elementa conficiebant: ſed talia duntaxat, & ita figurata corpuſcula, ut ex illis ſtatim quatuor elementa noſtra, ſcilicet Ignis, Aër, Aqua & Terra, per congreſſionem concurſionémque ſuam ſolummodò fieri poterant.

Et

Et ſupponamus eam concreſcendi rationem, quæ fuit prævia diſpoſitio materiæ ad res omnes ſubinde formandas, perſeverâſſe totum illud ſpatium temporis, quo generalis illa nox ſive caligo, quæ erat ſuper faciem Abyſſi, durabat ; & tam diu mitiorem fuiſſe Abyſſi concitationem, quàm quæ particularum coalitionem turbaret.

XI. Sed præter hoc primum Genus motionis, per quod ſingulæ particulæ inter ſe commiſſæ fuerunt; aliud genus à philoſophis eſt ſupponendum quod per *Circuitum* fiebat, quo tota moles Abyſſi rotabatur: Hoc ſi philoſophus ad finem primæ noctis, ante primum Mundi (liceat ità loqui) diluculum, à Deo concitatum fuiſſe credat, habeat certè per quod ſemet optimo philoſopho Moſi conformem cenſeat: Quippe cùm, docente Moſe, Deus juſſerit, ut *Ignis* & *Lux* fieret, conſequens fuit, ut juberet etiam *motum* hunc *verticoſum* fieri, qui lucem atque ignem produceret ; ad modum poſthac explicandum.

XII. Non me latet hunc motum à Philoſopho noſtro Moſe non expreſſum fuiſſe, (nam illi placuit utrumque motum per unum vocabulum motionis indicare) non tamen inconſultè neglectum ; tùm quià brevitati mirum in modum ſtuduit ; tùm quià cujuſvis ſenſibus obvium eſſe novit : Et communis ratiò cuilibet Iſraëliti (cui tunc temporis haud ignotus fuit Cœli motus) ſuggerebat eundem motum circularem ob origine conſtitutum fuiſſe ; quem cuncta ſecula nunquam non ſentiiſſent, atque etiam tunc unuſquiſque dies noctéſque perciperet.

Nec ab Hebræorum, qui degebant in Ægypto, communi notitia ſolummodò, ſed & ab illa voce, quâ vulgò ſolent Orbem cœleſtem notare, concludamus in ea ætate ſatis notam fuiſſe Munni vertiginem. Nam ſphæram cœleſtem vocabant גלגל *Galgal*, à circulari ſuo motu.

Totius etiam materiæ creatæ circuitum in initio (priuſquam terraqueus orbis concreſcendo conſiſteret) ante ætatem Moſis indigitat inſignis ille philoſophus Jobus ; ipſumque omnes ferè quotquot inter Gentes præcelluere philoſophi memorant. Illi namque pro vetuſtiſſima traditione motum materiæ primæ, quæ ad Coſmopœiam faciebat, eâdem ſignificatione, quâ Græci Δίνλω, id eſt, *vorticem* vel *gyrum* vocabant. Hunc inquam, circularem motum (prout notum eſt eruditis) Ægyptiorum, Phœnicum, Chal-

Chaldæorum, ſimul & Arabum ſapientia prædicat; hunc itidem, poſt illos, antiquiſſima Græcorum Philoſophia decantat, eique generalem Mundi formationem tribuit.

XIII. Aſt ut Univerſæ naturæ ſpeculatores veram Coſmologiæ rationem concipiant; obſervandum eſt Mundi Opificem non modò toti materiæ creatæ circularem motum dediſſe; ſed & hanc ei motui legem ſanxiſſe, ut, *Quicquid in Orbem vertitur, centrum ſui motus ilicò relinqueret; & ab illo quantùm poteſt maximè recederet*, idque promptiſſimè, quod eſt ſubtiliſſimum. Quâ quidem regulâ conceſsâ promotâque (concedi verò promoverique debet, quod in natura rerum ſemper obtinuit) non difficile erit Creationis Ordinem atque modum, quem nobis ſummus ille philoſophus Moſes exhibuit, ſuâ ratione dignoſcere; atque ipſum κατὰ τὸ ῥητὸν exponere.

XIV. Sed priuſquam pro Moſaica methodo procedam, tum rei natura, tum ratiocinii claritas exigit, ut explicatiùs enarrarem, qualia ſint, quibuſque notis diſtingui debent, quatuor illa genera concretorum corpuſculorum, quæ Mundi formandi proxima fuerunt Principia; nimirum illa, quæ Cœlum primum vel *Empyræum*; quæ Cœlum alterum, vel *Expanſum*; quæ *Aquas*; & quæ *Terram*, ſolâ congreſſione ſuâ conficiebant.

Primò quidem rectè concipiamus quatuor haſce concretorum ſpecies inter ſe diverſas fuiſſe non materialis ſuæ naturæ diſtinctione; ſed figuris, & vario particularum, quæ concreverant, ſitu: Prætereà concipiendum eſt horum minutiſſima fuiſſe rotunda, ſimulque (proptereà quòd pro mole ſuâ minimas habuerunt ſuperficies) ſubtiliſſima, pariter & agiliſſima; ideóque ad vim igneam atque luminoſam concipiendam exerendámque, ſi modò ab omni craſſiori materia ſecernerentur, apta nata fuiſſe. Hæc ego rotunda corpuſcula, quæ ſubtiliſſima ſunt, diſtinctionis gratiâ *Pilulas* appello.

Nam certum eſt experientiâ, quòd rotundæ formæ non igneis ſolummodò particulis, aut concretionibus; aſt & Aqueis attribuendæ ſint: Eo tamen diſcrimine, quòd Aqueæ multò majores exiſtant, & læviores; atque ſuam per omnia volubilitatem fluidæ naturæ conflandæ peraptam proferant: Has ergò particulas *Globulorum* nomine potiùs appellandos exiſtimo.

Præter

Præter hæc quæ recenſui, corpuſcula, ſupponendum eſt innumera alia adhuc in Abyſſo ſuperfuiſſe, craſſioribus involuta; quæ non ineptè concipiamus eſſe *longula*, & adinſtar *exilium bractearum* formata: atque per figuras ſuas ità comparata fuiſſe, ut ubi liberè moveant, magnum ſibi ſpatium vendicent; ſeque diſpandentia pertenue illud corpus efficient, quod Veteres *Inane* dixerunt, & ejus inferiorem partem jam nunc *Aera* vocant.

Quartum genus Corpuſculorum, quod reſtat adhùc enuntiandum, cæteris omninò craſſius atque gravius éxiſtit; itemque propterea quòd formas varias atque multiplices indutum ſit, ad innumeras variéque mixtas ſpecies producendas optimè diſpoſitum: Quod Terreum eſt.

Hic etiam recenſenda ſunt minutiſſima quædam ramenta materiæ, figuris ſuis varia, atque pilulis ipſis exiliora:

Nam, quia nulla concreta corpora concipiantur eſſe tam firma, ut non ictibus aliorum concretorum, modò violenti ſint, effringi conterive poſſint, vix credibile eſt, ut non multa corpuſcula, mox à ſecunda ſua concretione, dum gyrantur, ſeque mutuò feriunt, atque perniciſſimè concutiunt, diffringi quotidiè deterive ſoleant.

Hinc non dubitandum eſt quin plurimæ non ex aliis particulis craſſioribus ſolummodò, ſed & è ſubtiliſſimis iſtis ſphæricis, quæ *pilulæ* dicuntur; & quæ jam partes ſuas egregias agunt in naturæ muniis exequendis, per ſuam velut arietationem concurſionémque nullo non tempore fractæ tritæve ſint: (quod præſertim in corpore ſolari per violentam actionem pilularum fieri concipiendum eſt) Ut neceſſe ſit iſta detrita ramenta, ſimul & anguloſa eſſe, atque puſilliſſima, pilulis ipſis etiàm minutiora.

Non tamen ea ramenta in numerum Principiorum ducenda cenſeam, quià licèt minùs habeant magnitudinis quàm pilulæ; plùs tamen ſuperficiei, pro mole ſuâ, quàm pilulæ, præ ſe ferant; atque propter angulos ſuos, ut ut exiliſſimos, tam prona ſunt ad concreſcendum cum corporibus aliis, ut nec ad Cœli ac Terræ commercia continuanda, nec ad res omnes agendas in hoc aſpectabili mundo, tam parata ſint & habilia, quàm pilulæ: Ipſa tamen, ut pilularum ſubſidia, reſque viribus Ex-

panſi

panſi promovendis, continuandis, reſtituendiſque ſubſervientes meritò ſuſpiciamus.

XV. His ità conceptis, & explicatis, eò clariora videbuntur omnia, quæ poſthàc ad Creationis hiſtoriam dilucidandam phyſicè dicenda ſunt. Quocircà, jam reſumpto Coſmopœiticæ rationis argumento, fidentiùs aſſeramus ea ſubtiliſſima corpuſcula ſphærica, (quæ pilulæ ſunt dictæ) ſimul ac circulari motione concitaretur ingens Abyſſi moles, à centro ſui motus ilicò receſſiſſe; & craſſiora corpuſcula, quæ ad motum minùs apta fuerunt, ad medium cedere coegiſſe. Rei, motioniſque per circuitum actæ ſpeciem atque modum (ſi poſſit magnum cum tam parvo comparari) monſtrare videtur Patellæ aut Vaſis alicujus hemiſphærici, pulvere vel arenis impleti, circumactio: Nam ſi quis iſtiuſmodi vaſa, pollinctorum more circumageret, quicquid eſt in illo Vaſe craſſæ molis, ad centrum vorticis iſtius ferri ſtatim videbit, tenuiori materiâ ad circumferentiam projectâ: Quod & Agricolas (etiamſi phyſicæ rationis ignari ſint) haudquaquam latet, qui ut frumentum ſuum purum putum redderent, denſiori cribro commiſſum verſant gyratis manibus; eodemque motu lolii atque rapiſtri ſemina minutiſſima, promptiùs ad oras incerniculi volitantia tranſmittunt, unà & craſſiores ſiliquas & uterculos in medium cogunt; eóſque ſic à frumento, quod devolutum erit ad cribri marginem, benè ſecernunt.

Hinc ergò, cùm rotunda corpuſcula, quæ fuerunt ſubtiliſſima, ſimul & agiliſſima, ſic à reliquis Abyſſi particulis ſeperata fuerint, atque ad ejus extimam ſuperficiem copiosè delata; facilè concipiamus ipſa confeſtim, per admirandam motus actioniſque ſuæ celeritatem, vim igneam concepiſſe; ibidemque magnam quandam ſphæram igneam conſtituiſſe; ſimul & ſupremum illud (quod naturale eſt) Cœlum parâſſe.

Orbis hic planè videtur eſſe *Circulus* ille vel *ſphæra*, quam ſapientia *affirmat ſe feciſſe in ſuperficie Abyſſi*, *quandò præparabat cœlos* [c]. חוג *hhoug* enim propriè ſphæram vel orbem ſignificat: & hîc ipſum *Cœlum* notat. Ut & alibi [d] ubi *Deus dicitur perambulare ſphæram vel globum cœlorum.*

[c] Proverb. c.8. c.27.
[d] Job. 22.

XVI. Non autem mirum videri debet, quòd Moſes Univerſæ materiæ gyrationem in initio Creationis haud expreſſiùs atque pleniùs enarrabat; vel materiæ ſubtilis & igneæ ſeparatio-

nem à craſſiori; vel ejus aſcenſum ad ſuperiora; & igneï cœli vel Empyræi confectionem non dilucidiùs indicabat, ſi modò benè conſideremus (id quod veriſimillim eſt) hæc omnia, vel ante Moſaica tempora, vulgò nota fuiſſe: ſupremúmque cœlum (illud intelligo quod materiale eſt) ab omnibus illo tempore dictum eſſe *igneum.*

Certum eſt Ægyptios (apud quos, etiam dum viveret atque floreret Moſes, Aſtronomia, ſcientiæque mathematicæ, (teſte Philone, communes erant) hanc Coſmologicam doctrinam tanquam traditionem veterem, vulgóque notam veritatem celebrâſſe: Et valdè probabile eſt Græcis etiam circa Moſaica tempora cognitâ fuiſſe hæc ipſa initia Coſmopœiæ: ſcilicet Ignis aſcenſionem ad ſupremum ambitum materiæ Coſmopœiticæ; quia certum eſt ex antiquiſſimis omnium Philoſophorum Græcorum, quotquot exſtant, memoriis, hanc fuiſſe ipſorum doctrinam, adeóque prout veriſimile eſt, eorum etiam qui tempore Philoſophi noſtri Moſis vivebant: quoniam ante illud tempus quo Moſes ſuam Geneſim ſcripſerat, Ægyptius quidam, nomine Cecrops, ut aliis ſcientiis, ita & aſtronomiâ ſpeciatim, Græcos erudiiſſet: proùt colligere eſt ex illis Senecæ, Nat. quæſt. l. 7. cap. 25.

Multò autem magis arbitremur ante ea tempora familiarem fuiſſe Iſraëlitis Ægyptiacis hanc ipſam mundi formandi rationem; ſi diligentèr animos noſtros attendamus ad ea omnia, quæ de illis, in capite de Iſraëlitis Ægyptiacis, à me prolata ſunt.

Maximè ſi credamus, quod veriſimillimum eſſe probavi, philoſophiam corpuſcularem longè ante ætatem philoſophi noſtri Moſis in communi uſu fuiſſe; atque daremus id (quod familiare eſt huic philoſophiæ pronuntiatum) ſcilicèt *ignem* è ſubtiliſſimis atomis inter ſe vehementer agitatis oriri; porróque legem hanc motûs circularis (utì res ſubtiliſſimas è Centro ad circumferentiam rotaret) ante oculos noſtros haberemus; nequiremus ilicò non agnoſcere, quòd, ſimul atque Deus Abyſſi materiam commoviſſet verticosâ motione (quæ durat adhûc) ſubtiliſſima corpuſcula protinùs à craſſiori materia, ad centrum detrusâ, recederent; atque regionem igneam in extima ſuperficie conflarent.

Ut non ſine ratione maxima concipiamus Moſem (qui ſummâ brevitate hiſtoriam Mundi conditi perſtringere deſignârat,) (hanc incipientis hujuſce Coſmopœiæ rationem, igneique cœli

vel

vel Empyræi fabricationem ſat explicatè propoſuiſſe ad commune judicium, atque ad intelligentiam popularem accommodâſſe, quando inducebat Jehovam magnificè jubentem יהי אור id eſt, *ſit ignis*. Quod perindè erat, ac ſi juſſiſſet Abyſſi corpuſcula ſubtiliſſima, quæ fuerunt ignea, per ejus motum circularem ſegregari à cæteris; & ad ipſius ſuperficiem convolvi; ibidémque ſphæram igneam conſtituere: Vix etenim putemus ignem eſſe aliud, quàm confertam ſubtiliſſimarum particularum ſphæricarum perniciſſimè commotarum copiam.

At ne literati viri doctrinam hanc redarguant tanquam ſolivagam, vel exprobrent mihi jejunam atque anguſtam illam notionem, quâ concepi tam inſignem partem Coſmogoniæ Moſaicæ per unius voculæ, ſcilicet *Ur*, columnellam ſtabiliri poſſe; idque mihi loco contumeliæ regerant, velim ut advertant, quòd celeberrimi Scriptores, majorúmque Gentium, prout loquuntur, ſapientes etiam per unius Syllabæ titulum, nempe *Gan*; omnibus numeris abſolutum *Paradiſum*, in rerum naturam invehere ſategerunt: quod tamen authoritate ſacrâ penitùs invitâ tentârunt: prout oſtenſum eſt in primo capite circà finem.

Certum eſt interim Deum in initio moviſſe univerſam materiam, (nam ſpiritus ejus movebat *aquas*, quæ erant prima materia) eamque rotâſſe gyranti motu, qui durat adhuc; (excepta in eâ parte, quæ tertio die concreſcebat) atque per iſtiuſmodi motum ſubtiliorem partem materiæ propuliſſe ad ſuperficiem: eam namque motui, qui per circuitum fit, legem dabat Deus, ut res ſubtiles à centro ſuæ motionis recedere cogeret.

Quocircà maximæ rationi conſentaneum eſt, quòd ea, quæ primò gyrabatur materia, fuerit agiliſſima ſimul & ſubtiliſſima; eâque de causâ prorsùs ignea, quæ non potuit non regionem ætheream, (ab ardendo ſic dictam) conſtituere. Cum qua veritate benè concordant Gentium memoriæ, pœnéque omnes ab ultima antiquitate ductæ traditiones optimè conſentiunt.

XVII. Harum ergo ſubtiliſſimarum, vel ignearum particularum ſeparationem à materia craſſiori (cùm primùm rotaretur Abyſſus) atque aſcenſum ad ſuperiora; nec non orbis Empyræi conflationem, tanquam generalem, & à phyſicis omnibus acceptam veritatem planè & expreſsè memorat antiquus & egregius ille philoſophus Hippocrates [e], ubi ait, Θερμὸ τὸ πλεῖσον, ὅτε ἐταράχθη

[e] in lib. de Carn.

ἐταράχθη πάντα ἐξεχώρησεν εἰς τὸ ἀνώτατον περιφορὰν, καὶ ὀνομάσαιμοὶ αὐτὸ δοκέουσιν οἱ παλαιοὶ αἰθέρα, id est, *maxima pars calidi* (vel igneæ naturæ) *cùm omnia commoverentur, ſeceſſit in ſupremum ambitum* (vel orbem) *quem Veteres mihi videntur appellâſſe Æthera.*

XVIII. Abhorret à communi ſenſu Commentatorum (quod non infiteor) inſolens iſte, ac multis ſeculis inſuetus uſus Hebræi vocabuli אור *Ur* vel *Our*, quem nunc promoveo, quemque rectè ad veram Coſmopœiam reſtituendam cenſeo revocandum: Neque mihi mirum videatur, ut inter homines exoleſceret & prior & inſignior iſtius verbi notatio, cùm per occaſum veræ philoſophiæ (quæ funditùs excidiſſet ex Hebræorum memoriis ( ) antè ætatem Ariſtotelis) ſimul & per immutationem principiorum ab illo factam, faciliùs eveniret, ut Moſis interpretes, ubi neſciebant omninò, quid *Ignis* in initio rerum faceret, quibuſve rationibus inchoaret fabricam atque ornatum Mundi, non niſi *Lucem* per illud verbum ſignificari crederent: Per quam doctrinam protinùs exponebant eam lucem Momis & Irriſoribus illudendam, tanquam rem vanam, *ſine fonte ac ſine ſcaturigine:* Porrò etiam, quoniam in tribus primis diebus nullam concipiebant eſſe neceſſitatem Lucis abſque igne, Moſem ipſum jocis atque ſillis, impiiſque dicteriis impetendum tradebant; ac ſi Deum induxiſſet jubentem, *ut Lux fieret, tantùm ne videretur in tenebris operari.*

Siniſtra hæc interpretatio verbi iſtius (quo tanquam cardine vertitur janua Coſmogoniæ Moſaicæ) aditum veritati præcludebat; in ipſo introitu ſiſtens atheos, inclamantes, *ô ſtoliditatem*; philoſophos, ἀθεωείαν culpantes; & alios omnes ferè nihil præter *allegoriam* cernentes.

Cùm certum ſit Moſem (qui rerum origines, ſi quis alius unquam, benè calluit; & qui in ſummis ſuis conſiliis habuit Creatoris opera prædicare; ſurgentiſque naturæ methodos atque modos unicuique notos facere) non ſuppoſuiſſe figuras aut ænigmata, non ſcrupos, aut parabolas, vel nebulas illuſionis, ſed naturalem hiſtoriam; brevem quidem, ſed veram, ſimul & vetuſtiſſima ſapienti ſatis claram. In qua Moſes pro illa ratione, quam Deus ad omnes omninò generationes inchoandas adhibuit, primò *Ignem* à Deo factum docet; ut calor ejus cæteris poſteà digerendis præparandiſque deſerviret. Item ut ignis ille (poſteaquàm

quàm Deus Abyſſi materiam commoviſſet) ad extima confeſtim devolveretur; atque *cœlum empyræum* vel (quod idem eſt) *æthereum* conficeret, quod exinde calorem atque lucem diffunderet.

Hanc noſtri philoſophi mentem fuiſſe, non inſcitè ex eo colligi poteſt, quòd omnes ferè priſci philoſophi vel à vetuſtiſſima communiſſimaque traditione moniti; vel à ſcripto Moſaico perſuaſi, conſtantèr aſſerebant *Ignem* in opificio mundi priùs emicuiſſe. Nimirùm, quando omnia commota fuerunt in Chao, Ignem tanquam rem leviſſimam ad ſuperiora volâſſe, & regionem Cœli, quam vocabant *æthera*, conſtituiſſe [f], inſigne eſt illud teſtimonium rei, quod ſupra tulit Hippocrates. Cui Θερμὸς eſt *Ignis*, ut ſæpenumerò a veteribus Græcis accipitur, qui promiſcuè ſolent uti vocibus Θερμὸς & πῦρ, ità ut illâ, *Ignis*, hâc *calor* diceretur. Sic febrilis *calor* etiam πῦρ appellatus fuit.

[f] Vid. Cap. de Igne primigenio vel de Cœlo primo.

Congruentèr itaque naturæ, ſimul & philoſopho noſtro Moſi concipiamus rotundas haſce particulas ob omni materia craſſa ſegregatas,& ad ſupremos Abyſſi limites evectas effeciſſe immenſum illum Orbem igneum, ſive Primum Cœlum quod vetuſtiſſimi ſapientes appellabant Ἔμπυρεῖον, id eſt, *Ardens*; ipſumque Græci vocabant αἰθέρα, *æthera*, ſic dictum ab *ardendo*, prout notat Cicero.

XIX. Eo etiam ipſo mandato, quo Deus ignem; lucem quoque fieri juſſit: Quia lux non eſt aliud, quàm Ignis effluxio: ſic ut, ubicunque nitet ignis, ibi Lux quoque ſplendeat: Moſes ergò ſapientèr utrumque denotat eodem vocabulo; nam vox Hebræa, ſcilicet אור *Ur* vel *Our*, quâ hic utitur, tam *lucem* quàm *ignem* ſignificat.

XX. Quæ phyſica ſanè ratio eſt: illæ namque ſubtiles & igneæ particulæ,ſic a craſſiori materia,totius Abyſſi rotatione,ſeparatæ, ſuique juris factæ, mox hâc & illàc agiliſſimè volitabant; ita ut non modò ſemet arietarent, ſed & depreſſam materiam quaquaversùm ferirent, & impellerent eâ actione, quam *Lucem* dicimus. Quippe nihil aliud in natura Lucis intelligi debet, quàm ſubtiliſſimarum particularum jugitèr influentium vegetus & pernix appulſus. Quæ quidem particulæ dum ſufficienti copiâ feriunt nervos opticos, & lucentis ſimul & illuminati ſenſum creant.

Hanc

Hanc Lucem vetuſtiſſimi, non Hebræi tantùm, ſed & Gentium philoſophi πρωτογονῆ, id eſt, *primogenitam* nominabant: illamque agnoſcebant eſſe ortum primi Diei, ſoliſque futuri materiam. Ut non inſcitè philoſophatus ſit Empedocles, ubi lucem hanc vocat ἥλιον ἀρχέτυπον, id eſt, *ſolem originalem* [g] & *primigenium.*

g Plutarch. in Plac. Philoſ.

At ea actio particularum ſphæricarum, quæ eſt Lucis ratio, quanquam minor atque debilior exſtitit in principio, quàm quæ poſteà per ſolis radios fiebat; tanta tamen fuit, quanta ad primum Mundi diluculum, ſi ita loqui liceat, accendendum ſufficiebat. Ut ſi quis eo tempore Præadamita (ventoſus iſte, Cerebri vana concipientis, homunculus) in vivis eſſet, Abyſſi depreſſi ſuperficiem per celeres atque ſubtiles ictus iſtorum corpuſculorum ſive pilulârum colluſtratam vidiſſet. Nam vidit Deus hanc Lucem eſſe bonam.

XXI. Ut non ſine maxima veriſimilitudine credamus primum Diem ſic illuxiſſe; atque à Nocte (ſcilicet ab eâ caligine, quæ ab ipſo momento Creationis, ut credibile eſt, ad ſpatium duodecim horarum fuit in ſuperficie Abyſſi, vel materiæ primæ) diviſam fuiſſe; quatenùs iſtæ ſubtiliſſimæ atque igneæ particulæ vi motûs iſtius, quo gyrabatur Abyſſi moles, à reliqua materia craſſiori ſeparatæ, ſuperiora petebant, atque nitentem lucentemque ſphæram, Cœli Empyræi nomine celebrem, conficiebant.

Extimus ille Orbis Abyſſinæ ſive Chaoticæ materiæ, ſic, ut ſuppoſui, colluſtratus, à Deo dictus fuit בקר *boker*, id eſt, *mane*; & tenebræ, quæ priùs erant in iſto orbe, dictæ ſunt ערב, *ereb*, id eſt, *veſpera*; & utrumque junctim יום אחד *jom ehhad*, id eſt, *dies unus* appellatus fuit; propterea quod totius Abyſſi tenebræ, quæ duodecim horas à Creatione durâſſent; & hujus Orbis illuminatio, quæ totidem quoque perſtitiſſet, priuſquam deus Expanſum fieri juſſerat, omninò complêrant illud temporis ſpatium, quo diem naturalem metimur.

XXII. Subtilis iſta materia (cùm ſecreta fuerit à craſſiori, & ad ejus ſuperficiem ſublata) Diem primum per actionem ſuam luciferam faciebat: At quæ tunc ſubſidebat, aut versùs centrum depreſſa fuit materia, quamvis ea multùm ſpiſſior fieret, nondum tamen denſa, nedum compacta fuit reddita, eò quòd innu-

innumeræ adhuc, proùt opinari licet, tum rotundæ, tum longulæ particulæ, commiſtæ commotæque, fortitèr impediebant, quò minùs aliæ curvæ, craſſæ, ramoſæque particulæ coaleſcerent, & in ſolidiorem compagem ſe conglobarent.

Voluit etenim ſapientiſſimus Univerſi Creator ut ſeparatorius iſte motus Abyſſi, qui per circuitum fiebat, plus adhuc ad Mundi ornatum atque perfectionem faceret, priuſquàm craſſiſſima pars iſtius materiæ concreſceret. Quippe non potuit verticoſus iſte motus, non potuit, inquam, pro lege Conditoris huic motui datâ, non alias etiam tenuioris fili particulas, inter Abyſſi craſſiora corpuſcula motantes adhuc, ſejungere, atque ad exteriora projicere; quas Deus ad Opus diei proximi peragendum deſtinârat.

XXIII. Sed priùs quàm tranſeatur ad illud Opus, Obſervandum eſt (id quod meritò ſupponi debet) unà cum ſubtiliſſimis illis primi diei particulis, (quas ob ſphæricam ſuam figuram, minutiorémque magnitudinem pilulas appellavi) multa alia quoque rotunda corpuſcula de reliqua mole craſſiori, per Abyſſi gyrum, ſegregata fuiſſe; quæ quià majora pilulis exſtiterunt, at lævia fuerunt, & volubilia, *Globulorum* nominè potiùs agnoſcenda judicavi: Illæ quidem ad ignem, hæc ad aquam conflandam nata. Quorum ea quæ minima fuerunt inter globulos, quoniam lævia fuerunt, & volubilia, facilè concipiantur eâdem, quâ Pilulæ, vertigine convoluta, in primo die ſimul ad extimam ſuperficiem ſublata fuiſſe, atque ad ſupremam ſphæram pariter efficiendam concurriſſe.

XXIV. Quæ quanquàm multis videatur abſona prorſus & abſurda ſententia, ſummam tamen ſecum adducit autoritatem, probatáſque rationes. Nam veras atque naturales aquas in ſupremo cœlo ſtatuerunt Hebræorum philoſophi vetuſtiſſimi, qui Cœlos idcircò שמים *ſhamajim* dictos exiſtimabant, quòd aquas inter ſua corpuſcula continerent: Indéque vocabulum illud, *vel* ab אש & מים id eſt, ab *igne* & *aqua* (quod ſupremum cœlum igneum ſpeciatìm notat) compoſitum eſſe credunt. Et communis apud eos opinio fuit, Deum ſumpſiſſe ignem & aquam, & ex illis Cœlum feciſſe. *Vel* ortum eſſe illud vocabulum, ex שם *ibi* מים *Aqua*; ut cœlum hoc inferius etiam comprehenderet: neque enim particulis aqueis deſtituitur hoc cœlum. Sed

in illo pars *conſtituens* eſt Aqua; in hoc autem potiùs *accidentalis* eſt, & *tranſitoria.*

Has aquas etiam ſtatuerunt ſacræ literæ, nec illæ tantùm, quas ſcripſit Moſes, qui ſuperiores aquas elatè prædicat; ſed & illæ etiam, quas exaravit divinus & philoſophicus ille Pſaltes David [h] ubi hortatur *Aquas, quæ ſunt ſuprà cælos, Deum laudare*; & [i] ubi ait, *Deum contignaſſe cœnacula ſua in aquis*: Et alibi *de cœnaculis ſuis montes adaquare* [k]. Nam per cœnacula intelligi debere ſupremas regiones cœli, vix dubitandum reliquerunt argumenta, quæ in capite de Aquis Chaoticis eâ re prolata ſunt.

[h] Pſal. 148.
[i] Pſal. 104. 3.
[k] Pſal. 104. 13.

Nec deſunt rationes, quæ ſupremarum aquarum probabilitate percutiant animos noſtros: quas exhibebunt Lectori Caput prædictum; & quod eſt de Igne ac Lumine primigenio. Certè quidem non exiguus uſus aqueorum globulorum videatur eſſe in Empyræo cœlo, tum ut ardorem ignearum particularum temperarent; tum ut augerent earum Lucem, tanquam chryſtalla; nec non ut inſignes atque ſubtiles quaſdam naturas, quas Orbis iſtius ignea corpuſcula per actionem ſuam validam atque perpetuam concinnent, hæc aquea recipiant & imbibant; atque ad inferiores orbes deferant per Expanſi rotas; (de quibus in ſubſequenti capite pleniùs) Illæ enim promptè transferunt aſpirationes orbium ab uno ad alium; atque ità commercium quoddam inter univerſos agitant & ſtabiliunt.

Nec obſtabat eorum gravitas, quò minùs in initio (totius Abyſſi gyratione) cum pilulis ſive particulis igneis unà ſuſtollerentur in ſupremam regionem, ac in ea detinerentur; quod abundè probatur in eodem capite, *de Aquis chaoticis*: Et *de igne ac lumine primigenio.*

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De Opere ſecundi Diei.

Syllabus. I. *Perſiſtente gyratione Totius, brevi ſeperabantur aliæ particulæ ſubtiles, quas longulas eſſe concipiamus.* II. *Illæ circà centra ſua propria nunquam non rotatæ conficiebant inferius Cœlum, quod dicitur* Expanſum. III. *Hoc Cœlum ab Orbe terrarum protenditur uſque ad Cœlum Empyræum.* IV. *Moſes & Hebræi duos tantùm Cœlos naturales agnoſcunt.* V. *Cur Deus opus ſecundi diei non dixit bonum eſſe.* VI. *Quâ ratione Dies ſecundus appellatur.* VII. *Cur verticoſa motio totius non ita longulas particulas à craſſa materia liberaret, ut Diem ſecundum ſtatim redderet ſerenum.* VIII. *Quanquam ſubtiliſſimæ particulæ ſemper & affatim ſint in Expanſo, ſolæ tamen Longulæ ſunt iſti cœlo propriæ.* IX. *Natura Cœli ſyderei non differt ab Aerea parte, niſi propter vapores in eam ſublatos à terraqueo Orbe, ob quos dicitur Atmoſphæra.* X. *Per decem poſtulata facilè concedenda, longularum particularum vires ita explicantur, ut efficiendis illis quæ tribui ſolent Aeri, ſufficiant.* XI. *Cur Deus, cùm generationem Cœli ſuperoris, aut Empyræi, naturæ commiſiſſet;* Expanſum, *quod eſt inferius, ipſe compleret.* XII. *Per Expanſi prædicata concipiatur quid Egit in orbe Terraqueo conglobando.* XIII. *Sapientia Moſaica cernitur in Eligendo vocabulo, quod Expanſi vim contrariam notaret.* XIV. *Per illud vocabulum non inferri potuit ſoliditas iſtius Cœli.* XV. *Expanſi mira vis compreſſiva, per quam non modò Terram atque maria, ſed & Solem ac Lunam atque omnia ſydera continet intra ſuos limites.*

Uanquàm primo die maxima ſubtiliſſimarum particularum ſeparatio fieret ; magna tamen adhuc exilium particularum copia craſſioribus Abyſſi ramentis immixta reſtabat, donec eadem vis motionis iſtius verticoſæ, Dei digito continuatæ, novam porrò magnamque minutarum particularum (cum multis aliis majoribus involutis) ſecretionem fecerat : Quippe cùm perſeveraret gyratio Totius, & craſſior Abyſſi moles particulis adhuc laxis & commotis etiam conſtaret, non potuit non circularis iſte motus innumeras exilioris formæ particulas ſurſùm propellere, craſſiori materiâ verſus centrum detrusâ.

II. Quocircà ſi concipiamus haſce particulas fuiſſe longulas, & aliquantillùm latas, adinſtar bractearum vel tæniolarum, duras attamen, aut minùs flexiles ; & credamus eas (innumeris anteà craſſioribus exutis atque diſcuſſis) liberè moveri poſſe circà ſua propria centra (talem namque motum bracteis hiſce, propter uſum ac utilitatem Univerſi, datum fuiſſe à Deo ſupponamus) neceſſe eſt, ut ipſas magnum ſibi ſpatium gyrando vendicâſſe concludamus ; adeóque rarum illud & tenue cœlum conſtituiſſe, quod nonnulli ſapientes *inane* dixerunt. At Moſes (qui rerum naturam verbo, tanquam acu, tangere ſolet) ipſum aptiſſimo nomine רקיע *Rachiah*, id eſt, *Expanſum* vocat, cùm ſit admodum raræ & expaſſæ naturæ, ſic ut vix ſentiatur : & pro nihilo habeatur. Harum verò bractearum motum proprium videas, in Figura ſecunda, ſimùl & in tertia, & quarta, per circulos circa quamque bracteam punctim factos, deſcriptum : Videas etiam tenuis Cœli, quod conſtituunt, raritatem, quo poſſit modo, repræſentatam.

III. Quam altum ſit Expanſum, & quâ proportione reſpondeat Empyræo Cœlo, quo ambitur, ſapientiſſimi, quicunque ſint, Aſtronomi neſciunt ; nec ab ullo quidem ſciri poteſt, niſi ab illo
[a] Job. 22. 14. *qui globum Cœli perambulat* [a] : Ideóque, benigne Lector, proportiones utriuſque Cœli (per Fig. ſecundam datas,) ne reſpicias : Haud tamen inſcitè nec immodeſtè concipiamus inferius hoc Cœlum, quod Expanſum vocatur, totum illud immenſum ſpatium tenere,

tenere, quod ab orbe terrarum ad Cœlum Empyræum uſque protenſum eſt, (excepto quod à Sole ac Luna cunctiſque Stellis occupatur) atque Cœlorum numerum, qui eſt intra naturæ limites, explere.

IV. Nam veteres Hebræi non niſi duos naturales Cœlos agnoſcebant: nec rei neceſſitas plures expoſcit. Quocircà Moſes, ſublimis ille Coſmologus, duos tantùm memorat: Primum, ſcilicet *Igneum* illud, quod *Ur* appellat; & Alterum quod *Rakiah*, id eſt, *Expanſionem* nominat: Verùm haud ignoro quòd Moſes aliud quoque Cælum prædicat; quod, ſanctus Paulus *Cælum tertium* vocat [b]: id verò Moſes appellat *Cœlum Cœlorum* [c], & id ipſum Plato (qui dicitur Moſes Atticus) τόπον ὑπερουράνιον, id eſt, *locum ſupra Cœlos* indigitat.

[b] 2 Cor. 12. 2.
[c] Deut. 10. 14.

At Moſes in Hiſtoria Creationis, ubi loquitur ut phyſicus, & materiales Cœlos unicè tractat; duos ſupradictos tantùm notat: quorum primum atque ſupremum, eſt illud quod *igneum* eſt; & quod ſacro codice vocatur Dei *cœnaculum*, eò quod ſit altiſſima viſibilis hujuſce mundi regio: In qua Deus ſuperiores aquas poſuit: Et ubi ſervat dotes atque virtutes iſtas ſecretas, quas à ſuperioribus aquis aſſiduè terraqueo globo ſuppeditari voluit. De quibus plura in Cap. de Aquis chaoticis, &c. At Cœlum inferius eſt omne illud rarum atque tenue Corpus, quod ab hoc Orbe Terrarum ſe extendit ad cœlum igneum, quod Deus fieri juſſit, ut Aquas ſuperiores (ea ſcilicet aquea corpuſcula quæ fluitant inter igneas Orbis Empyræi particulas) divideret ab aquis inferioribus, ut putà marium, lacuum, fluviorum atque fontium. *Dixit enim Deus ſit Expanſio in medio Aquarum, & dividat Aquas ab aquis. Et fecit Deus Expanſionem; & diviſit Aquas, quæ erant ſub Expanſione, ab Aquis quæ erant ſuper Expanſionem: Vocavitque Deus Expanſionem, Cœlum.*

V. Optimè novit Moſes, quòd, præter officium modò recenſitum, Deus alios etiam grandes uſus & emolumenta huic tenui Cœlo dederat; non tamen ea commemoravit inter opera ſecundi diei, propterea quòd utilitatibus, & Tertii Quartique præſertim diei, ſi non & ampliùs, certè manifeſtiùs, inſerviebant: præterquàm quòd Opus ſecundi diei, quoniam ob innumera craſſa atque multiformia corpuſcula inter bracteas ſuas adhuc interſpeſſa, non adhuc videatur tantum gradum perfectionis attigiſſe, ut bonum dici mereret.

Quippè quòd ingens illa craſſarum particularum copia, quam verticoſus Abyſſi motus unà cum longulis ad ſuperficiem devolviſſet, non eas ſat liberè moveri diſpandique ſineret ; neque Cœlum illud tam tenue vel lucidum fieret, ac iſtæ longæ particulæ ſive bracteæ, ſi ſe liberiùs agitare diſtendereque poterant, id reddidiſſent.

Jam facile eſt concipere, quòd ea ſaltem pars Expanſionis, quæ globo huic noſtro, tunc depreſſo, vicinior erat, ob craſſæ materiæ confuſionem cum bracteis ſuis, tam denſa fuerit, ut agiles atque ſubtiles illæ Cœli primi particulæ, ſive pilulæ, vix adhuc accederent ad hunc Globum ; multò minùs illuminarent. Tantâ verò per Expanſum, & tam confertâ copiâ (non obſtante craſſâ materiâ conſperſâ) penetrâſſe ; ut illud (etiamſi non pleniſſimè) colluſtraret : adeóque Diem ſecundum conficerent ; at utì credo, non ſereniſſimum ; ideóque nec à Deo *bonum* fuiſſe dictum.

VI. Dicitur autem Dies alter, quia tenebræ, quæ uſque à primo Die ad ſuum tempus erant in hoc Orbe, qui nunc Expanſio dicitur ; & lumen illud (quo ſplenduit hic Orbis, uſque dum congregari Aquas, atque Aridam fieri juſſit Deus) tot horas durâſſent, quot ad diem integrum perficiendum ſolent adnumerari.

VII. *Quæſt.* Non me latet quàm prompta ſit illa Quæſtio, Cur tot craſſa corpuſcula, quæ gyrus Abyſſi ſimul cum tenuibus, & longis iſtis particulis ad exteriora projecerat, inter illas tam diù, (ſcilicèt ad Tertium vel Quartum ferè diem) reſtarent ? & non citiùs revolverentur ; cùm rotans iſta motio, pro naturali ſuo genio nata ſit cuncta craſſiora corpuſcula versùs centrum vertiginis ſuæ propellere ?

Reſp. Facilis eſt & expedita reſponſio : Citiùs iſta craſſa corpuſcula dejecta, atque centrum versùs adacta fuiſſe, ſi non ea bractearum ipſarum motus aliquo modo retinuiſſet : Quippè cùm Deus longis hiſce particulis ſive bracteis motum circa ſua propria centra gyrantem dediſſet ; iſtæ bracteæ per motûs atque figuræ ſuæ machinam tantum materiæ versùs ſuperficiem Mundi, quantum ad centrum deferunt. Ità ut denſiores iſtæ concretioréſque particulæ quæ cum bracteis in Expanſo confundebantur, & inter illas etiam diem unum vel alterum copioſè fluitabant, impedimento fuerunt, quò minùs expandens ille bractearum nixus,

nixus, hanc tam latè diffuſam craſſitudinem tantâ celeritate dimitteret, quantâ rariùs interſperſam depuliſſet. Adde quòd peculiaris iſte longarum particularum circà ſua centra circuitus univerſæ gyrationi quandam quaſi moram faciebat, quò tardiùs id quod craſſum fuit in ſuo Cœlo, versùs medium truderet. Quanquam generalis ille Totius vortex tam potents fuit, ut denſam iſtam materiam,quæ in infima parte Cœli ſecundi vel Expanſionis ſita eſſet; & quæ depreſſi noſtri globi lucem præveniebat,ante auroram ſequentem rejicerat, atque medium verſus adegerat.

VIII. Obſervandum eſt, etiamſi non tantùm, quæ jam dixi, craſſiora corpuſcula, ſed innumeræ quoque ſubtiliſſimæ particulæ longulis Expanſi particulis ubique, deorſum atque retrò commeantes, interfuerint, eas attamen ad ſupremi cœli particulas (à quibus ne hilum quidem differunt)referendas eſſe, ſolas autem longulas,quas vocavi bracteas, Aëreæ Syderiæque regioni, hoc eſt *Expanſioni* proprias atque peculiares eſſe.

IX. Et quòd nihil intereſſe regionis Aëreæ Sydereæque naturam credamus, quàm quòd Aër (qui eſt Expanſi pars infima) denſior exiſtat. Et quòd denſitas iſta attribuenda ſit partim bracteárum ad ſe invicem junctarum multitudini (nam quò plures in unam coeunt eò craſſiorem ab illis Aëra fieri neceſſe eſt) partim craſſioribus & adventitiis quibuſdam materiæ partibus, indies à terraqueo globo vaporum ſpecie ſublatis.

Hæ, quandò particulis infimæ partis Expanſionis aut Aëris immixtæ, & ſimul agitatæ fuerint, eam Regionem, quam vocamus, *Atmoſphæram* conſtituunt. Et varios affectus, quos longiuſculæ particulæ ſive bracteæ, propriâ ſuâ vi non ſoleant, hæ ſuo ſubſidiario concurſu producunt.

X. Cùm verò naturam totius Expanſi, ſimul & partis ejus infimæ, quam *Aera* dicimus; ejuſque rarefiendi modum rectè ſcire Phyſicæ ſtudioſum deceat: venia mihi detur hîc meditanti ſtudentique pro viribus explicare, quales iſtæ longiuſculæ particulæ ſint, quibus Expanſum conſtare concipiamus; & quâ ratione denſum, quâ rarum conficiant; quâ vi corpora contigua firmant, comprimunt, abigunt, aut dirumpunt; quibuſque modis innumera ferè, quæ nos ſæpiùs aut turbant, aut terrent, aut juvant, aut delectant, nunquam non perficiunt.

Primò,

Primò, Concipiamus omnes illas particulas, quæ Expanſum conſtituunt, (prout anteà ſuppoſui) longiuſculas eſſe, & aliquantillùm latas adinſtar tenuiſſimarum bractearum; non tamen flexiles; at firmiores, quàm quæ facilè frangi poſſint, aut flecti.

Secundò, Particulas illas, ſive bracteas, circâ centra ſua propria quàm celeritèr actas, circulos ſive orbitas deſcribere, (quales ſunt illi punctim facti in Fig. 2da) eâque de causâ ſpatium multò majus ſeipſis occupare.

Tertiò, Harum prætereà particularum tantam ab initio copiam exſtitiſſe in Expanſo, ut illæ locum, quò ſe verterent, ſingulæ non haberent; earum idcircò plurimas ad ſe invicem acceſſiſſe, & ſua ſibi latera mutuò clauſiſſe, atque nunc etiam claudere: adeóque ſingulas iſtas orbitas, quas ſuo circuitu faciunt, per plures bracteas adunatas ſemper præſtari.

Quartò, Illas igitur eò celeriùs moveri, quo pauciores aſſociatæ fuerint; Aëremque tenuiorem reddere.

Quintò, Non tam accuratè & ad amuſſim factas, & quaſi dolatas eſſe iſtarum bractearum ſuperficies, ut ſubtiliſſimæ particulæ primi Cœli, non eas, ut ut adjunctas, ineant & exagitent.

Sextò, Nec tam firmiter adunatas eſſe, quin dato, quo ſolitariè gyrentur, ampliori ſpatio, ſtatim diſſiliant; quippè cum dictæ bracteæ, tam poroſæ ſint, ut non niſi per exiles atque paucas ſuperficieculas ſe tangant, illarum ad invicem adhæſio non difficultèr ſolvi poteſt, vel Actione ſubtiliſſimarum particularum primi Cœli; vel ſuâ circuitione rapidâ. Nam quià bracteæ pro lege motûs ſui verticoſi, id omne quod intra orbem ſuæ vertiginis incidit, à ſe diſpellant, adjunctas etiam bracteas, ubicunque liberius ſpatium nactæ fuerint, ilicò diſcutiunt: id quod propter ſuam celerem atque circularem motionem, nunquam non enixè conantur efficere.

Septimò, Et ab hoc conatu fieri inſignem quandam compreſſionem, quâ res omnes, quas ambiunt, miro quodam modo conſtringunt, ac firmant. Id quod non de Orbe Terraqueo duntaxat, aut de illis, quas in Expanſionis infima parte circumdant; at etiam de Sole & Luna, cæteriſque Stellis intelligendum eſt.

Octavò, Quò major autem fuerit aſſociatarum bractearum numerus, eò fortiorem ſemper compreſſionem fieri, rapidiorémque receſſum.

Nonò,

Nonò, Iſtamque bractearum ſeceſſionem (quam verticoſus atque rapidus ipſarum motus excitat) intermeantium pilularum ſive primi Cœli particularum agitatione multùm juvari; atque per eam ſolam ſæpenumerò provocari. Nam quia, ſubtiles iſtæ particulæ, Pilulæ, nec non illarum ſociæ particulæ, quæ magis ſubtiles exiſtunt) continuè per Expanſionem, ſurſum deorſumque remeando, tranſeunt; ipſáſque bracteas etiam penetrant; eas ilicò, ſi detur ſpatium, divellunt & ſeparant; quas nunquam non laceſſunt. Ut quamvis motum ſuum circularem bracteis ab initio fuiſſe inditum à Deo credamus; eundem tamen à ſubtilibus hiſce particulis tanquam à Dei digitis hodie continuari atque accelerari, torpentémque reſtitui cenſeamus.

Decimò, Particulas haſce, vel bracteas, dum ſuo perpetuo circuitu tales efficiunt orbitas, quales in Figura ſecunda punctim notatæ ſunt, generalem quandam machinam fabricare; per quam terreſtres Exhalationes, tanquam per ſcalam quandam truſatilem, vel per alas Ventimolæ ferantur ad ſuperiora; ſimulque ſuperiorum defluvia conſtanter ad Terram deferri ſolent.

XI. Nonnullis ſcio, difficultatibus expoſita ſunt hæc noſtra poſtulata; ſed nec paucioribus obnoxia ſunt ea Theoremata, omnia quotquot adhuc celebratiſſimi phyſici ad Aeris vim atque naturam dilucidandam commentati ſunt. Immò quidem, ſi quæ jam percepta ſunt à me, ſagaci atque ſeriâ mente perpendat Lector, vix aliquid objectari poſſe videat cui non ſatis expeditum reſponſum reddi queat: Maximè ſi (quod ſolent veteres Phyſici) *Naturæ* adjunget *Mentem*, nempe *Deum*: quod hîc à Moſe factum eſt. Qui cùm ad ſuperius Cœlum (quod dictum eſt Empyræum) faciendum induxiſſet Deum jubentem *ut ſit Ur*, id eſt, *Ignis* vel *Igneum Cœlum*; particulas interim igneas vi motûs ſui naturalis, pro illo Cœlo conſtituendo committentem relinquit: dum tamen Inferioris Cœli generationem memorat, expreſsè affirmat Deum feciſſe *Rakiah*, id eſt *Expanſum*. Nimirum talem particulis hiſce longulis, & tam conſtantem motum dediſſe, per quem mirificas ſuas vires exerant; & quanquam forſitan hîc & illic, ut ſæpè fit, turbentur, particulas interruptas, aliundè liberent; illiſque motum ſuum reſtituant.

Noluit certè Deus, aut generationem, vel motum iſtius Cœli, cui tam miram poteſtatem pœnè ſuper omnia opera ſua conceſſit,

ſoli-

ſoli naturæ committere, ne quis Atheus exindè Naturam pro Deo reputandam cenſeret. Ut non verear hîc omnes Phyſicos incitare, ut talem corporis habitudinem, talemve (ſi poſſint) motionem aſſignarent Aëri (vel Expanſioni) quæ ad omnia ejus officia per univerſum gerenda ſufficiat; & non Omnipotentiæ manum dirigentem ſervantémque ſimul flagitet & expoſcat.

XII. Noſtra verò commenta videntur ita rem totam ſtatuiſſe, ut non ardua res ſit, non ſolùm totius Expanſionis, illiuſque partis infimæ nominatim, quam dicimus Aëra, naturam dilucidare, ſed & omnium ferè quæ ab illis fiunt, rationem reddere: Quicquid namque poteſtati ventorum (qui non ſunt niſi commotus aër) Quicquid viribus Rari ac Denſi tribui poteſt, id omne quodcunque eſt, quod certè maximum eſt, harum bractearum motus efficiat. Et quo modo tanta ab illis & tam mirifica fiunt facilè concipiant, qui bractearum ſeſe diſpandentium vires & vias attendunt.

Nec difficile erit explicare, quî fiat & continuetur illud Univerſale commercium quod eſt inter Cœlum & Terram: Neque certè (quod ad rem præſentem maximè facit) impoſſibile erit animo reputare methodos & inſtrumenta, quibus Deus, & ad reliquas Abyſſi particulas ſegregandas, & ad hunc terraqueum Orbem conglobandum, uſus fuit. Quando juſſit, *Ut congregarentur aquæ, quæ erant ſub Cœlo, in locum unum; & appareret Arida.*

XIII. Sed priuſquam, miſſo opere Diei ſecundi, procedam, non poſſum non laudibus efferre prudentiam noſtri Philoſophi Moſis, qui, cùm rerum atque verborum vires intimas optimè calleret, ad indicandum longularum particularum, vel Expanſionis, quam conſtituebant uſum atque poteſtatem, ſelectum vocabulum, variæ quidem contrariæque notationis, adhibuit, ut earum officia ſimul & opera planè diverſa nobis oſtenderet. Nam verbum, quod Moſes hîc in uſum vocavit, eſt רקיע *Rakiah* à Themate רקע *Rakah* quod eſt, & *expandere*, ſimul & *conſtringere* atque *firmare*. Non quod Moſes coactus fuerit unum verbum ad plures atque diverſas ſignificationes aſciſcere, quemadmodùm fabri ferrarii (prout eſt in proverbio) gladium Delphicum, tanquam ad inopiam [d]. Quippe non deſunt in Hebræa lingua verba, quæ *conſtringere* atque *firmare* ſingulatim; quæque *expandere* ſingulatim ſignificant: Sed Moſi (cui ſemper placuere compendia) conſilium

[d] Ariſt. Polit. l. 1.

ſilium fuit unicâ voce duas conjunctáſque tantæ Rei vires adæquare.

Iſthæc enim immenſa natura, quæ dicitur *Expanſio*, & quæ ab orbe Terrarum protenditur ad Cœlum Empyræum, non modò ſemet omni tempore mirificéque diſtendit; & omnia corpora pro viribus ſuis à ſe diſpellit; at & omnia, quæ ſuo circuitu complexuve comprehendit, eâdem operâ *comprimit* & *conſtringit*, adeóque *firmat*: Ut rectiſſimè dici poſſit *Expanſum* paritèr & *Firmamentum*.

XIV. Non tamen intelligendum, quaſi Cœlum illud ſolidiſſimum fuerit, ac velut ære fuſum; proùt multi cenſuerunt: ſed quia compreſſione ſuâ circumquáque factâ cunctos ſuos orbes, quos innumeros in ſe fert (taceo res minores) in ſuis locis, & in ſuis magnitudinibus etiam vel Menſuris, (ſi non & figuris) conſervat.

Ut æquè mihi videantur culpandi, tam qui ſeptuaginta ſapientum verſionem reprehendunt (illi etenim Hebræum *Rakiah* reddunt Firmamentum) quàm qui (ſapientum ſenſibus invitis) illud ad ſoliditatem Cœli ſtruendam torquent.

XV. Has autem facultates Expanſo conſtanter aſſignabant Hebræi veteres & Chaldæi, Syri, Phœnices, Græci, Latinique Philoſophi: Ut non dubitarem, quin, ſi notiones ſuas enucleatiùs atque pleniùs expreſſiſſent, apertè affirmâſſent Expanſi extenſivam ſeque ſemper diſpandentem vim eſſe illud *repagulum*, quod non ſolùm Mare, ſed & Solem atque Lunam, cæteráſque Stellas intra limites ſuos, ac veluti pomæria, contineat; & ne quando nimiùm diſſiparentur, impediat. Immò certè vis harum perexilium particularum, quæ conflant Expanſionem, eſt ingens ea *Machina*, per quam Deus ſuſpendit globum hunc, quem calcamus, ſuper nihilum [e]: Et potentèr *efficiet, ne dimoveretur in æternum* [f].

[e] Job. 26. v. 7.
[f] Pſal. 104. v. 5.

CAPUT OCTAVUM.

De Opere tertii Diei.

Syllabus. I. *Inferioris Cœli motus expansivus Aquas congregabat, & terram fundabat.* II. *Unde Montes, & Planities, & Valles ab initio.* III. *Unde Aquæ genus & Maria.* IV. *Cur Aquæ dicantur in unum Locum congregari.* V. *Terra licèt Arida dicta, aqueis vaporibus irrigata fuit.* VI. *Vapores isti Centralis ignis argumentum.* VII. *Supposito vario situ Particularum in principio motûs Abyssini, promptè concipiatur, & Centralis Ignis, & Montium, Vallium, Mariumque generatio.* VIII. *An per Hebræum* Ed *à Mose notetur generalis Fons, aut vapor.* IX. *Fontes & Fluvii eodem tempore, quo Maria, facti.* X. *Aquarum marinarum per terræ viscera circulatio per experientiam manifesta.* XI. *Fontes & Fluvii tunc facti quando Deus Aquas in unum locum congregari jussit.* XII. *Fluviorum subterraneorum, Canalium, Barathrorum cæcorum generatio, per mechanicam rationem monstrari possit.* XIII. *Fluviorum subterraneorum maximus à Polo Arctico ad Ant-Arcticum transit per terræ viscera.* XIV. *Fluvius iste ramos habet cæcos, & pervios.* XV. *Cæci aliquando congesto luto repleti, terra firma fiunt.* XVI. *Unde Concharum, Ossium, Arborum, Assamentorum, Navium,* &c. *in profunda terra repertorum ratio petenda.* XVII. *Quomodo detinebantur Particulæ ad fluvios subterraneos, & ad Ignem Centralem faciendum.* XVIII. *Plura ignis Centralis argumenta.* XIX. *Quomodo subtilissimæ particulæ detinerentur ad Centrum.* XX. *Quomodo ignem vel flammam conciperent.* XXI. *Quâ ratione Vapores excitâret ille ignis Centralis.* XXII. *Unde Vegetabilium productio, & metallorum generatio.* XXIII. *Quâ ratione conservatur Ignis centralis.* XXIV. *Metalla non die tertio, sed è naturis antea genitis pedetentim nata.* XXV. *Cita Plantarum maturitas in initio minùs miranda.* XXVI. *Cuilibet plantæ semen inest, aut quid analogum.* XXVII. *Seminis opificio sibi reservato, productionem plantarum naturæ permittebat Deus.* XXVIII. *Quâ ratione plantæ crescerent.*

creſcerent. XXIX. *Contra doctrinam Moſaicam fruſtrà objicitur.* XXX. *Quid lucem diei tertii videatur auxiſſe.* XXXI. *Maxima terræ gloria.*

I. Æ longiuſculæ particulæ ſive bracteæ, quæ conſtituunt hoc Cœlum, quod Moſes Expanſi nomine celebrat, ut amplam à Creatore provinciam in Mundo genito nactæ ſunt, ità etiam ad illum generandum formandumque mirificè conducebant, omnia quæ circumdabant comprimendo conſtringendoque. Nam quia tenues iſtæ bracteæ longiuſculæ fuerint, atque per Dei conſilium mandatúmque (prout ſupponamus) indeſinenti circuitu verterentur; magna ſibi ſpatia movendi flagitabant; ſempérque ad majora contendentes, brutam iſtam materiam, quam cingebant, validè comprimebant. Ut quæ, poſt quam ſeparatæ fuerint à ſegniori materia, & circa ſua propria centra vi atque celeritate inſigni raptæ fuerint; non modò quicquid incideret in orbitam ſui circuitûs amovere, ſed & adjunctas ſibi bracteas à ſe diſpellere nitebantur; ipſæque diſcuſſæ bracteæ ſibi ſpatia magis libera, in quibus ſolutæ moverentur, ſuo nixu ab initio molitæ ſunt, ſemperque porrò molientur.

Et hoc ſuo diſpanſivo conatu grande illud Opus obibant dictæ minutiæ, quod Deus ſuâ ſapientiâ deſignârat; & quod tertio die bonum atque perfectum eſſe declarabat; nempe *Congregationem Aquarum in unum locum*; *Aridæque terræ fundationem.* Cogebant enim craſſæ materiei particulas, quæ versùs Centrum protrudebantur, ad ſe propiùs accedere; & unas alias quaſi manibus apprehendere; atque inter ſe cohæreſcere: ità ut denſam atque ſolidam hanc compagem, quam *Terram* dicimus, ſolâ coitione ſuâ conficerent. Nam ad iſtam concretionem perficiendam non aliud gypſum cœmentumve requirebatur, quàm ut ſimiles ſuperficieculæ cum ſimilibus aptè coirent, & ſe ſolas omninò tangerent: Vel ut ipſa corpuſcula, ſuis inter ſe ramis hamiſve præpedita, quieſcerent.

II. Sed quanquàm Cœli vis, aut circumdantis, & ſe ſemper ac circumquáque diſtendentis Expanſi compreſſio fuerit eadem, non

tamen æqualiter ubique depreſſa fuerunt iſta craſſiora corpuſcula; tum quoniam multa promptè cedebant; multa verò (quorum hæc magis, illa minùs) externo preſſui reſiſtebant: Undè evenit ut Terræ facies valdè inæqualis, & multis in locis ſui diſſimilis exiſteret.

Huic autem ſuperficiei terreſtris inæqualitati occaſionem dederunt teretia atque rotunda corpuſcula, quæ *globulos* appello. Quippe dum craſſa, aſpera, atque ramoſa corpuſcula circulis Expanſi compreſſa ſubſiderent, & coirent inter ſe, atque in mutuos amplexus quaſi ruerent; pondere preſſuque ſuo multas unà particulas læves atque rotundas (quia lubricæ fuerunt, & valdè mobiles) exprimebant. Ut in palude videmus fluidam materiam premendo extrudi.

Multas dixi læves atque rotundas particulas expreſſas fuiſſe, non tamen omnes; eò quòd expanſi compreſſio gravitáſque terræ non omnes æqualiter afficiebat (ob rationes poſtea dicendas) ità ut multæ permanerent in ductibus aut Cavernis interaneis; plurimæ verò terrearum coactarum concretarúmque partium meatibus interceptæ Tellurem facerent rem miſtam, humidam, & conſiſtentem.

At quæ ad ſuperficiem uſque preſſæ conſurgebant, quoniam ad unam ejus partem copioſæ & confertæ; ad aliam pauciores; ad tertiam verò pauciſſimæ ſurrexerant, Terræ faciem hîc *protuberantem*, illic *planam* relinquebant; alibi verò *cavam* reddebant: Verùm hæ particulæ pondere terreſtri preſſæ admodùm inæqualiter emergebant, quoniam in variis locis varia illarum collectio vel diſtributio (parcior hîc, illîc abundantior) exſtitit.

Quæ quidem rationi tam conſentanea, ſenſibuſque noſtris obvia ſunt, & cum diſpoſitione materiæ, ſimul & cum ejus motu atque ſitu, quos ei Deus aſſignârat, tam congruentia; ut promptum ſit concipere, vel hâc ipſa, vel ſimili ratione *terræ Cavitates*, & *Planities* atque *Montes* ab initio rerum fieri.

III. At iſtæ læves atque rotundæ particulæ ſive *globuli*, qui ad orbis hujuſce terrei ſuperficiem uſque detruſi fuerunt, ibi coeuntes confluenteſve rem iſtam fluidam, quæ *Aqua* dicitur, efficiebant. Quia nihil aliud (ut anteà dictum eſt) ad Aquæ naturam conflandam requirebatur, quàm ut hi globuli (ſoli ferè) convenirent;

nirent ; & ſe invicèm tangerent : Nam cùm teretes atque rotundi fuerint, & tam puſilli, ut à ſubtilibus actuoſiſque (primi, ſimul & ſecundi Cœli) particulis indefinentèr agitari potuerint ; & quoniam in iiſdem punctis non niſi momentulo ſe tangentes, circà propria ſua centra continuè moverentur, neceſſariò conficiebant *Rem iſtam fluidam atque volubilem*, quæ magnas illas Cavitates, quas globulorum deceſſus à ſuo loco fecerat, ſtatim complebant ; adeóque ſimul efficiebant ingentes illos *Aquarum campos*, quos *Maria* dicimus : literis m. m. m. in tertia & quarta Fig. expreſſa.

Globuli verò ſeparati à terreſtri materia ad quartum hoc Elementum naturæ conſtituendum concurrebant, vel, per *Emerſionem*, quàtenùs à corpuſculis terreis expreſſi conſcendebant in eorum locum : Vel per *declivem fluxionem*, quatenus ex eminentiori parte ſuperficiei terreſtris expreſſi, mox ad inferiora loca delabebantur ; eoque modo *Congregationem Aquarum*, quam Deus fieri juſſit, pro ejus nutu præſtabant.

IV. Et quantacunque fieret Aqua per confluvia globulorum ; vel in quotcunque Maria, Lacus, aut Rivos diviſa fuerit, unam quodammodò conflugem faciebat ; unumque occupâſſe locum rectè dicantur : quia cum ſeipſis omnia aquarum genera per continuos ductus (ſive ſint manifeſti ; ſive, quod nonnullis accidit, occulti) communicant : Ut mare Mediterraneum ſimul & Caſpium ſecretò ſe miſcent cum aliis maribus. Nec dubitandum eſt, quin ad participandum aliud ab alio, communicandúmque inter omnia, ductus iſtiuſmodi in Principio parati fuerint à Creatore, qui juſſit Aquas congregari in unum locum, per modum (prout in cæteris) ſummiſsè conceptum, & poſteà dicendum.

Quanquam Divinus ille philoſophus Moſes non dixit omnes aquas, nec ubicunque fuerint, in unum locum congregatas fuiſſe ; ſed quæ ſub Cœlis erant, ſcilicet immediatè, vel in ſuperficie terræ : In qua collecti globuli vaſtos illos aquarum campos efficiebant, quos Deus *maria* vocabat. Et quos Moſes idcircò collectos fuiſſe in unum locum ſupponit, ut Terra fieret *Arida*. Quâ re ſubterraneas aquas intelligi quoque non oportuit ; illæ enim non impediebant, quo minùs Terra fieret Arida.

Figura 3ª



Abyssinarum (sive Chaoticarum) particu=
=larum Situs, qui supponitur fuisse
priusquàm moveretur Abyssus, aut
Aquæ.

Edm. Culpeper Sculp.

Figura 4ta

Edm. Culpeper Sculp

V. Sed etiamſi Terra, ſimul ac congregatæ fuerint aquæ, diceretur Arida ; non tamen ita ſiccata fuit, ut non tantum humoris inter proprias ſuas particulas inſertum contextúmque retinuerit, quantum ad omnes concretionum ſuarum ſpecies efficiendas ſufficeret. Quippe quià cuncta mineralia, cunctáque vegetabilia, ſimul & animantia cujus generis cunque fuerint, quæ tellus ab initio protulit, ad partes ſuas conjungendas adaugendáſque, naturam aqueam poſcebant.

Quod ad plantas attinet, quæ ſunt opus hujuſce diei, certum eſt Deum ad earum ſemina componenda (nam ſuis ipſe digitis (ut credimus) omnium rerum ſemina confecit) humores adhibuiſſe: Et lege perpetuâ ſanxiſſe, ne germinarent unquam, vel ſtirpeſcerent ſine humore ; quo, ut vernarent & augmentum caperent, nullo temporè non egebant. Quocircà ſapiens & providus ille φυσάρχης, ut plantæ, quas feciſſet (nam ſemina ipſa ſunt plantæ) radices agerent, & pullularent creſceréntque ; vapores humidos è terræ profundo ſurgere juſſit, ut irrigarent univerſam ſuperficiem terræ, plantáſque vegetare facerent.

VI. Quod cùm ſatis manifeſtum ſit argumentum calidæ cujuſdam virtutis, aut ignis in Centro terræ poſiti, qui ſemper excitat, & circumquáque diffundit vapores, per quos & mineralium vegetantiúmque productiones fiant ; ſimul ut benè agatur atque ſtabiliatur conſtans illud commercium, quod eſt inter Cœlum & Terram ; priùs quàm progrediar in Opere die tertii narrando, meum erit oſtendere (ſi divinare conjecturis ſit oſtendere) quomodò cum coſmologia noſtra congruat Centralis ignis : Et quibus hunc ignem methodis & viis conſtitui Deus voluit : meique officii pars erit explicatiùs indicare quibus modis ac inſtrumentis in ſuperficie Terræ, Valles & Montes, nec non in ejus viſceribus ut Fluviorum ductus & conceptacula primùm fierent ; quâque machinâ Cryptæ locique fornicati, ſimul & ingentes Aquarum ſubterranearum cellæ penuariæ (quas ſacræ Literæ *theſauros* vocant) elaboratæ fuerint. Nam hæc omnia cùm vegetationem præceſſerint ordine Creationis, à Coſmologo præponi debent : maximè verò mirificus iſte ignis Centralis, qui Plantarum ſemina omnia vegeta ac creſcentia fecit.

VII. Ut

VII. Ut ergo natales & indoles iſtius ignis eò clariùs atque diſtinctiùs explicari poſſint, concipiendum eſt Deum ſapientiſſimum γενεσιαρχὸν ordinâſſe, ut ingens numerus exiliſſimarum particularum ſive pilularum ab initio ſitus ſit circà centrum Abyſſi, atque ſubtiles eas particulas undique circulo craſſiorum corpuſculorum, veluti ſepimento quodam, vallatas fuiſſe: ità ut cùm Deus in initio concitaret Abyſſum; atque rotaretur moles Univerſæ materiæ, ſubtiles iſtæ particulæ ſive pilulæ non dimoveri, neque (pro lege motûs iſtius circularis) versùs ſuperficiem devolvi, perindè ac aliæ tenuiſſimæ particulæ poterant.

Sin eò loci (repugnante verticosâ motione totius Abyſſi) relicta fuerit immensa minutiſſimarum atque agiliſſimarum particularum multitudo, promptum eſt concipere particulas illas, cùm per expanſi terreſtriumque particularum compreſſionem in anguſtiorem orbem redactæ fuerint, adeóque factæ confertiores; ilicò per actionem motionémque ſuam, vim ignis induiſſe prorsùs & exeruiſſe: eóque facto (dum terreæ particulæ concreſcerent) Ignem iſtum celeberrimum Fig. 4ª. lit. S. T. notatum accendiſſe in ejus Centro: quem multi philoſophi tanquam *Solem terreſtrem* prædicant atque decantant: Eique præcipuè non tantùm Mineralium generationes; at & Vegetantium pariter ortus & incrementa tribuunt. Ab illo etenim igne videtur excitatus fuiſſe *Vapor iſte, qui aſcendebat è terra & irrigabat univerſam ſuperficiem terræ; cùm nondum pluere fecerat Jehova Deus ſuper terram* [a].

[a] Gen. c. 2. v. 5. & 6.

Sed, ut planiùs & expreſſiùs intelligatur, quibus viis & rationibus iſtæc opera grandia Terraquei noſtri globi ſuprà recenſita fierent; benè conſiderandus eſt varius, tum lævium atque rotundarum (quas Deus ad aquam conflandam) tum craſſarum atque multiformium (quas ad Terram componendam creârat) particularum ſitus; ut & differens utrarúmque numerus, quem in diverſis hujuſce globi tractibus extitiſſe ad initium tertii diei concipiamus. Prout in Figura tertia diſtinctè comparent.

Illa nobis exhibet in una regione craſſas & multiformes particulas in quintuplo, vel majori, numero cum teretibus atque rotundis commixtas (literis D. C. D. notatas:) In alia verò craſſas atque multiformes particulas in triplo tantùm vel paulò majori numero lævibus atque rotundis immixtas (indicatas per literas D.V.D.)

D. V. D.) In alia interim regione teretes atque rotundas particulas (quas oſtendunt literæ D.M.D.) maximè copioſas. Deinde unum Tractum præſentat, non niſi ramoſis, aſperis, uncinulatis atque angulatis ferè corpuſculis occupatum (quas oſtendant literæ D. H. D.) alium autem monſtrat illis moleculis impletum, quæ craſſæ ſimul & multiformes exiſtunt, at planas habent atque minimas baſes, (quæ literis Q. Q. Q. ſe produnt.)

Quæ ſi ad hunc modum concipiamus à Creatore diſpoſita; ſimul & in animis noſtris advertamus inſignem iſtam Expanſi (vel Aëris) infimi compreſſionem; facilè valeamus eorum omnium, quæ ab initio *vel* in facie Terræ concreſcentis, *vel* in ejus viſceribus, ad terraqueum hunc globum formandum fuerint acta, rationem reddere.

Promptè ſatis intelligamus ea craſſa atque multiplicia corpuſcula quæ ad Terræ fabricationem nata erant; & quæ tenebant eam partem globi terraquei, quam literæ D. H. D. in Fig. 3ª. notant, haud potuiſſe, quanquam fuerint æqualiter ab Expanſione compreſſa, tam altè deſcendere, quàm ea, quæ partem à literis D. M. D. deſcriptam complent; tum quia multò pauciores fuerunt in eo tractu particulæ rotundæ ſive globuli, qui locum cederent; tum quia terreſtria corpuſcula, ſeſe vel uncinulis aut hamis ſuis, junctis quaſi manibus, apprehendentia, tam citò cohæreſcebant, ut ſatis validè reſiſterent, ne multùm ab expanſi compreſſione deprimerentur. Unde in ea regione ſuperficies terræ manebat *eminens*, adeóque *Montis* ſpeciem præbuit.

At in eo Tractu, quem literæ D. C. D. deſignant, ubi craſſa vel terreſtria corpuſcula quintuplo, vel majori numero, cum lævibus atque rotundis (vel globulis aqueis) commixta concipiantur, haud ineptè judicemus aqueos iſtos globulos à terreſtribus expreſſos ità conſcendiſſe, locúmque ceſſiſſe, ut terræ ſuperficiem *campeſtrem* vel *pratenſem* redderent, non tamen adeò planam, ut non aliquibus in locis etiam declivis fieret; ut globuli ſtatim pro volubili ſua natura, versùs partem depreſſiorem fluerent.

Verùm in illo Tractu (literis D. V. D. monſtrato) ubi craſſa vel terreſtria corpuſcula triplo tantùm, vel fortè majori, numero læves atque rotundas particulas, id eſt aqueas, exuperabant: partes ibi craſſas atque terreſtres eoúſq; deſcendiſſe credamus, ut ſuperficiem, quàm in priori tractu fuit, humiliorem facerent: Qualis eſt ea *Convallium*; In

In ea interim regione, in qua craſſa & multiformia (vel terrea) corpuſcula ſita fuerunt inter globulos aqueos multò numeroſiores (literis D. M. D. diſtinctos,) illa concipiamus, partim ſuo pondere, partimque ſe diſtendentis Expanſi compreſſione coacta, profundiùs ilicò ſubſediſſe; atque eâ ratione (globulis ferè omnibus, qui deſcendenti prementique materiæ terreſtri locum cedebant, expreſſis) altè latéque excavatam ſuperficiem nacta fuiſſe: quam ſubinde globulis occupandam relinquebant. Undè illa immenſa Aquarum confluvia, quæ dicuntur, *Maria*, confici poterant.

Et id ipſum, quod huic terreſtri materiæ in regionibus (per literas D. C. D. D. V. D. D. H. D. & D. M. D. ſignatis) obtigit; in aliis etiam multis accidiſſe concipiendum eſt: Ut non temerè concludamus innumeros ferè *montes* ad hunc modum paſſim per ſuperficiem telluris extuberâſſe; multóſque prætereà *campos* & *convalles* ortas; necnon & multas in ipſa Cavitates (hîc vaſtas, alibi verò minores) factas fuiſſe; quas illicò teretes atque rotundæ particulæ, ſive globuli, *vel* per emerſionem; *vel* per deſcenſum replebant.

Ut poſt hoſce coſmopœiticos explicatus, haud difficile erit intellectu, quomodò globuli in regione D. M. D. pondere materiæ terreſtris expreſſi velut emergebant; & mox explebant ingens illud conceptaculum, per eaſdem literas indicatum, quod altior in eodem loco deſcenſus terræ fecerat.

Neque dubitandum eſt, quin aqueæ particulæ, ſive globuli; quâcunque parte ſuperficiei prorumperent, actutùm dimiſſiores locos, pro ſua volubili natura, peterent; eâque ratione ad Maria omnia conflanda concurrebant; ſimul & Fontium Fluviorúmque mox oriundorum materiam præbebant. Ut infra monſtrabitur.

VIII. Hîc à Lectore, ſeu Theologus fuerit, ſeu Phyſicus, meritò conſiderari poſſit, an illud vocabulum Hebræum עד *Ed*, quod à Septuaginta ſapientibus interpretatione redditur πηγὴ, id eſt, *Fons*, ad mentem philoſophi noſtri Moſis optimè ſit explicatum: Quod ſi ità fuerit, tunc iſtæ aqueæ particulæ, vel globuli, qui in prima generali concretione globi Terraquei, per terreas partes expreſſi, in univerſam faciem Telluris erumpebant, videantur fuiſſe *Fons* ille, qui aſcendebat è Terra, & irrigabat univerſam

Terram: Nam quia partes aqueæ modo ſupra dicto protruſæ, velut ebulliebant in omni ſuperficie telluris, haud ineptè dicerentur *unum fontem* conſtituiſſe, qui totam Terræ faciem reddebat humidam. Alitèr autem non eſt credibile totam terræ ſuperficiem ab unico fonte rigari potuiſſe. Mihi autem multò veriſimilius eſſe videtur, quòd Moſes per vocem אד, *ed*, ſignificaret *Vaporem*, qui à Centrali igne concitatus ſurgebat ad ſuperficiem.

IX. Interim verò probabile eſt (utpotè quod cum ſacris Literis, & cum naturæ methodo benè congruit) eodem ferè momento, quo Deus, aquis in unum locum congregatis, *Maria* fecit, *Fontes* utique per faciem terræ paſſim fieri; & (quod conſequens eſt) Fluvios mox effundi.

Aqua certè res ad motum nata eſt, & omnibus aliis naturis, ob mobilitatem ſuam, perennémque motionem, neceſſaria: Voluit enim Deus non ſolùm ut Aquæ partes exiliſſimæ, circà ſua quæque centra perpetuò gyratæ, nunquam omninò ſtagnarent; ſed ut ingens iſta collectio Aquarum, quæ *Mare* dicitur, (præter alios Motus, quibus cietur) etiam indefinenti circuitu, tum per terræ faciem, tum per ejus viſcera feratur. Nimirùm ut deſcenderet in terram multis in locis, ipſámque *vel* per multa laticis ſuæ fila perexigua in Fig. 4ª. literis L. F. expreſſa, penetraret; *vel* per amplos alveos etiam trajiciat; denuóque prorsùs exiret, curſúmque ſimilem repeteret & conſervaret.

Minimè tamen videatur fuiſſe Divinæ ſapientiæ conſilium, ut marinæ aquæ per hunc circuitum, ſuam ſolummodò virtutem puritatémque ſibi ſervarent, ſed & Univerſi neceſſitatibus inſervirent; Terram namque ſubeuntes aſſiduè *Foco Centrali* fovendo materiam præbent: Mineralibus atque Metallis ingenerandis humiditatem pinguem ſuppeditant: Cunctiſque vegetantibus impertiuntur & gemmandi creſcendique facultatem; quatenùs infernus iſte calor abſque ſuppetiis Aquarum marinarum nullos vapores diù concitare; nec ullas exhalationes, vel ad œconomiam terreſtrem præſtandam; vel ad cœleſte commercium conſervandum, ſurſùm mittere valeret.

Ut nihil veriſimilius eſſe videatur, quàm quòd Aquæ maris à primà congregatione ſua Terram ſubiverint, ac penetrârint; eodémque reverſuræ conſcenderint. Quià circulatio aquarum marinarum per terræ penetralia tum ad ſuam ipſarum purificationem

nem perfectionémque; tum ad ignis Centralis alimentum; tum ad mineralium generationem; tum ad ortum atque incrementum Vegetabilium æquè in principio neceſſaria, atque ex illo tempore unquam fuit.

X. Maris introitum in terræ viſcera, manifeſtúmque circuitum probant obſervationes atque pericula Navigantium: Quibus optimè notum eſt Aquas marinas aperto velut ore abſorberi ad Polum Arcticum, denuóque propè Antarcticum quaſi revomi; earúmque motionem perenni circulatione ad hunc modum continuari.

Conſtat etiam maria nonnulla eſſe, quæ nec in alia ſe fundunt maria, nec in rivos, quantùm ſcitur, exeunt; ingentes attamen Aquaram copias, quas ab aliis maribus omni puncto temporis accipiunt, ità per infernos quoſdam ductus amittere, ut idem ferè onus aquarum ſemper retineant. Quod ipſum de maximis, ubicúnque locorum fuerint, Lacubus eſt dicendum: Sunt & in variis Regionibus inſignes quidam Fluvii, qui poſteaquam curſum quidem longum ſub dio peregiſſent, ſemet immergentes inhumant, nec, quantùm ſcitur, unquam reſurgunt; neceſſe eſt attamen ut eorum Aquæ reſurgerent, *vel* cum aliis aquis intrà terram commiſtæ; *vel* in *Fontes*, quibus ipſæ præbent ortum, diſperſæ. Immò *omnia flumina* (ſic namque veritati ſuum ſuffragium tulit illuſtris ille Philoſophorum Rex) *intrant in mare, & mare non redundat; & ad locum unde exeunt flumina revertuntur*, ut iterum fluant [b].

[b] Eccleſ. 1. 7.

Cùm verò certum ſit marinas aquas intrare Terræ viſcera; atque eaſdem aquas denuò multis in locis hîc Fontes, alibi Flumina producentes emergere; & ante omnes omnium Gentium memorias id egiſſe; minimè dubitandum eſt, quin idem ab initio Congregationis ſuæ fecerint: Adeò ut pluſquam veriſimile ſit marinas aquas in ipſo die tertio plurimos ubique per terrarum orbem *fontes* atque *fluvios* excitâſſe.

XI. Primus autem fluxus aut itus aquarum marinarum, vel ad ora fluviorum, vel ad fontium ſcatebras aperiendas, tunc fieri videtur, quando juſſit Deus ut congregarentur aquæ in unum locum: Quia non omnes in unum locum congregari verè dicerentur, niſi marinæ cum ſubterraneis, & illæ porrò cum fontibus atq; fluviis etiam communicarent; omnibus inter ſe per hujuſmodi colligationes unitis;

& neceſſe erat ut aquæ congregatæ (vel maria) dum ſe mergebant, in initio fluvios atque fontes efficerent, ut motum ſibi liberum molirentur, ad modum infrà diſtinctiùs explicandum.

XII. Reſtat jam, quod rei methodus ac naturalis ordo poſtulat, ut lucidiſſimis hîc, quibus fieri poteſt, rationibus oſtendam, quo modo, quove apparatu fierent intra terræ viſcera, tot ductus tantique alvei, per quos aquæ marinæ mox à congregatione ſua curſum facerent, donec iterùm ad ſuperficiem venirent. Reſtat inſuper, ut aperiam quibus viis & inſtrumentis (invitâ circularis iſtius motûs Coſmopœitici regulâ) facta fuerunt ingentia illa aquarum conceptacula, quæ in gremio terræ latent, in Figura quarta per literas B. B. deſcripta. Quibus omnibus ad veræ philoſophiæ normam conceptis, & explicatis, non difficile erit multarum rerum mirabilium, vixque ſolubilium, quas interiora terræ nobis exhibent, rationem reddere; nec arduum videbitur alia opera tertii diei quæ difficiles explicatus habent, elucidare.

Hoc interim rogo (quod antehàc oratum fuit) ne quis malevolè redarguat, aut temerè culpet ea, quæ ſæpiùs in hoc *Diacoſmo* ſenſibilitèr atque mechanicè tractanda ſenſui; cùm Deo omnipotenti Conditori placeret ad hunc mundum formandum, verè mechanicis inſtrumentis, ſcilicet accommodatâ motione, figurâ, ac diſpoſitione materiæ, tanquam digitis ſuis uti. Quo ductus argumento, formationem Mundi principiis Artem atque Manuum operationem ſimulantibus explicandam rebar. Et ſingulatìm judicabam rationes iſtas phyſicas, per quas ſubterranei canales & ductus (tam cœci, quàm aperti) vel barathra locive fornicati die tertio fabricati fuerunt ad modum atque ritum mechanicum doceri, ac ſcientèr illuſtrari potuiſſe.

Id quod naturæ venatores (ſi modò veræ veteriſque philoſophiæ principiis imbuti fuerint; ſi diligenter verba philoſophi noſtri perpenderint; & circumdantis ſeque fortiter extendentis Expanſi, quod mirè conſtringit omnia, vires benè conſiderârint; ſi craſſiorum corpuſculorum pondus & gravitatem; ſimulque lævium atque rotudarum particularum volubilitatem, locúmque cedere promptitudinem, ſuis animis adverterent) à me per haſce commentationes haud imperitè, proùt opinor, vel incongruentèr naturæ prolatum cenſebunt. Et non difficultèr credent excavationem canalium vel alveorum ductuúmve ſubterraneorum, factorum

ctorum in initio, perindè ut ipſius terræ mariúmque formationem, per inæqualem particularum terreſtrium deſcenſum, & compreſſionem ; citiorémque in uno loco, quàm in alio, concretionem præſtari potuiſſe.

Rem ipſam nimirùm ſatis expeditam planámq; fore percipient, ſi mecum ſupponant ea terreſtria corpuſcula, quæ ſunt in tractu, quem literæ F.C. in Fig. quarta deſcribunt, ob circumdantis Expanſi compreſſionem priùs inter ſe connexa, perfectéque concreta fuiſſe, quàm particulas aqueas ſive globulos in tramite (ab ipſis globulis indicato) contentos ſubſidendo vel coeundo protruderent exprimerentve: Quod benè fieri concipiatur, tum quòd angulatæ quædam particulæ tam conſertè contextéq; miſcerentur cum globulis iſtius tramitis, ut eos redderent minùs aptos cedere; tum quià terreſtria corpuſcula, quæ ſita erant circà illum tramitem, craſſiora fuerunt & confertiora, quàm quæ globulos facilè tranſire ſinerent.

His, inquam, ſuppoſitis, ſatis cauſæ videbunt cur globuli (quia circumcircà concreſcebant terreſtria corpuſcula) reſtarent in iſtis tramitibus (per ſuos ut dixi, characteres indicatis) donec aquæ Marinæ, literis M. M. ſignificatæ, (nam illis unâ extremitate contigui fuerunt globuli) protruderent iſtos globulos ; ipſoſque velut à tergo ſequentes, ultra propellerent, *partim* per ampliorem ductum literis F. M. F. M. deſcriptum versùs ſuperficiem ad Polum Antarcticum, ubi ſe immiſcebant aquis marinis, & erumpebant tam violento profluvio, ut *Torrentem* literis R. R. notatum efficerent : *partim* per minores ductus ſubterraneos in Fig. 4ta. literis F. F. F. indicatos, *partim* per meatus laxiores terræ vel arenæ ad ſuperficiem X. X. X. in Fig. 4ta. notatos, ubi jugitèr effluebant, ut fontes ſolent: & per declivia manantes, ampla ſibi conceptácula, canalibus hîc & illîc gradatim quaſi foſſis, elaborabant ; hoc eſt *Fluvios* efficiebant. *Partim* verò ſuis extremitatibus in ipſa tellure terminatis, cæcos iſtos ductus ſive fluvios per literas F. C. F. C. monſtratos exhibebant.

XIII. Fluviorum verò ſubterraneorum maximus, literis F. M. F. M. in Fig. 4ta. deſcriptus, eſt iſte, qui per inteſtina terræ penitùs à Polo ad Polum tranſit, adeóque generis aquei circuitum in orbe terreſtri ſuſtinet ; eodem ferè modo, quo gyrum ſanguinei laticis in Animantibus venæ ferunt : Quippè certum eſt ex fide & experientia Nautarum, prout tradit *Olaus* Magnus [c] aquas marinas

[c] V. Olai Magni hiſt.

marinas juxtà Polum Arcticum vorari continuè, denuóque propè Polum Antarcticum revomi; & quas interaneus iſte Gurges in Arctico deglutit tam immani gutture, ut Naves ipſas incidentes abſorbeat, eaſdem in Antarctico rejici tanto impetu, ut naves omnes abigant, quò minùs (etiamſi *remis* & *velis* id enitantur Nautæ) propiùs ad ejus os, R. R. accedant.

XIV. At quanquam voraginoſus iſte fluvius per interaneum ſuum canalem maximum tendat ad Polum Auſtrinum; veriſimile eſt attamen ei non deeſſe ramos quoſdam, qui aliorsùm divertunt: Quorum hi *vel* cùm fundis aliorum marium lacuumve ſe communicant; *vel* ad ſuperficiem terræ delati, ſuas aquas emittunt, ebullientes ut Fontes ſolent; tales ſunt iſti rami qui notantur, literis F. F. F. F. *vel* (quod ſæpè fit) ut Rivuli, profluentes.

XV. Alii verò ſunt, quorum nonnullos opinor eſſe propiùs, alios autem longiùs à terræ ſuperficie terminatos; utróſque idcircò cæcos eſſe, ſcilicet impervios: Quales ſunt iſti, qui literis F. C. F. C. deſcribuntur: Et probabile eſt cæcos iſtos alveos (aut alios ſimiles) aliquando per limum, ex aliis locis, aquarum vi delatum, impleri potuiſſe; eorumque nonnullos jamdudum repletos fuiſſe, novis alveis alibi cavatis.

XVI. Quibus ſuppoſitis, haud difficile erit, explicare quâ ratione magnæ concharum ac cheloniorum quantitates; & variorum animantium, tum terreſtrium tum marinorum oſſa; ligna ſimul & aſſamenta; nec non arbores & fragmenta navium, tum in plana terra, tum in montibus olim profundiſſimè ſepeliri viſa ſunt: Et quâ ratione ac viâ *Navis* illa *integra*, quæ (teſtibus Maſcardo, Moreto, Fulgoſo, [d] & aliis) *Anno* 1460. *ad Oppidum Veronæ Helvetiorum, in Fodina quinquaginta Orgyas altâ, unà cum malis fractis, & anchoris, ac quadraginta nautarum cadaveribus effodiebatur*, tam profundum ſepulchrum nacta fuerit. Nempe concipiendo (quod poteſt aptè concipi) *navim* hanc ab iſtâ voragine, literis F. M. F. M. F. M. indicatâ, quæ eſt juxta Polum Arcticum, violentèr abſorptam fuiſſe; &, ab ejus obliquo cæcoque ductu per F. C. F. C. ſignato raptam, ad ultimos ejus fines literâ Z. notatos, delatam fuiſſe, atque ibi defixam: Poſteà verò terreâ mole per aquas interaneas ponè adjectâ, conditam reſtitiſſe. Quod itèm de cæteris rebus anteà recenſitis eſt dicendum:

[d] Vid. Bapt. Fulgoſ. dict. & Fulmen. Coll. l. 1. c. 6.

Nimirùm

Nimirum vel per hunc, vel per alium fluvium ſubterraneum ad illos in quibus reperiuntur locos advectas, & poſt aliquod ſpatium temporis oblimatas fuiſſe; adeóque tandem à foſſoribus pro rebus deſuper humatis acceptas eſſe.

XVII. Nec abſimili modo concipiamus aggeſta fuiſſe ingentia iſta ſubterranea *barathra* (per B. in quarta figura deſcripta) quæ S. S. vocant *Abyſſos in theſauris*, quàm quo Fluvios ſubterraneos ortos exiſtimemus : immenſum nempè globulorum numerum in illis locis congeſtum fuiſſe, ſimul & terreſtria corpuſcula, quæ circumcircà conſtitêre, valdè conferta, & quoad figuras ſuas ad concreſcendum maximè diſpoſita fuiſſe ; ſic ut illa citiùs ſua ſibi latera clauderent , vel in mutuos amplexus ruerent, & connecterentur, quàm globulos iſtos de ſuo ſitu detruderent. Undè factum fuit, ut ingentes iſti globulorum vel aquarum cumuli manerent in cavitatibus iſtis tanquam in vaſtis quibuſdam *Ciſternis* incluſi.

Et ſi philoſophantis ingenium, vel ſimilem vel planè eandem ſibi rationem redderet, cur illæ particulæ ſubtiliſſimæ, literis S.T. oſtenſæ, quanquam leviſſimæ ſint,& altiora ſuâpte naturâ peterent, ipſum utcunque centrum (rei graviſſimæ locum) tenerent; rem veram quidem divinâſſe, factámque (prout aiunt) acu tetigiſſe videatur : Craſſæ nimirùm ac citò coeuntis concreſcentiſque materiæ circulum, qui circundat ſubtiles iſtas particulas , quæ ad Centrum ſunt, nexibus ſuis impediiſſe, quò minùs Abyſſi rotatio particulas iſtas ut ut ſubtiliſſimas, à Centro dimovere , atque ipſas pro natura verticoſæ motionis ad exteriora projicere valeret.

Minimè verò credendum eſt hoc abſque providentia conſilioque Creatoris eveniſſe, ut iſta ſubtiliſſima corpuſcula tantâ multitudine contrà naturalem ſuum genium atque motum congregata, & tam conſertâ craſſarum particularum coronâ cincta fuerint : Deus etenim, quià deſtinârat huic agili atque actuoſæ materiæ generalem quandam provinciam atque inſignem efficacitatem; dabat ei ſitum hunc, in quo virtutis ſuæ radios undique diffundens indeſinentèr ſerviret unicuique naturæ, tum Minerali tum Vegetabili, ſimul & animanti, necnon utique cœleſti, per calidos atque ſulphureos vapores, quos ex omni parte mittit.

Placuit insupèr Omnipotenti, ut (præter indolem Cosmopœiticæ motionis, ipsámque naturam rei subtilissimæ) harum particularum congregatio, mora, sustentatióque in hoc loco fieret, *Ne quis insanus hæc omnia per physicum motum sine mente, sine ratione, vel consilio, vel potestate Divina perfici crederet, aut somniaret.*

XVIII. Ignem quidem in ipso terræ Centro, renuente quasi naturâ, situm esse probant halitus, & aspirationes istæ calidæ, quæ non tantùm visuntur in summo tellure, sed in profundissimis etiam foveis atque fodinis sentiuntur. Ità ut cùm ad octogesimam vel centesimam orgyiam perveniatur, quò profundiores posteà sint foveæ, eò calidiores erunt halitus: Quod manifestum est indicium, quid *calidum* & *igneum* subesse, quod vapores istos sursum mittat. Quos quia per universam Terræ faciem; & ex omnibus ubicunque profundis foveis oriri cernamus, è Centro proveniisse meritò censendum est.

XIX. Quibus autem claustris, quibusve pedicis in imo detineri potuerunt istæ volatiles & igneæ particulæ, facilè concipiant physici, qui credant Deum πυεσιυργὸν voluisse in ipsa creatione, vel prima saltem motione materiæ, magnam subtilissimarum particularum multitudinem ad Totius centrum volvi, ibidémque locàri; magnámque circumcircà multiformium crassarúmque particularum consertim contextéque junctarum copiam, tam propè sitam esse, ut cùm jussu Dei tota moles Abyssi concitaretur eâ vertigine, quæ nata erat subtiliorem materiam ad exteriora; crassiorem interim versùs centrum deferre; istæ craſſæ particulæ unæ alias apprehendentes, citiùs inter se cohæresçerent, quàm subtiles hæ particulæ per Uiversi gyrationem de suo loco pelli, atque versùs superficiem projici potuissent. Facili, dico, promptâque ratiocinatione concipiant illa crassa atque ramosa corpuscula (in fig. 4ta. literis A. A. A. denotata, quæ pilulas, utì concipio, centrales cingunt) cùm densiùs implicata fuerint, haud solùm detinuisse istas pilulas, at ipsas etiam constrinxisse, ac in angustiores limites adegisse.

XX. Cum verò subtiles istæ particulæ sive pilulæ, sic ab ambienti materia compressæ cogerentur propiùs ad se invicem accedere, vehementiùs agebant; atque naturam igneam protinùs induebant: Quam Deus ad hunc modum conflari (prout concipio)

pio) atque in hoc ſitu diſponi voluit, ut toto terrarum orbi ſerviret per ſua calida effluvia, quæ circumquáque diffunderent: Quippè ſepem illam, quam finximus, haud adeò denſam compactámque fuiſſe concipiamus, ut Illæ igneæ particulæ non per ejus interſtitia dies noctéſque ſufficienti copiâ ad munus ſuum perficiendum, mearent.

XXI. At ut Ignis ille mediterraneus, id quod ſuum eſt obiret, porrò concipiendum eſt, mox ab Abyſſi commotione varias occurſationes concretionéſque particularum factas, diverſáſque rerum ſpecies exindè genitas fuiſſe; particulatìm quidem ſulphureas & humidas quaſdam naturas; eaſque, prout inter omnia concreta globi terraquei, ſic & in illa craſſorum corpuſculorum compoſitione, quam *ſepem* dicimus; ſimul & aliorum corporum vicinorum conjunctione, commiſtas fuiſſe.

Hæc ſi tanquam data ſumant Coſmologi, neceſſariò concludant (nam conſequens eſt) ſubtiles illas agiléſque particulas, quæ Centrum tenent, & igneâ ſuâ vi Solem quendam terreſtrem fingunt, extemplò concitâſſe iſtas ſulphureas naturas; eáſque ſubegiſſe ac attenuâſſe; nec non earum *partem* in ſuam naturam vertiſſe, tanquam alimentum; *partem* verò diſſipâſſe, eámque ad inſtar vaporis ſurſùm pepuliſſe ad excitandum vires ſeminum, (nam Deus jam creârat plantarum ſemina) tum ad terram irrigandam; juxtà doctrinam Moſis in opere tertii diei phyſicè dicentis, quòd *nondum pluerat Jehova Deus ſuper terram, ſed vapor aſcendebat è terra, & irrigabat univerſam ſuperficiem terræ.*

XXII. Hoc inſuper obſervent, quod illi vapores ad hunc modum concitati à Centrali igne, non tantùm germinationi paritèr & accretioni Vegetabilium; ſed & mineralium atque metallorum productionibus inſerviebant. Non quòd metalla vel in die tertio, vel in Hexaemeri ſpatio, ſed poſt aliquot annos, è terris debitè præparatis efficta atque formata fuerint.

XXIII. Sed quia neceſſe erat ut ignis iſte Centralis tandem aliquandò fatiſceret, aut per meatus ſui ſepimenti totus avolaret, ni ſulphur quoddam liquidum nunquam non adfuerit, quod particulas igneas egredientes indeſinentèr ſuppleret: Et quia ſulphur illud omninò conſumi tandem debet, ni provida Natura per digitos ſapientiæ Divinæ parâſſet ſibi penum uberrimum, undè ſucci ſulphurei quotidiè ſuppeditari potuiſſent; philoſophan-

tis officium eſt oſtendere lautum atque affluens illud promptuarium, è quo perpetua, & ſatis ampla ſucci ſulphurei copia ad Veſtalem hunc ignem conſervandum deportari poſſit.

Mihi certè diligentèr hâc de re, atque ſeriò conſideranti non occurrit, vel quoad rei naturam, tam congruens; vel quoad ejus neceſſitatem quotidianam, tam copioſum; vel quoad loci diſtantiam atque altam profunditatem, tam parabile, tam promptum, tamque portabile nutrimentum; quàm ſulphureus iſte liquor, quem Mare vel de Cœlo Terraque recipit; vel ipſum ſuis viribus elaborat; eumque ad Centri vicinitates & confinia deferre ſolet. Quo ſanè vehiculo nullum puto per univerſum orbem probabilius excogitâri, vel fingi poſſe.

Quicquid enim Sulphuris è Cœlo per modum *gelatinæ* (cujus eſt immenſa quantitas) paſſim decidit; quicquid ejuſdem naturæ vel per Rores aut Pluvias, per Nives aut Grandines; per Fulgura Tonitruaye de Cœlis cadit, id omne vel rectà concidit in Mare; vel (ſi in Terram priùs delapſum fuerit) tandèm per rivos, aut pluviales aquas in Mare defluit: Et id quod ditius eſt, & gravius in hoc ſulphureo liquore poſt breve tempus, fundum petit. Undè vel per majores alveos ſubmarinos, vel per canaliculos, aut alios aquarum ductus inſenſibiles ad ſenſum tamen (in *Figura quarta* delineatos, & literis L. F. indicatos) uſque ad viciniam Centralis iſtius ignis defertur.

Et ſi Terra, quæ eſt in Centri vicinia, ſit glareoſa; vel (ut quidam putant) *ſabulum vivum*, (quod indigitatur per literas Q. Q. Q. in Fig. quarta) peridoneum quidem videtur eſſe receptaculum ſulphureorum iſtorum liquorum (quicunque fuerint) qui in fundis Marium ſubſidunt: Et indè *partim* per Aëris aut Expanſi vim ἐλατικὴν, id eſt, *abactivam* (nam vîs Aëris ipſa Terræ profundiora pertingit) altiùs adiguntur ad ipſum focum Centralem, ut ei alimento ſint; *partim* per calorem iſtius loci benè digeſti, ſimul & attenuati; Vapores fiunt, & ſuſtolluntur, ut versùs ſuperficiem propulſi generarent mineralia atque Metalla; nec non ortum & augmentum Vegetabilium quoque promoverent.

XXIV. Calidis iſtius *ignis* aſpirationibus attribuenda eſt prima Plantarum omnium productio, quæ tertio die peragebatur. Idem etiam calor, qui jugiter ab illo foco, tanquàm à *terreſtri* quodam *Sole* provenit, ex illo tempore conſtanter ſuas partes egit, tum in herbis

herbis educendis; tum in mineralibus ingenerandis; præsertim in Metallis; quatenus iste calor à foco Centrali consurgens,& undequaque se diffundens, ita partes quasdem terræ digerit atque disponit, ut posteà Cœlestis Sol in illis omnia metalla tanquam in matricibus ingignat: idque tum pro ratione præparationis suæ per Centrales halitus; tum pro modo specificationis earundem per Planetas alios.

Non quòd Metalla, prout vegetabilia, vel in die tertio, vel in hexaëmeri spatio, genita concipiam; sed multò postea; prout anteà dictum est: Nam Metalla, cùm non fiant à semine; nec in se (quicquid in contrarium dicant Hermetici) gerant semen, (à quo festinatiorem velociorémque perfectionem reciperent)non nisi pedetentim atque sensim, vertentibus annis, in terra speciali, & præparatâ διὰ τῆ ἐπισωαγωγῆ, *per aggregationem* effecta fuerunt. Unde fit quòd in tota Creationis historia, nihil de metallis à Philosopho nostro Mose, ne verbum quidem, prolatum sit.

XXV. At vegetabilia (quia *semen suum habebant in seipsis*, & quià semen illud reverà fuit ipsius plantæ compendium , digito Dei concinnatum) citò producebantur, unico saltem die,per virtutem Vaporis ascendentis è terra, perfectionis suæ culmen adepta : Semen illud Deus ipse fecit; plantas autem Vapor & virtus Terræ germinare tantùm fecit, & accrescere.

Quocircà non mirum est, si recens vigor naturæ tantâ celeritate Vegetabilia perduxerit ad maturitatem suam, cùm Deus hoc ab initio Vegetationi concessit, ut multùm accelerari vel ab arte possit: Quippè sciunt Hortulani quâ viâ fruticationes suæ paucis diebus eò promoveri possint , quò natura multis septimanis, imò sanè mensibus, eas haud perducat. Et certum est semina lactucæ, &, ut aiunt, alia quoque semina, mirabili quodam succo minerali simul & animali priùs imbuta, cùm terræ mandata fuerint, tam festinò pullulare posse, ut intra tres horas ad altitudinem trium digitorum, vel ultrà excrescerent. Nec rei ratio me sinet radarguere dicentes, quòd arte Olitoriâ tam festinò fieri possit accretio , ut quædam nasturtia (nec non alia) quæ primis mensis incipientibus existant semina; in mensis secundis ad acetaria paranda veniant. Afferunt etiam peritissimi philosophi per artem parari posse aquam peculiarem, insipidam quidem, tantæ tamen efficacitatis, ut præter alias vires egregias, ob hanc eminentèr alias excellat,

excellat, ut illa, ſi mollia ſemina quorundam vegetabilium (quæ multo ſale volatili prædita ſunt, qualia ſunt cochleariæ ſemina, naſturtiorum, & ſimilium) vel horum unum vel alterum, in ea macerentur, atque ſubindè ſuper aſſerculam vel quadram ligneam diſtinctè collocentur, & terrâ vel arenâ ad latitudinem digiti, vel minùs, altâ contegantur; ſimul & benigno calori ſolis exponantur, extemplo germinabunt; ac tam celeritèr increſcent, ut herbæ ipſo aſpectu creſcentes cernantur. Quamvis ipſe mirabilem hanc accretionem non vidi, Viri tamen (à quo rem ſæpè factam recepi) veracitati, nec non experientiæ, tantùm fidei tribuere audeo, (præſertim quia naturas earum rerum, ex quibus fit hæc Aqua, debitâ parandi ratione adhibitâ, tanti affectûs eſſe capaces exiſtimem) ut non verear argumentum tam inſigne publicæ notitiæ committere; & ad eas rationes, quas attuli ad ſubitas accretiones herbarum perfectionéſque probandas, adjicere.

Sin ab hominis ingenio creſcendi vires augeri tantoperè poſſint, cur non à vegetiori principio magìs potuerint; cùm Deus ad Diei illius opus accelerandum ſic voluerit? Certè quidem, re benè penſitatâ, nullum à brevitate temporis, quod ad opera Vegetationis aſſignatur, argumentum trahi poteſt, cur Hagiographomaſtiges aut Moſis ſapientiam redarguerent; aut quos in hiſtoria Creationis dies numerat, in annos verterent.

Nam ſapientiſſimus ille Mundi conditor & ſator Deus, qui rerum omnium ſemina, vel (quod verè dicatur) compendia creârat, juſſit ea ſtatim non modò creſcere ſed & multiplicari: Quod ut fieret, Deus omnibus herbis impertiebat tam feſtinam creſcendi facultatem, ut mox aſſecutæ maturitatem ſpecies ſuas propagarent: Dabat illis Deus creſcere ſuâ vi, ſuoque modo, ut ſe αὐτοφύεις aut τὰ φυσικὰ, id eſt, *ſuâ virtute creſcentia* feciſſe monſtraret; & illas in primo ſuo exortu confeſtim perfici voluit; ut ſe φυτουργὸν, id eſt, *plantarum Conditorem* eſſe probaret. Suâpte quidem naturâ creſcebant plantæ, ſed Deus illis elargiebatur ſuam naturam, nempe ſemen; à quo facultas omnis, atque vegetatio proceſſit.

Deus enim fecit omne virgultum agri, antequam eſſet in Terra; & omnem herbam agri priuſquàm germinaret. Hoc eſt Deus fecit omnium plantarum ſemina (quæ ſunt ipſarum compendia) priuſquàm illa, radices agendo, terræ ſe indidiſſent; aut è terra, germinando, prodiiſſent. *Object.*

Object. At qui fiat, inquies, ut Deus idcircò dicatur esse Authoꝛ Vegetabilium, quià plantarum semina creabat, cùm permultæ sint plantæ, quæ nullum semen ferunt; & à nullo productæ sunt: Nam si nonnullæ vi materiæ, quæ bruta res est, fingi perfectéque specificari possint, cur non omnes sic itidem fiant; addeò ut totius speciei procreatio minimè sapientiâ vel potestate Dei caruisse, vel ab illo dependisse videatur? Id quod Moses ipse tantùm non agnoscit; quando fatetur *Terram protulisse germen, herbam seminificantem semen, juxta speciem suam; & arborem facientem fructum, cui semen suum inesset, juxtà speciem suam*; Ubi planè materiæ soli tribuitur Vegetationis opera: quippè cùm Terra produxerit herbam facientem semen, produxit etiam semen ipsum. Nam certum est, & à sapientibus acceptum atque celebratum axioma, *Causam causæ, esse causam causati.*

Resp. Fallax & captiosa ratio, sed quæ virum intelligentem, nisi volentem, non capiat. Nam quis nisi mentis inops, hoc est, qui vel ratione, vel religione caret, intimam herbarum naturam ac potestatem, mirandamque contextionem animo suo lustrare; quis ipsarum elegantissimam faciem atque varietatem oculis intueri possit, & non Deum authorem concipiat? Quem certè quælibet herba monstrat. Nequit enim casus & fortuna, nequit cæcitas & insciti materiæ, res tam stupendas, tam concinnè, tam subtilitèr sapientérque fabrefactas efficere; nisi Deus ei principium atque methodum motumque sufficeret, quod per semen præstabat.

XXVI. Nam quanquam semen haud semper appareat, ut quod propter exilitatem suam visum nostrum fugit; omnibus attamen aut semen aut quid analogum inesse credendum est, idque si non in fructibus, aut florum calicibus, saltem in radicibus, aut in ramis aut stipitibus; ut videre est in ulmis, in salicibus, & populis nigris; ac in aliis, aut in ipsa lachryma, quæ Iridis est natura; vel in foliis quibusdam, quibus affixum est granum, quod Græci μιχὸν appellant; vel sub externa cortice, ut fit in Tubere subterraneo.

Nec unicuique Vegetabili suum semen, vel quod æquipollet semini, duntaxat innatum est; sed & cuique à Creatore data est ea contextio partium, atque internorum pororum structura, quæ

succum

ſuccum nutritium ingeſtum modificare, eumque pro ſua diverſitate, tam variis figuris atque proprietatibus induere poteſt, ut eâ ipſa ratione multiplices & plantarum, & florum fructuúmque ſpecies formare valeat.

Veritas hujuſce rei manifeſtò comparet in plantarum ſurculis, & oculis aut taleis, quæ inſeruntur aliis diverſæ ſpeciei ſtipitibus: Quippe notum eſt ſurculum Pomi Petitii inſertum Arbuto vel Maciano, quamvis ab Arbuti ſtirpe ſuccum ſuum nutritium recipiat, non arbuta proferre ſolere, ſed poma petitia; propterea quòd particulas iſtius ſucci tranſeuntis per poros ſuos ità fingit atque figurat, ut Petitii naturam prorsùs induat, fructúmque ſibi per omnia ſimilem generet. Id ipſum obſervare licet in aliis omnibus inoculationibus.

XXVII. Sive igitur à ſemine, ſive à radicibus omnis ubique plantarum vegetatio, cunctæque ſpecies herbarum proveniant; Deum tamen Opificem ſibi vendicant; qui non ſolum fecit de nihilo ſemen ipſum (quod eſt res valdè ſubtilis, & quaſi ſpiritus) ſed & corpus ſeminis (aut ejus capſam) quoque formavit ac contexuit; undè & radices, & ſtipites, atque tota plantarum fabrica ſuos internos poros ſuamque ſpeciem nanciſcebantur: Ita ut non ſolùm philoſophi noſtri doctrina, ſed & recta ratio perſuadeat, ut credamus, & *Deum feciſſe omne virgultum atque omnem herbam agri* [e]: ſimul & ipſam *terram* (bruta licèt ea mater fuerit) ſuâ vi peperiſſe omnes herbas, & arbores [f] adeóque non ad hodiernas ſolummodò, verùm etiàm ad Diei tertii fruticationes adornandas Deum cum natura conjungendum eſſe: Nam Deus, ſeminis opificio ſibi reſervato, totam vegetationis operam relinquebat Naturæ, ſecundum leges ei datas, abſolvendam; ſic ut ſuccus nutritius ſolo ſuo tranſitu per meatus ſeminis, omnem creſcendi atque herbeſcendi paginam (ſive ramos & folia, vel flores atque fructus, omni genere ſplendoris & elegantiæ conſpicuos, attendamus) conſummet: modo, prout opinor, ſequenti.

[e] Gen. 2. 5.
[f] Gen. 1. 11. & 12.

XXVIII. Quàm primùm Deus ſemina creâſſet, (quæ, prout veriſimile eſt, ſimul ac Terra fieret *arida*, & vegetabilium alendarum capax, erat) in intimos eorum poros ilicò terreſtris quidam ſuccus impulſus fuit: Vis impellens fuit calidi *partim* Cœleſtis, *partim* Centralis actio; *partim* tamen, & præcipuè, longularum

gularum particularum, ſive bractearum (expanſo vel Aëri propriarum) diſtenſio. Quippe Vapor à Centrali igne mox aſcendebat, & ſubtiles iſtæ particulæ, quæ tunc Solis vicem ſupplebant, continuò deſcendebant; itémque longiuſculæ particulæ (quæ valdè ſubtiles etiam ſunt) terram uſque ad ſeminum radicúmque ſedem ſitúmque (longéque profundiùs) extemplò permeabant; ibidémque nixus ſuos expanſivos exerebant. Nam conſentaneum eſt ubicúnque fermentatio naturarum, vel rarefactio unquam fiat, ibi ſubtiles iſtas pilulas; & Expanſi (vel Aëris, ut loquuntur) particulas etiam pervaſuras eſſe.

Iſtæ ergò longiuſculæ particulæ (quæ penetrant atque rimantur omnia) præeunte ſubtili pilularum materiâ ſemina omnia recens facta mox intrabant; eorúmque meatus omnes per diſpandentem ſuum nixum dilatantes liberiorem introitum ſucco nutritio faciebant.

Succum nutritium dixi, non aquam, propterea quià certum eſt plantas haud augeri nutririve aquâ, ſed viſcosâ quâdam materiâ, quæ in aqua latet: at quià viſcoſus iſte ſuccus per ſe non eſt habilis & aptus permeare plantarum poros niſi priùs attenuetur, multum aquæ poſcit, ut in ea ſubtiliſſimè diſpertiatur, adeóque fiat tam fluida, ut unà cum aqua promptiſſimè per minutiſſimos omnium arborum herbarumve meatus tranſire, atque ad partes alendas apponi poſſit.

Certum eſt autem ne centeſimam quidem partem aquæ iſtius, quam plantarum ſemina vel radices à vi Aëris expanſiva protruſam recipiunt, ad ipſarum partes apponi ſolere; cæteras omnes verò (dum circueunt per vaſa ſuccifera; partéſque nutritias, quas vehunt, ſenſim deponunt) exhalari: Quod ipſum pariter accidere videmus animalibus alendis; in quibus attamen humoris ſuperflui ſeparatio fit per Urinam atque per Alvum; non autem per meatus corporis ſolummodò, prout in Plantis ſolet.

In quibus certè, mirum eſt dictu quanta ſit aſſidua tranſpiratio; immò etiam quàm profuſa per omnes ſuos poros deſtillatio: Tanta profectò, ut nonnullæ arbores aliquandò per eam Fontes ac inundationes efficiant: ſic notus iſte Fluvius, qui dictus eſt Ligeris in Gallia fertur ingentes alluviones pati abſque ulla cauſa, niſi quòd habeat in fontibus & ſcaturigine ſua, magnam atque prægrandem ſylvam Abietum atque Pinorum, qui multum in ſe

viſcoſi cujuſdam ſucci Terebinthinoſi de Terra recipiunt, atque idcircò immenſam quantitatem aquæ ſimul admittunt: Nam quia viſcoſus & lentus iſte ſuccus, (qui eſt arboribus iſtis alimento) nequeat permeare poros internos iſtarum arborum, niſi magnoperè diluatur aquâ, ſic ut in particulas ferè tenuiſſimas redigatur, immenſam quantitatem aquæ poſtulat: Hæc autem, quia non fuit iſtarum arborum nutrimentum, ſed ejus vehiculum ſolummodò; & quia, ſeparatâ viſcoſitate ſucci nutritii, atque ad arborum partes affixâ, tenuis evaſit, ilicò per ipſarum poros effluit; adeóque Fluvii Ligeris aquas excreſcere, inflari atque extra limites ſuos exire cogit [g].

[g] Vid. Joh. Fabri Monpelienſis Panchym. l. 4.

Nec minùs admiranda eſt ingens humoris aquei copia, quam vis Aëris ſubterranei propellit in radices arborum, ſi verum ſit, quod ferunt de arbore quadam in Inſula, (nota quidem, ſed quæ mihi nunc in memoriam non recurrit) per cujus poros aiunt exſtillare aquam tanta quantitate, ut ſufficiat toti Inſulæ: In qua nihil eſt aquæ, niſi quod profundit hæc arbor. Et æquè dignum eſt admiratione, quod narratur de arboribus Inſulæ cujuſdam nebuloſæ, dictæ *de Fer:* Quam ferunt, etiamſi neque fontes habeat, neque fluvios, non carere tamen aquâ per arbores ſuas affluentèr exhibitâ: Nam quia perpetuo denſis nubibus obſitæ ſunt illæ arbores, ſemper etiam ſcatent aquâ: Hoc autem fieri vix potuit, niſi per expanſivas Aëris externi vires, quæ nubium vapores in ramos atque truncos arborum tam copiosè, támque potentèr pellunt, ut nunquam non fluant aquâ, cunctis animalibus iſtius Inſulæ ſufficienti.

Liquet his exemplis quid Aëris expanſivæ particulæ valent ad nutritionem atque ad augmentum plantarum, ſuccos nutritios intrudendo. Et quàm parum ſit nutritii ſucci, quem recipiunt, & in ſe retinent arbores, præ quantitate liquoris iſtius qui tranſpirat. Et certum eſt quàm plurimis herbis innatum eſſe, ut pœnè centies plus liquoris aquei per ſuas radices & truncos atque ramos accipiant, quàm quod in alimentum vertant: ut conſtat è notis, atque familiaribus experimentis (at ſcitè atque obſervatè factis) per ſurculos menthæ, & aliarum herbarum, vitris aquæ pluvialis ferè plenis inditarum.

Sed ut redeam ad inſtitutam methodum, & in ea procedam. Concipiendum eſt ſuccum hunc nutritium à pilulis ſive à particulis

lis igneis inquilinis (tam quæ ſurrexiſſent à Centro terræ, quàm quæ ab Orbe Empyræo deſcendiſſent) multùm ad appoſitionem, quam vocant, diſponi ; verùm autem per figuras pororum internorum præcipuè adaptari: Illóque ad partes ſeminis augendas appoſito, novum ſuccum protinùs inferri per expanſivas Aëris ſubterranei particulas ſive bracteas : Quæ,quia ſemina ipſa, vicinamque regionem terræ cingunt ; & quicquid ambiunt ubique premunt & conſtringunt, terræ ſuccos indeſinentèr in ſemina contrudunt.

Hoſce verò ſuccos in derelicta ſeminis anteà rarefacti vacuola jugiter adactos, per figuras pororum, quos tranſeunt, ita diſponi, atque ad partes omnes ità aptatos reddi, ut ſponte coaleſcerent & adunarentur.

Hoc ergò ſuccorum influxu ad hunc modum repetito (nec potuerunt non repeti) ſemina ſic extenſa fuerunt ac dilatata, ut intra anguſtias integumenti ſui longiùs retineri non quiverunt; ruptis igitur externæ ſuæ pelliculæ repagulis, extemplò germinabant, & hâc oculos atque gemmas emittebant ; illâc agebant radices: Et per eaſdem porrò vias atque methodos, quibus in initio pullulabant, augmentum ſuum, atque ſummam, cui deſtinabantur à Deo, perfectionem mox acquirebant , nacta interim ſpecierum ſuarum & foliorum atque florum fructuúmque varietatem à diverſitate pororum , quos ſuccus ille nutritius intimè permeaverat.

Nec aliud videatur ad ſingula genera vegetabilium prætereà deſiderari, quàm ut ſucci nutritii tales à fabrica pororum , quos tranſeunt, figuras atque diſpoſitiones ſibi procurarent, ut ſimiles ſemper, &, pro natura ſeminum, determinatos caules & turiones exhiberent. Per quorum meatus ita modificatur ſuccus alimentarius, ut tot & tales, atque tam conſtanti ordine diſtantes ſurculos atque ramos emittant; tandémque ſingulari quâdam certâque foliorum atque florum ſpecie ſe diſpanderet ornarétque.

Sic protulit Terra germen , herbam ſeminificantem ſemen juxtà ſpeciem ſuam ; & arborem facientem fructum , cui ſemen ſuum ineſſet juxtà ſpeciem ſuam.

XXIX. At quanquam Terra ſuâ ſolâ vi, particularum motione adhibitâ,videatur omnem vegetationis operam compleviſſe ; certum eſt attamen nihil omninò ab inſcienti torpentique materia

fieri vel attentari potuiſſe, niſi particulæ tum longulæ, tum rotundæ (quibus Deus ſuas vires in initio dederat) eam moviſſent; atque mirâ partium meatuúmque ſtructurâ (quam Dei digitus in ſeminibus, aut ſi quæ ſint plantæ, quæ nullum habent ſemen, in radicibus effecerat) ita ejus ſuccum prætereuntem modificârat, atque formârat, ut iſte plantæ ſpeciem, velut aliud agens, indueret.

Germinabat ergò terra, quià Deus in eam facultatem germinandi ratione jam dictâ contulerat: Nec in toto theatro vegetabili quicque comparuit hactenùs (quanquam nonnulla ſatis enormia, veréque ſtupenda comparuerunt) quod divinam hanc philoſophi noſtri ſapientiam juſtè redarguere poſſit.

Object. Objectent aliqui fortaſſis admirabilem quendam apud Indos ſtirpem, quem *ſtirp-animantem* vocant [i] qui ſemper ex ore, vel ſaltem è ventriculo longi cujuſdam vermis (qui ſub terra profundè latet) enaſci ſolet; cujus utique naturam cum natura Vermis iſtius intimè conjunctam putant, adeóque fruticem iſtam verè *animantem* eſſe judicant; ducto illinc argumento, quòd ejus rami, ſi fortè percutiantur, ilicò ſeſe, quantum poſſunt maximè, retrahunt. Hunc igitur affirmant nec cum noſtra hiſtoria vegetabili congruere; neque Deum, ob creationem ſeminis, authorem iſtius fruticis hàberi poſſe.

[i] v. Parkinſon's Theatrum Botanicum, in cap. 66.

Reſp. Sed in Vado res eſt, nec hæret aqua; nam facile eſt reſponſum, quod affert experientia: compertum eſt etenim frutices aliquando in carne animantium radices agere poſſe: Rei exemplum præbuit Paſtor ille Taraconenſis ( ) è cujus pectore ſpina infixa & neglecta crevit & germinavit. Et probabile eſt id genus vermium è terra ſolere fugere vel ſemen iſtius fruticis, vel quod ſemini reſpondebat; quod hærens aliquandiu in quadam vel oris ejus, aut ventris cellula radicaretur & excreſceret. Nec abhorret à communi ſenſu dicere, ſemina poſſe dies aliquot in ore animantium detineri, & non fatiſcere, vel ſterileſcere; cùm notum ſit Equiſonibus & Aurigis, quòd avenæ ſæpenumerò, quæ manſæ ac deglutitæ ab Equis, & poſt moram ſuam in Ventriculis ac inteſtinis Equorum, tandem dejectæ ſunt, feraces adhuc exiſtant, ac ità fœcundæ, ut ſi ſtatim ſerantur, creſcerent & germinarent, atque ſpeciem ſuam propagarent.

( ) vid. Vitam Pireſkii à Gaſſendo ſcriptam.

Neque

Neque ſenſum fruticis iſtius arguat atque probet ea ſurculorum retractio, cùm, ut id fiat, abundè ſufficiat arctus utriuſque nexus & adhæſio, quià percuſſis ramulis iſtius fruticis concutiebatur etiam vermis, eò quòd adnato hærebat; percuſſus Vermis ilicò ſe retrahebat, atque fruticem, quoúſque ſinerent ejus rami, intùs in terram rapiebat. Et manifeſtum eſt eam ſurculorum retractionem à verme ſolo dependiſſe, propterea quòd nulla prorsùs adverteretur, niſi quamdiu ſurculi vel rami teneriores exſtiterent: Frutice namque veteraſcenti moriebatur Vermis, & fruticem vivum quidem virentémque, ſed illo ſimulato ſenſu privatum, relinquebat.

Nec abhorret à doctrina Moſaica, quod fertur de quodam ſubterraneo vegetabili, quod Græci [k] ὕδνον, Latini Tuber appellant; idem quod à Gallis (quibus eſt frequens eſculentum) dicitur *Truffe*; ſed ad Italis (quibus eſt condimentum) *Tartufi* vel *Tartufoli*: Quod quanquam ſit radix ſub terræ cortice latens, ſine caule, ſine foliis, ſine fibris aut capillamentis, creſcit tamen ad pugillarem magnitudinem, atque propagatur. Plinius, haud infiteor, huic tuberi nullum ſemen eſſe credit; & è tonitribus natum, cum fuerint imbres autumnales, & tonitrua crebra; atque ad illud generandum Terram in ſe globari; argumento ſumpto primò ab arenis, quas ſæpiùs intra partes ſuas involutas habet, admodùm moleſtas edenti; *ſecundò* ab hiſtoria Lacinii; qui, ut refert Plinius, dum mordebat illud ſubterraneum tuber, ob primos ſuos dentes inflexos per denarium intùs incluſum, doluit.

[k] v. Theophr. hiſt. Plant. l. 1. c. 2.

At certum eſt, quod afferit Johannes Baptiſta Porta per ſuam experientiam, *Tubera* habere perexigua atque nigra ſemina, ſimilia ſeminibus Cyperi, per quæ propagari ſolent. Et obſervatum eſt hæc tubera creviſſe in illis locis, ubi ipſorum corticum reſectarum fruſta projecta fuerunt, ob adhærentia quædam ſemina: Id quod judicandum eſt de communibus etiam fungis eſculentis, quorum ſemen, qualecunque ſit, aut quacunque parte fungi lateat, ab aquis illis, quibus lavantur, ablui ſolet. Unde mulierculæ noſtræ procurant ſibi novum fungorum proventum committendo terræ idoneæ illam aquam, in qua fungos lavâſſent.

Quod attinet ad argumenta, quibus oppugnari ſolent tuberorum ſemina, notandum eſt terræ ſuperficiem, ſub qua parte creſcunt

ſcunt illa ſubterranea tubera, rimis hiare ; (quo indicio, quæruntur iſta tubera ; quanquam frequentiùs inveſtigari ſoleant per porcos, qui citiùs odorantur Tubera ſub terra latentia , roſtriſq; ſuis eruunt) iſta etiam tubera cortices habere rugoſas, atque ſciſſuris plenas. Ut promptè concipiamus Lacinii denarium per terræ fiſſuras aliquandò lapſum fuiſſe in tuberis iſtius rimas, & ab illis, ſenſim creſcente tubere, contectas fuiſſe, ac penitùs obrutas : Nec alitèr ſentiendum eſt de arenis, in eorum carne contentis.

Nihil ergò valet Achilleum illud, ob quod nonnulli ſe jactant, argumentum, quo minùs rei vegetabilis hiſtoriam, quam exhibeo, tum ipſi naturæ, tum ſapientiæ Moſaicæ per omnia conſentientem eſſe confidam.

Productione vegetabilium ſic abſolutâ, Veſpera & mane *diem tertium* complebant, hoc eſt, *Ea caligo* (quam priùs enarrata materia craſſa, poſteaquàm Deus *aquas* congregari in unum; atque *Aridam* fieri juſſerat, in facie Globi depreſſi fecerat). Simul & *Ea Lux*, (quæ, diſſipatis hiſce tenebris, affulgebat, atque ad omnia vegetantia producenda promovendaque faciebat) durabat illud ſpatium temporis, quo diem metimur, priuſquàm Deus mandabat *Lumina fieri in Expanſione* Cœli; nam tunc denuò tenebras illas, quæ Lucem diei quarti præceſſerant, in illud hemiſphærium in quo Moſes vixit (ſeptentrionale videlicèt) irrepſiſſe concipiamus, ratione caliginis iſtius in ſequenti capite proponendâ.

XXX. Credamus interim Terræ faciem non actione lucis iſtius primigeniæ ſolummodò colluſtratam fuiſſe, ſed & florum fructuumque ſuorum coloribus, vividis & coruſcis quaſi pictam, reſplenduiſſe ; hic námque rubuit color incarnatus, illic croceus accendebatur, alibi ſcintillabat flammeus, aut rutilabat aureus, argenteuſque nitebat, aut ſaltèm micans quidam viror ità radiabat, ut Terra variis ſuis ex omni parte coloribus illuſtrata novum quoddam lumen circumquáque diffundere videretur: maximè verò ſplendebat ejus facies aquea ; ab illa namque primi diei particulæ ſive pilulæ velut ab immenſo ſpeculo repercuſſæ lucem multò majorem quàm heſterno die , ſpargebant. Et ſic tertius dies abſolutus fuit. Dies etiam propterea dicebatur, quia Terræ concretio & congregatio Aquarum, Plantarumque productio, intrà

eam

eam durationem motûs, quæ eſt diei menſura, peractæ fuerunt.

XXXI. Hoc unum veniâ Lectoris, addendum cenſeo; Ut qui terrarum orbem, vel quoad magnitudinem ſuam, tanquam nihil ferè, minimi pendent: vel quoàd dignitatem, non ſolùm tanquam rem infimam, ſed & tanquam viliſſimam ferè deſpiciunt, ſeriò conſiderarent, quòd intima rerum omnium natura ſit una & æquè pura; & quòd Deus, quando fundabat atque formabat terram, ad rei naturam inſiguiendam, voluit, ut Stellæ matutinæ [1] canerent; omneſque Dei filii, ſcilicèt *angeli*, jubilarent; atque ad hæc adverterent, quòd opus hujuſce Diei ſemel atque iterùm bonum & perfectum pronuntiabat; cùm tamen reliquorum dierum opera, ſemel tantùm; ſecundi autem diei, nè ſemel quidem, bona dixerit.

[1] Job. cap. 38. v. 7.

CAPUT

CAPUT NONUM.

De Opere quarti Diei.

Syllabus. I. *Particulæ igneæ per Expanſum diſperſæ nimis raræ fuerunt ad calorem ſufficientem naturæ neceſſitatibus excitandum.* II. *Deus illas in-*
gitur in unum corpus igneum colligi juſſit, & ſolem fecit. III. *Cujus corpus conſtat particulis irrequietis ; ejuſque facies eſt mutabilis.* IV. *Solis atque Syderum fabricationem Deus non relinquebat naturæ, prout operatrium priorum dierum reliquiſſet, ne daret anſam idololatriæ.* V. *Corporis Solaris aſſiduè diſſipati perditionem præveniebant, partim craſſa materiâ, quâ cingitur ; partim aſpirationes corporum cœleſtium atque terreſtrium.* VI. *Craſſa iſta materia non impedit quò minùs eam penetrarent radii.* VII. *Quamvis ab illa ſic intercipiantur ut Sol aliquando videatur maculis aſperſus, aliquando totaliter pallidus.* VIII. *Cur vires Solis haud diſpellant iſtam craſſam materiam.* IX. *Sol non tantùm lumen & calorem ſed & alias vires circumquáque diffundit.* X. *Has ut omnibus impertiret, Deus eum per Cœlos indeſinentèr rotari juſſit.* XI. *Hunc circuitum Solis Abrahamus olim prædicabat.* XII. *Rationes quæ probant Abrahamum fuiſſe præcellentem Aſtronomum, ejuſque ſententiam de motu Solis fuiſſe antiquiſſimam.* XIII. *Eandem fuiſſe opinionem Thaletis atque Pythagoræ.* XIV. *Copernici rationes eſſe vendibiles, ſed non cogentes eſſe.* XV. *Non magis neceſſarius huic Orbi terraqueo Solis ardor, quàm Lunæ temperatus humor.* XVI. *Cujus humiditas eſt aquea, ſed & Unctuoſa ; & non Aeri temperando tantùm, ſed etiam generali Mercurio producendo nata.* XVII. *Huic temperationi conducunt aliarum quoque Stellarum conſtitutiones, ſpeciatim nempe Saturni, & aliarum.* XVIII. *Saturni conſtitutio, Quæ?* XIX. *Aliæ Stellæ minores, quæ movent in eodem Circulo quo Saturnus, ſunt ejuſdem conſtitutionis & efficaciæ.* XX. *Jovis & aliarum ſtellarum, quæ ſequuntur ejus motum, conſtitutio, ſimul & effectus.*

effectus. XXI. *Martis ac Veneris atque Mercurii vires atque proprietates.* XXII. *Stellæ fixæ lumen innatum habent, & influunt in orbem noſtrum.* XXIII. *Conſtellationibus ab initio tum nominatum vires dedit Deus.* XXIV. *Stellas fixas eſſe igneæ puræque naturæ variis illuſtratur argumentis.* XXV. *Deus ipſe quaſdam Conſtellationes expreſsè nominat, earumque vires celebrat.* XXVI. *Sol primùm poſitus in Orientali parte Cœli, Luna in Aquilonari.* XXVII. *Cur Deus non dixit Opus ſecundi diei, nempe Firmamentum, bonum eſſe, donec quarti diei opus perfectum fuit.* XXVIII. *Cœlum & Terra coeunt atque miſcent vires ſuas in Aere ad gignendam iſtam mirabilem naturam, quam Mythici,* Pandoram; *Hermetici,* Aurum auræ; *Phyſici verò, rerum omnium* quinteſſentiam *vocant.*

I. Quamvis iſtæ particulæ, quæ cœlo inferiori ſcilicet Expanſioni propriæ ſunt, & ex quibus conſtat illud tenue corpus, nec à figura nec à motione ſua ſint calorificæ, ſupponendum eſt attamen non defuiſſe calorem quendam per Expanſionem undique diffuſum & à particulis etiam ſubtiliſſimis, quæ erant igneæ, ſuſcitatum. Nam pro totius rei quam propoſuimus, hypotheſe, rectè concipiamus poſt motum diei ſecundi plurimas in Expanſo particulas ſubtiliſſimas, hoc eſt, igneas, inter iſtius cœli corpuſcula longiuſcula (quæ ſunt ei propria) fuſas exſtitiſſe; *vel* inter effluvia primi Cœli demiſſas; *vel* ab Abyſſina ſive chaotica materia, per diei ſecundi gyrationem ſimul cum longulis evectas.

Hæ tamen igneæ particulæ, quia nimis adhuc raræ fuerint, non niſi puſillum nimiſve debilem calorem cierent; qui quamvis ad ortum vegetabilium; atque ad ipſorum quoque perfectionem ſatis eſſet, (præſertim quia particulæ quoque centrales (Tab. quarta per S. T. expreſſæ) quæ igneæ ſunt, auxiliatrices ſuas operas, per humidos & calentes vapores tertio die ferebant) verùm enimverò mineralibus elaborandis, ſtruendæque membrorum animantium fabricæ non ſufficerent.

II. Quocircà ſapientiſſimus ille conditor ac ſator Mundi, Deus, ut harum ſubtiliſſimarum particularum, ſive pilularum, vires unitæ, vel in anguſtiorem locum redactæ, fortiùs agerent, multum ex ea ſubtili materia, quæ per expanſum diſperſa fuit, colligi; & in unum magnum atque ſplendentem globum cogi juſſit. Sol

is eſt. Qui quòd ex immenſa particularum ſubtiliſſimarum copia, mirâ celeritate concitatâ, conflatus ſit, nihil aliud eſſe videatur (ſiquidem flammæ naturam benè conſideranti, nihil occurrat præter confertam iſtiuſmodi particularum, vehementèr agitatarum copiam) quàm conglobatus quidam fluctuantis, ac ſeſe convolventis flammæ cumulus; ſuperficie non ubique ſibi ſimili, ſed hâc depreſſâ, illâc eminenti, mox vice verſâ, prædítus. Undè Empedocles optimè Solem vocat πυρὸς ἄθροισμα μέγας, i. e. *magnum acervum ignis* [a].

[a] Laertius in ejus vita.

III. Sed quia Solaris iſta materia (mobilis ut eſt, & irrequieta) ſe ſemper intrà ſuum orbem volvat atque revolvat, ità ut modò majores mox autem minores gyros & vortices habeat; & ingenti turba nunc huc confluat, nunc illuc; alibi verò quoſdam velut hiatus relinquat; id quod alternatim facit; hinc fit ut Solare corpus habeat ſuperficiem umbris & lumine (hîc fulgido illîc pallidiori) variegatam, & montium convalliumque ſpecies viſui per helioſcopia præbeat: immò certè ut quotidiè novos vultus induat; adeò ut haud immeritò vel ipſâ Lunâ mutabilior dicatur.

Quod quamvis abhorreat à communi opinione ac à ſenſibus hominum (quorum oculis aufert aſpectum Solis, non ejus ſolùm diſtantia, ſed & ipſe radiorum ſplendor) ab illis attamen, qui veritatem rei Catoptris & Helioſcopiis accuratis inveſtigârunt, exploratè perceptum eſt. Hi namque dum Solem per inſtrumenta ſua conſpiciunt, eum deprehendunt in una parte prominentem, in alia depreſſum eſſe adinſtar æſtuantis ſali: Quin & ejus faciem valde mutabilem, atque maculis jam ſaturatè nigris, mox dilutis, numero ſituque variantibus obſcuratam cernunt.

IV. Quòd ſi Lectori valdè ludicrum videatur atque perfunctorium, necnon à Scriptore phyſico prorsùs abhorrens, ut qui modò primi, atque ſecundi, tertiique diei opera, juxta rationem naturalem vi motûs atque materiæ peracta cenſuit; jam tanquam oblitus editæ ſententiæ, vel ſibi conſcius erroris ſui, quarti diei munera per Dei poteſtatem ſolummodò confecta pronuntiaret.

Sciat me non fuiſſe vacillantis animi, ſed ſecutum eſſe *Creatorem* ipſum, *Qui non mutatur : apud quem non eſt obumbratio viciſſitudinis : Quique per immutabilitatem conſilii ſui* voluit ut quædam in initio ſic fierent perindè ac ſi virtuti, atque methodo naturæ

turæ relicta fuiſſent; alia verò ſic efficerentur, ut abſque ulla inclinatione motioneve naturæ, ſolùm per Omnipotentes ſuos digitos exiſterent.

Nempè ſic viſum fuit ſapientiſſimo, ut illa quæ in Mundi formatione, tum à rerum æſtimatore communi, tum à ſedulo contemplatore ſuprà poteſtatem motûs atque materiæ poſita crederentur; & à multis propter admirandas ſuas vires, (quæ ad quoddam Numen referri poterint) cultu proſequenda, ſic efficerentur, ut apparerent per *validum ſuum brachium* condi formarique ſolummodò potuiſſe.

Præviderat namque Deus, quàm proni forent homines ad illa colenda, quorum formas viderent eximiè glorioſas eſſe; quorúmque virtutes & affectus admirandos ſentirent: Ut meritiſſimò concipiamus hanc agilem atque ſubtilem materiam, quæ Solem conſtituit, à Deo ſolo congregatam, atque in denſiorem, quàm ſubtilis iſtius rei natura pateretur, globum fuiſſe redactam, ne quis ipſam materiam vel caſu, vel ſuopte ingenio ad hanc excellentiam vtrtutis evectam putaret: Inſuper &, quò minùs homines eam veneratione ac cæremoniis honorarent, optimè credamus ei ſerviles operas, atque ſtatum mutabilem, ſolubilémque à Deo datum fuiſſe.

V. Quamvis etenim Sol perennis ſit Orbis, & ad ſacrum proverbium uſque durabilis [b]. Cùm tamen omni tempore, & circumquáque diffundat ſua corpuſcula, (nam certum eſt per experimenta multiplicia, quod radii ſolares ſint corpuſcula) magna ſui diſpendia quotidie facit: Adeò ut non poſſit non in paucis annis ſolvi diſſiparique Solare corpus, ni ſemper præſtò fuerit continuum ac juge quoddam alimentum, quo ſe ſuſtentet.

[b] Pſalm. 72.5.& 17.

Hanc ergò perditionem Solaris Orbis mirè præveniebat Deus, quandò illum cingebat eâ materiâ, de quâ Sol, tanquam ἡμερήσιον, indiès aliquid aſſumeret; eodémque tempore cœleſtia corpora omnia, ſimul & terram, aſpirabilia fecerat; atque talem diſpoſitionem particulis expanſi, (in quo velut in immenſo mari natabant omnia) talémque motum dederat, qui potis erat commercium quoddam inter omnia continuare; & ab omnibus aliquid exhalationis, adinſtar annonæ, vel diarii, ad ipſas oras Solis afferre pro ejus ſubſidio: Nam craſſior iſta materia (ſive cortex, ſive ſepes dicatur) quâ φυσάρχης Deus ab initio circumdedit Solem,

lem., eſt ei tanquam penus, unde alimentum quotidiè ſumit, indéque rem ſuam abſumptam reparat.

Rectè ſanè concipiamus Deum particulas haſce (quibus Expanſum conſtat) figurâ longulâ, motúque circà centra ſua citato donâſſe, eo conſilio, ut non tantùm cœleſtes aſpirationes ab uno Orbe ad alium, ſimul & ad terram portarent, ſed & aliquid ex ea materia, quæ à terris exhalatur, (ut particulatim loquar) ab una bractea ad aliam deinceps in ſublime ferrent, uſque ad ipſum Solem: Quâ ratione quotidianas iſtius ſepimenti, quod ambit ſolem, ruinas optimè præveniunt; eodémque opere Soli quoque reparando materiam, ac velut alimentum quotidianum ſuppeditant.

Non dubitabant antiquiſſimi philoſophi, qui cuncta ex Atomis ſive particulis effecta crediderunt; nec ambigent illi, qui per ſolida atque certa experimenta ſciunt, quòd radii Solares ſint corporei, atque ſint ipſa etiam materia, ex qua Sol conſiſtit; quin Sol de hoc ſuo corpore multùm quotidiè diſſipet; adeóque nutrimento dies ſingulos egeat.

Quicquid verò corpora Solaria (ſive pilulæ) vi ac impetu ſuo diripiunt ab iſto ſepimento, mox illud immani colliſione particularum terunt, attenuant, detornant, atque in conſimilem ſibi naturam, parilémque motionem fundunt; & ſi quid abreptum fuerit, quod agitatione ſuâ ſat comminuere non valeant, ad ſepimentum denuò revolvunt: Non ſecùs ac *liquor ebulliens* craſſas aut alienas iſtas moleculas, quas in ſe continet, & motui ſuo conformes reddere nequaquam poſſit, ad ſuperficiem regerit; ubi iſtæ particulæ ſe complicantes, *ſpumam* conficiunt; quæ quidem craſſitie ſuâ vapores exurgentes ex olla multùm reprimunt. Eodem ferè modo craſſiores illæ moleculæ, quas vehementèr inæſtuans particularum Solarium vis & agitatio ſatis attenuare nequit, atque idcircò pariter ad ſepem repellunt; exitum radiorum coercent atque moderant; nunc magis, nunc minus pro ſua copia.

VI. Minimè tamen exiſtimandum eſt hanc craſſam materiam, quâ Solem circumdatum eſſe putamus, unquam fuiſſe tam denſam, ut omninò impediret, ne materia Solaris ipſam penetraret, & per Expanſum radiaret; poteſt attamen aliquando contingere (quod aliquoties evenit) ut hujus ſepimenti contextus, modò in hac, mox

mox in alia parte tam denſus fiat, ut radiorum tranſitum ſatis liberum eſſe non ſinat ; eâque ratione quandam quaſi macularum ſpeciem nobis exhibeat.

VII. Quippè non aliud eſſe videntur iſtæ maculæ, quam craſſa quædam materiei ramenta (ſive terreſtria fuerint ; ſive ſyderea) tam densè ad quaſdam partes iſtius ſepimenti congeſta, ut radiorum exitum & actionem (à qua pendet lumen) intercipiant : Undè fit ut vultus Solis,qui totus nitet aliàs,atque fulget, ob iſta craſſa corpuſcula, quâ parte confertiùs inferuntur in ſepimentum, nonnunquam fuſcus & niger appareat,& tanquam maculis aſperſus.

Nec inter ſe tam firmè cohærent partes hujuſce materiæ (quam tum ſydera, tum tellus apparant ; quamque Firmamenti vel Expanſi corpuſcula, tanquam naturales quidam bajuli, ad ipſas oras Solis important) quin eam vis ac impetus Solarium particularum ſenſim diripiant, aut brevi diſpellant : Nec alia certè cauſa vendibilis aſſignari poſſit cur vultus Solis tam varius (ut videtur eum per catoptra conſpicientibus) tamque mutabilis exiſtat , quàm quòd iſtæ maculæ tam citò diſſipari, tamque frequenter innovari ſolent.

Cùm tamen hæ maculæ nonnunquam particulis ità implicitis & intextis conſiſtant, ut non parvo tempore diſſolvi poſſint : immò interdum fit, ut tantâ craſſarum molecularum copiâ totus orbis Solaris circumcinctus ſit, ejuſque ſepes ità inferciatur, ut Sol ad plures dies ac menſes etiam pallidus evadat ; nec (quod eſt magis mirabile) defuit tempus, quando Sol ob hanc ipſam rationem, totius anni ferè ſpatio palluit : Quod Plinius [c] *occiſo Dictatore Cæſare, ac Antoniano bello accidiſſe* memorat. [c] Plin. l.2. c.30.

VIII. Quanquam verò ſepimentum illud ſive repagulum, quo fluctuans iſta ſempérque ſe revolvens materia Solaris intrà ſuos limites retinetur, è tali re, tam laxè conſtructâ tamque frangibili fabricatum ſit, ut eam particulæ Solares affatim penetrare, ſenſimque diminuere valeant ; nunquam tamen ipſam omninò divellant, aut deleant ; eò quod ipſa vis Solis, quæ multùm ab iſto ſepimento quotidiè diripit, multum paritèr ad illud redintegrandum diebus ſingulis adigit.

Nam certum eſt multos halitus atque vàpores à calore Terræ centrali perpetuò ſurſùm mitti ; multóſque ſimilitèr à radiis Solis tum è terra, tum è ſtellis elici, vel excitari ; & pluſquam veriſimile

riſimile eſt harum aſpirationum vaporúmque partem non exiguam eſſe, quæ per ſcalas expanſi (cujus bracteæ in gyrum verſæ præbent quoſdam quaſi gradus ſcalarum) conduci ad illud ſepimentum, ac ad ipſum per ejuſdem Expanſi compreſſionem mox appingi ſolet; ut illud reſarciat: Quâ ratione, prout opinor, proviſit ſapientiſſimus Deus ne id unquam deficeret, quod unicum eſſe obſtaculum voluit, quò minùs agilis atque ſubtilis illa materia Solaris aut nimiùm profusè, vel nimis vehementèr ſe diffunderet.

Porrò non eſt ut miremur quòd hæc immenſa flamma (quippè vix ambigendum eſt quin Solis natura ſit flammea) nondum ſepimentum ſuum in cineres uſque redegerit: Neque verendum eſt in poſterum ne diruptis aliquando repagulis aut clauſtris ſuis in Univerſum tureret, & baccharetur; quamdiù ſummus ille Conditor ac Moderator omnium rerum, (*Qui decreto circinavit ſuperficiem aquarum*, Job. 26.10. *Qui appoſuit mari vectem & valvas, dicens, huc uſque venies, & ne procedito:* Job. 38.10. & 11. *Quique poſuit arenam terminum Mari, ſtatuto perpetuo, quod non tranſgredietur; quamvis incutiant ſe fluctus ejus, non tamen prævalebunt; quamvis fremant, non tamen tranſgredientur illud*; Jer. 5.22) Is ipſe eſt, qui *Septum* quoque Soli poſuit: Qui fluctus ejus immanes regit, & reprimit; jubens, ut eò uſque ſe volvant atque revolvant, & non ulteriùs; ut tot ſui partes per illud ſepimentum tranſmitteret, & non plures. Eámque ſepimenti conſtitutionem eſſe voluit, ut quamvis conſtaret particulis inſertis & contextis, ductilibus attamen, ac aptis cedere; ità ut ad motum materiæ Solaris ſe componeret; ejuſque pariter undulationes atque fluctus ſimularet, unáque montium convalliúmque vices referret.

IX. Quod attinet ad ipſum Solem, profectò veriſimillimum eſt, Deum hunc cœleſtem Pyropum de particulis igneis effeciſſe, non tantùm ut lumen & calorem ſuum naturis aliis impertiret, at ut eas etiam propriis atque ſpecificis (utì loquuntur) viribus indueret: Is etenim quia puriſſimo igne ſubtiliſſimóque naturæ ſulphure conſiſtit, per effluvia ſua tenuiſſima ſimul & actuoſiſſima producit in cunctis inferioribus (in illis ſaltem, quorum ortui vel nativitati præſidet) eximios effectus, & cum excellenti ſua natura congruentes; ſpeciatim quidem in corporibus hominum generare ſolet temperiem, quæ apta nata eſt in eorum mentibus

(qua-

(quatenùs animi dotes sequuntur temperamentum corporis) efficere generosam indolem; imaginandi perspicuitatem; subtilem ratiocinandi facultatem; clarum judicium, quo rectà ab iniquis; vel intelligentiam lucidam, per quam veritas ab errore discernatur.

X. At ut magnum illud, & non minùs potens atque beneficum, quàm glorioſum jubar Solis munia ſua feliciùs obiret, ac omnibus inſerviret lumine, calore, ſimul & influentiis ſuis; Deus illum per Cœlos indeſinentèr rotari juſſit; atque ipſum ea ratione *partitus eſt omnibus populis ſub univerſo cælo*, Deut. 4. 19. Hunc motum Solis apertè pronuntiat ſacer ille Poeta & philoſophus. Pſalm. 19. 6. & 7. *Sol*, inquit ille, *tanquam ſponſus providens è thalamo ſuo lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam; ab extremitate cælorum eſt exortus ejus, & revolutio ejus eſt ad extremitates ipſorum; nec eſt quod abſcondatur à calore ejus.*

XI. Hunc motum Solis prædicabat Abrahamus celebratiſſimus inter antiquos Aſtronomus. De quo hæc habet, antiquiſſimus Orphicorum ſcriptor [e],

[e] v. Clem. Alex. Strom. 5. & Euſeb. l. 13. c. 12.

Οὐ γὰρ τὶς ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μουνογενὴς τὶς ἀπόῤῥωξ φύλαξ ἄνοθεν
Χαλδαίων, ἰδεῖς γὰρ ἔλιξ ἀσφαλὲς ποδὸς ἴχνος
Καὶ σφαίρης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς τελέουσαν
Κυκλοτερὲς, ἐν ἴσῳ τε καθ' ὑπτίον κνώδακα.

Nemo illum novit mortalia cuncta regentem
Unicus ille niſi Chaldæo ſanguine cretus
Norat enim Solis qua ſe aſtrum lege rotaret
Et circum Terram magnus ſe volveret Orbis
Æqualiſque terèſque, intus ſita circumplectens.

Qua in re non diſſentiit ab Aſſyriis ſuis, qui fuerunt primi omnium, qui à Diluvio floruerunt; atque celebriores Aſtronomi: à quibus abſque dubio vetuſtiſſimam hanc de Cœli Soliſque motu ſententiam didicerat Abrahamus.

XII. Non deſunt, haud infiteor, nonnulli qui negant Abrahamum fuiſſe Aſtronomum: quod ab illis certè neque doctè neque cogitatè factum. Nam præterquam quod Veterum memoriæ celebrant ejus ſcientiam ſyderalem; vix credibile eſt virum natum

natum in Chaldæa, atque educatum à Patre qui, teſte Philone Judæo, fuit egregius Aſtrologus ac Mathematicus, non eâ diſciplinâ inſtructum fuiſſe. Res ipſa videtur eſſe manifeſta ex ipſo viri celeberrimi nomine. Nam cum pater ejus Therah ſyderali ſcientiâ præconceperat filii ſui ſublime ingenium; futurámque perfectionem aſtrologicam, dedit ei nomen *Abram*, quod ſignificat *virum cœli, & ſublimem patrem*, eminentem ſcilicet aſtrologum, ac æthereæ naturæ ſcrutatorem.

Nondum tamen Abraham cœlum contemplari potuit, niſi Chaldaico more: Sed poſtquam Deus ei dediſſet cœlum rectiùs intelligere, & Solis atque Lunæ ſyderúmque ſitus & poteſtates, magnitudines, diſtantias, motioneſque perfectè ſcire, voluit ejus nomen immutari, eumque dici *Abraham*, quod per expreſſam quidem ſignificationem ſacri Scriptoris, eſt *excelſus pater multitudinis*. Inſerta namque (prout obſervat Hebraicæ linguæ (ſi quis alius) peritiſſimus Ainſworthius noſter) in medium nominis אב Abram primâ literâ vocabuli המון *hamon* quod eſt, *multitudo*, fit Abraham. Sed apud Hebræos ex ea additione, non tantùm Cœli contemplatorem notat, ſed & *Sapientem*. Quippe voluit Deus ut Abrahamus non tantùm clareret appellatione *ſublimis Aſtronomi*, ſed & *ſapientis*, qui naturas & motus atque vires aſtrorum verè ſciebat. Ut ab eo nomine quo Cœli illum Creator, cunctarúmque ſtellarum conditor inſigniebat, optimè concludamus Abrahami doctrinam eſſe veriſſimam: Certè antiquiſſimam probant Aſſyriorum theoremata, quæ juxta Chaldaica Oracula ſic effantur.

Ἄρχει δ' ἀΰ φύσις ἀκαμάτη κόσμων τε καὶ ἔργων
Οὐρανὸς ὅφρα θέει δεῖμον ἀΐδιον καλαύρων
Καὶ ταχὺς ἠέλιος ἀεὶ κέντρον ὅπως ἐθὰς ἔλθῃ.

Præeſt natura indefeſſa Mundis & Operibus
Cœlum ut curſum currat æternum trahens
Et celer Sol circà centrum, ut aſſuetus, veniat.

[g] Plut. de plac. phil. l. 1. c. 18. lib. 3. c. 9, 10, 11. l. 4. c. 10.

XIII. Eadem fuit ſententia Thaletis [g] qui Græcorum Aſtronomorum primus habebatur: & Phyſicorum caput. Idem quoque ſentiit ipſe Pythagoras [h], Uterque nimirum terram in medio Mundi poſitam eſſe credebat: Ut non fit cur ſe Pythagoricorum

[h] Laert. in ejus vita.

nomine

nomine prædicandos cenſerent Ecphanti ſequaces: Quorum argumenta profectò Moſaicè philoſophantes haud eò perducent, ut credant vel Terram (quam ſegnis & ponderoſa materia gravitèr onerat) impigrè circa Solem volare poſſe; vel Solem (cui ſubtiliſſimæ ſunt, agiliſſimæque partes) immotum ſtare, ac velut ad focum ſuum domi reſidere.

XIV. Nec iſtæ rationes, quas, celebris ille Mathematicus Nicolaus Copernicus, veluti magnos obices objecit currui Solis, ne moveret, tam ſtrenuè militant, ut Moſaicos à Caſtris ſuis abigere vel debellare valeant. Plauſibilia quidem ſunt iſta argumenta, quibus illuſtrare omnia phœnomena conatus eſt: Sunt & illi quoque modi vendibiles, quos Tycho, ac alii ad explicandas res cœleſtes afferunt. Sed vix quenquam reperias, qui cum altero conveniat. Verùm (quod obſcuritatem naturæ, ſcientiæque ſuæ vanitatem prodit) maxima ingenia varias atque diverſas rationes ad unum ac idem phœnomenon elucidandum promovent, æquâ ferè probabilitate. Prout in Optica monſtrari videntur effectus atque vires oculorum ſive dixerint ſpecies ob Objecto immitti, & in oculos imprimi; ſive radios ad Objectum progredi; & viſionem per extra-miſſionem fieri contenderint.

Quod ad Tellurem ſpectat, opinatur Gilbertus ſe per experimenta ſua magnetica motum ejus oſtendiſſe: Gandamicus autem ſe per magnetes ſuos terræ ſtabilitatem firmâſſe credit. Uterque ſatis ingeniosè, ſed nimis incertè; ità ut quanquam ſuadeant hujus aut illius aſſenſum, non tamen cogant. Nec poſſibile eſt argumenta vel demonſtrationes Aſtronomorum veras eſſe, quandoquidem nullius aſtri magnitudo, vel diſtantia certò poſſit aſſignari; nec ullus in cœlo tenui ac fluido perpetuus & regularis motus exiſtat, niſi regatur ab Omnipotenti manu; ſin ità cieantur, ità gubernentur aſtra, nullus eorum motus, ſive ſit perniciſſimus, ſive contrarius, non à Moſaico philoſopho poſſibilis, immò facilis exiſtimetur; & quanquam ſit in Expanſione (quòd eſt Corpus laxum, fluidum atque mutabile) conſtans & regularis.

Deus certè, qui ut Solem atque Sydera in quarto die ex corpuſculis ſubtilibus (quæ per Expanſum diſperſa fuerunt) magnifico ſuo verbo, contra naturalem motum iſtius materiæ congregatis confecit; ſic & ipſorum motiones ex eo tempore civit;

direxit, atque perpetuavit. Adeò ut Mosaico Astronomo non Ptolemæi variis orbibus; non Excentricis, aut Epicyclis; vel Fracastorii concentricis opus sit: Nec ille Systemate Copernici vel Tychonis indiget: ut qui certus sit, quòd Cœli motus omnes per Deum vel per Angelos sapientissimè gubernati sint; & omnia, quæ apparent in illo congruentèr cum sacris literis explicari possint.

XV. Sed quia Solis ardor à sua natura siccior est, & vehementior, quàm qui de se benè conveniret cum rebus antehâc concretis; aut qui novis subindè concretionibus utilitèr inserviret, visum est Omnipotenti Creatori (qui ad conficiendas essentias rerum, non *calidum* solummodò, sed & *humidum* quoque necessarium esse voluit) eo ipso tempore, quo particulas igneas sive pilulas ex orbe Empyræo ad Solare corpus, efficiendum vocabat, tantum Salis Sulphurisque liquidi cum globulis aqueis commiscebat, quantum sufficeret ad humidam quidem, sed *unctuosam* istam *Planetam* conficiendam, quam *Lunam* dicimus.

Voluit namque Deus (quod probè philosophanti verisimillimum esse videatur) Lunarem orbem ex aquosa atque humida materia quoad magnam partem constitui, ut ejus influxus humidi vim igneam Solarium particularum quodammodò retunderent ac temperarent; adeóque ad res suas obeundas in hoc terraqueo globo magis aptam & idoneam redderent.

Quamvis enim vehemens iste calor Solis, ut satis strenuè virtutes suas ad extremitates Expansi radiaret, vique debitâ tum planetarum, tum fixarum quoque stellarum vires excitaret, minor esse non potuit; verùm tamen sapiens Deus, quoniam earum rerum (tam animantium quàm vegetabilium) quæ in hoc terraqueo globo gignuntur & crescunt, talem esse habitudinem voluit, ut tantum calorem ferre commodè non poterint, illum ardorem Solis temperatione Lunæ (cui ob hanc causam constitutionem aqueam dedit) inferioribus hisce regionibus blandiorem fecit.

Aqueam certè naturam in Luna prædominari probat manifesta, atque admiranda ejus sympathia cum aqueis omnibus, Oceano præsertim, cujus fluxus atque refluxus, omni tempore atque regulari modo quadrat cum ortu, & culminatione, cum occasu atque depressione Lunæ.

XVI. Non

XVI. Non tamen ita intelligi velim ac ſi Lunarem humiditatem ſimplicitèr aqueam eſſe crederem ; oportet etenim ut alitèr exiſtimarem, eò quod aſpirationes Lunæ per ea vitra, quæ ritè colligunt ejus radios, in liquorem pinguem redigi ſolent, ità ut credibile ſit Lunam maximâ parte conſtare unctuoſa humiditate ; tali nimirùm, quali radicalis omnium terraqueorum humiditas augeri conſervaríque nata eſt apta, ab quam quidem rationem cunctis in hoc orbe generationibus inſervit. Ubi prout Solis effluvia gerunt vicem maſculi, ita & exhalationes à Luna ſortem fœminæ ſuſtinent ; & utriuſque partes ſubtiliſſimæ ſeorſim radiatæ, ſed in Expanſo conjunctæ ac veluti conjugatæ, producunt univerſalem illum ſpiritum, ſive (proùt loquuntur Phyſici) Mercurium, cui pater Sol, Luna mater exiſtit.

Qui quidem ſpiritus eſt reverà celebris illa Pandora, quam vetuſtiſſimi Gentium ſapientes fingunt Deos omnes exornâſſe donis ſuis ; quippè eam non modò Sol *pretioſis ſuis pomis*, & Luna *delicatis ſuis fructibus* donavit, ſed & Saturnus & Jupiter, aliique Planetæ, (qui ſunt Dii Gentium) ſimul & aſtra omnia miſſilibus ſuis etiam ditaverunt ; hoc eſt, interprete ſapientia veterum ; Sol & Luna cunctæque Stellæ ad hanc Univerſam eſſentiam concinnandam coeunt & conſpirant, quatenùs ipſam radii ac aſpirationes omnium in Expanſo vel Aëre convenientes, ibidémque per ſubtilem quandam humiditatem, quæ eſt materia *Roris*, intimè conjugatæ, conficiunt, aut generant.

Ad hanc autem productionem perficiendam, Luna, (quæ eſt ultima Cœlo, & citima terris) ſymbola ſua poſtremò confert ; eique ultimam quaſi manum imponit ; ideóque ab iiſdam ſapientibus dicitur *Aeri nupſiſſe*, atque ex eo *Rorem peperiſſe*, quia per fœcundam ſuam humiditatem circumquáque diffuſam, ſe cum aëre commiſcet atque ſubtile illud, quicquid eſt, quod à Sole & Stellis defluit, imbibens, opulentam illam naturam producit, quam *Rorem* vocant ; qui generalem iſtum ſpiritum geſtat, eumque ad res omnes in hoc orbe terraqueo fovendas, vegetandas atque ſervandas defert.

Nec immeritò quidem Lunæ præſertim tribui ſolet univerſi Mercurii præparatio ; non tantùm quià Solis calorem benè temperat ; ſed & maximè omnium ſuppeditat aëri pinguem illam humiditatem, quæ virtutes omnes à Sole cæteríſque Stellis exha-

latas colligit, ac continet, atque ad terram ſpecie Roris aut pluviæ devehit.

XVII. Sed cùm dixerim vehementi fervori Solis modum adhiberi; atque Aëri temperationem per aqueam naturam Lunæ præſtari; non ità intelligendus ſum, ac ſi rem omnem à Luna duntaxat moderari crederem, quia veriſimillimum eſt alias etiam Stellas pluvioſas hujuſce temperationis opere fungi ſolere; maximè Saturnum.

XVIII. Nam Saturnus, ut obſervant Aſtronomiæ periti, talis eſt conſtitutionis, ut Aëris ſtatum nebuloſum, nonnunquam & glacialem faciat; denſáſque nubes & pluvias excitare ſoleat: Ut phyſici non inſcitè credant Deum, (optimum maximum illum φυσάρχων,) ad globoſam eam molem, quam Saturnum dicunt, multam materiam ſalinam, atque Mercurialem, cum minori portione Sulphuris adhibuiſſe; atque illum Salem & Mercurium, quoniam tantâ aquæ terræque (non omninò puræ) copiâ conſtabant, quæ ſplendorem Sulphuris obtundere valeret, hoc effeciſſe, ut Saturni lumen minimè ſplendens aut rutilans, ſed obſcurum fieret. Phyſici namque Stellarum conſtitutionem dijudicant, non per effectus ſuos ſolummodò, ſed per illum etiam colorem, quem nobis præbent. Ideóque propterea quòd obtuſum lumen Saturni fuſcum atque rubeum colorem præ ſe fert, etiam in ipſo Meridiano circulo, ubi planetarum veri colores præcipuè ſunt obſervandi, non ineptè colligunt, illum è craſſioribus Elementis Aquæ & Terræ maximè conflari.

Quanquam non negandum ſit, quin Saturnus, ut cæteri Planetæ corpuſculis igneis haud deſtitutus ſit, non tamen accenſis, ut in Sole, ſed condenſatis, ut in purioribus quibuſdam mixtis ſublunaribus, qualia ſunt *pyropi*, nec non aliæ quædam *gemmæ*. Lumen autem ſuum, quamvis fuſcum, ſatis fortiter emittit, quia compactum corpus habet, quod multum iſtiuſmodi luminis in ſe continet, alioqui non luceret. Nam Cœlum Empyræum, quamvis id maxima parte corpuſculis igneis conſtet, nequaquàm lucet, quià tenuis eſt & rara natura: Sol autem, quanquam non ſit compactum corpus, lucem validiſſimè diffundit, quia totus ſit è corpuſculis igneis, quæ licèt exiſtant ſingula & laxa, ſunt nihilominùs admodùm conferta, ſuoque ſepimento conſtricta, atque velut unita; qua ratione vehementiùs inter ſe commoventur iſta ignea corpuſcula, & ſic agunt fortiùs. XIX.

XIX. Porrò, ſi Galilæi, atque aliorum notationes veræ ſint, concipiendum eſt Deum per eandem, vel ſimilem compoſitionem, ex qua Saturnum formabat, alias ejuſdem qualitatis atque notæ Stellas, ſed multò minores, effeciſſe; eaſque in eâdem orbita vel circulo, in quo movetur Saturnus, volvendas locâſſe: Quas, quia Saturni motum ſequuntur, ipſiuſque virtutes referunt, haud dubitant Aſtronomi parvos etiam Saturnos appellare: Hi namque præ ſe ferunt eoſdem colores & pro parte ſua conducunt ad temperationem Aëris, quatenùs illi, Saturno abſente, frigidos & humidos item vapores aſpirant. Undè fit, ut quanquam *Zona*, quæ dicitur *Torrida* perpendicularibus atque directis radiis Solis ſubjecta ſit, verùm tamen uſque adeò mitis exiſtit, ut ſuâ temperie, moderatas etiam Zonas æquet; eò quòd Saturnus, ejuſque Stellæ ſequaces, radios ſuos in iſtam regionem directè & perpendicularitèr effundunt: Quæ cauſa eſt itidem cur in ipſam frequentes imbres & pluviæ decidant.

Iſta autem frigida atque humida partimque ſicca conſtitutio Saturni, per ſuas influentias in hæc inferiora producit iſtiuſmodi temperamenta corporum humanorum ſub ejus dominio natorum, quæ diſponunt eorum animos ad ſublimem conſiderationem; ſuſcepti conſilii firmitatem; gravitatem judicii; profundam cognitionem; atque ad ingenioſam melancholiam. Hactenùs de Saturno.

Quamvis omnia Elementa naturæ ad ingentia Planetarum corpora conſtituenda concurrerent, ad ipſa tamen intimè diſtinguenda, variiſque ſuis dotibus inſignienda, concretiones Sulphureæ, Salinæ atque Mercuriales ex quatuor illis principiis ortæ, proximè faciebant: Quæ quidem quâ ratione Saturnum conflabant, jam nunc expoſui per probabilem ſatque modeſtam, ni fallor, conjecturam.

Quippè cùm Deus, maximus ille γενεσίαργος, Cœlos ex eadem prima materia, quà tellurem atque mare, nec non omnia quæ in illis exiſtunt, fieri voluerit: Et totum mundum (poſtquàm de nihilo feciſſet eam materiam) per naturales quaſdam motiones effici concinnarique juſſerit: Cúmque homini divinum intellectum naturalis ſapientiæ capacem, veritatiſque ſublimioris indagatricem dederit; totiúſque Generationis hiſtoriam per Moſem (ad quem facie ad faciem locutus eſt) omnibus exponi mandaverit;

verit ; ut omnes eam notarent, omnes discerent ; & quamplurimi quoque de ea seriò meditari commentaríque studerent ; rationi simul & modestiæ consentaneum est asserere, quòd res superæ, quousque naturales, haud minùs ac omnes inferæ, physicæ considerationis existant ; nostrasque disquisitiones ac conjecturas admittant ; maximè quandò rerum terrestrium penetralia, causæque veræ atque intimæ, non minùs intelligentiam nostram, quàm Cœlestium naturæ, capita nostra superant ; ut æquè facile sit, ex iis quæ apparent, de natura Stellarum, ac de Metallis, (quæ sunt terræ sydera) definire.

XX. Quò leviùs *physici* (quicunque sint) *momi* redarguant concipientem,quòd Deus ad Jovem Planetam conficiendum, tenuiorem rariorémque salem atque Mercurium, simul cum modica portione purioris Sulphuris applicavit : Unde fit ut iste Planeta claram atque rutilantem lucem, quâ fulget, in terras spargat ; & per illud genus lucis (nam lux est , quæ vires stellarum defert) in Aëra (vel in Expansi partem inferiorem) temperiem atque serenitatem confert ; & eâ, quâ viget, habitudine corporis, tales efficit constitutiones in hominibus,in quos dominium habet, ut eos reddant ad benignitatem, temperantiam, justitiam,clementiámque dispositos : terrísque subditis fertilitatem tribuit. Idcircò tradiderunt veteres sapientes *Jovem* deamâsse *Europam*,atque ipsam ad Cœlum, fœlicitatis certè culmen, extulisse.

Non omittendæ sunt eorum observationes, qui telescopiis suis experti sunt in Cœlo Jovis, æquè ac in Saturni circulo, plures inesse Planetas ejusdem naturæ cum illo, atque ipsius sequaces & subsidiarios esse ; propterea quòd similes omninò virtutes, absente Jove, directè in terraqueum hunc globum mittant.

XXI. Ad Martem verò fabricandum non ineptè concipiamus Deum, rerum omnium Artificem , Sulphur & Salem præcipuè , minus autem Mercurii,sed agilissimi subtilissimique, promiscuisse : Unde Mars (cujus lumen igneum est , colorem rubrum atque rutilantem præ se ferens) summè calidus est & siccus, indéque illud calidum naturale, quod rebus inferioribus instillat, validum est & non facilè dissipabile, quia tenacissimo Sale (à quo pendet rei longa duratio) coagulatum est : Et hanc esse causam censent Astrologi , cur animositatis ardorem & iras accendere, lites ac bella movere solet ; & homines , audaces , atque magnanimos efficiat ;

efficiat; immò certè periti ſpeculatores Cœli, & literaturæ ſydéralis eximiè compotes, haud dubitabunt id omne, quod vident aut valdè actuoſum, vel violentum, ad planetam Martem referre.

Venus eſt Planeta, quem Deus videtur è puriori Sulphure, quàm Martem, conflâſſe; & ad eam conſtituendam multum Mercurii, minus autem Salis adhibuiſſe: Undè fit ut Venus ſplendeat colore nitido, & (prout teleſcopia eam repræſentant) nonnihil viridi; & tres illas naturas eâ proportione commiſceri voluit, ut ſuo temperamento multum caloris nativi (quem vocant) multúmque radicalis humiditatis in ſe contineat, quod affluenter per radios ſuos omnibus inferioribus impertiat. Hæc compoſitio Veneris ità per influxus ſuos afficit humana corpora, ut homines faciat proclives ad amoris atque ſpei ſuavitatem; ad omnimodam dilectationem; ad deſiderii motum & concupiſcentiam; ſuámque propagationem.

Hinc veteres Phyſici, qui rem mythologicè tractârunt, ob amicas atque beneficas eas dotes, quas Venus per expanſum, vel aera, diſpergit, finxerunt Venerem à Jove ſuſpenſam eſſe in aere; nimirùm propter vim illam germinatricem, aque rerum omnium productricem, quæ eſt in aere; unde res omnes vitam, fomitem atque alimentum ſuſcipiunt.

Deus ad condendum hunc planetam, qui Mercurius dicitur, tria iſta elementa ſecundaria (nam ex quatuor primis ſunt compoſita, & proximè conſtituunt omnia) Salem nempe, Sulphur, & Mercurium ſic conjungi, ſic comparari juſſit, ut Mercurius plus cæteris omnibus illâ humiditate viſcoſâ, quam vocant radicalem, dotatus ſit: Ità ut terreſtres Aſtronomi (qui callent naturam ac originem terreſtrium aſtrorum, ſcilicèt Auri, Cupri, Mercurii, Jovis, &c. quique cognationem, quæ eſt terreſtribus hiſce cum cœleſtibus, optimè ſciunt) quicquid eſt iſtius humiditatis inter hæc inferiora, ad Planetam Mercurium præcipuè referant. Quem eâ de cauſâ *fœcunditatis patrem* vocant.

XXVIII. Quamvis enim Ros & Pluvia, Aër & Venti virtutum omnium, quæ Cœlo & Stellis defluunt, & quæ terras impinguant, *vehicula* dicantur, eâ tamen ratione ſolummodò, quatenùs hanc Mercurialem humiditatem geſtent atque deportent; quam ſextus iſte Planeta copioſiùs in aëra per aſpirationes ſuas effundit, ut

iſta

iſta viſcoſa humiditas Cœli vires, atque omnia ſtellarum defluvia, per expanſum diſperſa, primò recipiat, in ſe retineat, unáque ad terram deferat: Undè olim Aſtronomi, qui per mythologiæ doctrinam ſe venditabant, docuerunt *Mercurium Junonis lac ſuxiſſe*, Junonem pro Aëre (veriùs pro Expanſo) ſumentes; Ipſúmque fingebant *Deorum* (nempe Planetarum) *nuntium*; *atque mercatorem* eſſe.

Non igitur immeritò vel abſque cauſa veteres Aſtrologi variis terræ plagis, illis præſertim, quæ ſub illius imperio jacent, fertilitatem; vini & frumenti copiam; fructuúmque terræ magnam abundantiam creari cenſebant. Homines item ſub illo natos à Mercuriali temperamento corporis, quod iſte Planeta gignit, artibus & ſcientiis aptos, atque diſpoſitos reddi; necnon acutos, actuoſos, loquaces, atque mercaturæ pronos effici judicant.

XXII. Huc uſque plurima ſanè perdigna ſcitu de Solis atque Lunæ, necnon aliorum quoque Planetarum generatione ac viribus expoſui; deinceps haud exilia de fixis etiam ſtellis enarraturus. Quæ quidem ſtellæ non ſolùm micant innatâ ſuâ luce, ſed & inſignes vires habent, & exerunt; eaſque affluenter in hunc terrarum orbem diſpergunt. Et quanquam fortè Fixæ Stellæ ſingulæ per ſe minus efficiunt, illæ tamen à Deo in diverſas conſtellaturas diviſæ, præter eos influxus, quos ſingulatim ſpargunt, varios admodùm, ſibíque junctis peculiares, aſpirant.

XXIII. Certum eſt namque cœleſtes haſce Conſtellationes, quas vocant Sydera, minimè lineamentis Aſtrologorum, vel Poetarum figmentis aſcribi debere, verùm ſapientiſſimi Creatoris artificio conſilióque referendas eſſe: Ille etenim in initio Unicuiq; ſigno Celeſti dabat nomen [i] cum natura ſua congruens; vel ſaltem cum illa virtute quâ illud ditavit. Et quanquam vires ac nomina Syderum omnium non pateant in ſacris literis, idem tamen judicium de cunctis ſyderibus eſt ferendum, quod de quibuſdam reddi oportet; cùm ſatis conſtet, quod Conſtellationes ſive Sydera כימה *chimah*, (quod interpretes optimi reddunt *Pleidas* ſive *Urſam minorem*) & כסיל *cheſil* (quod, *Orionem*) item עש *Ghas* (quod *Arcturum* vel *Booten* vertunt) ut & מצרות *mazzaroth*, (quod his *Luciferus* eſt, aliis aliud quoddam ſydus) à Deo nominata ſint, eorúmque vires & influentiæ ab ipſo laudatæ.

[i] Pſalm. 147. 4. & alibi.

Non

Non eſt,ut omnia illa nomina Syderum, quæ tot veluti figuras atq; formas rerum viventium in Firmamento locârunt,(qualia ſunt Aries,Taurus,Gemini, Cancer,Leo,*&c.*) à Deo impoſita fuiſſe neceſſariò credamus;certum eſt attamen ipſas res,ſcilicet inſignes iſtas Stellarum veluti ſodalitates,ſive Conſtellationes ab illo conſtitutas; ipſiſque peridonea nomina, miraſque virtutes aſſignatas fuiſſe.

Interim verò non dubitandum eſt, quin ea ipſa nomina, vel eorum multa, quæ Gentium ſapientia Syderibus adaptavit (ut quæ cum naturis conſtellationum benè congruebant) Divino Spiritui comprobata; nec non à vetuſtiſſimis aſtrologis (Aſſyriis, Hebræis, Phœniciis, & Arabicis atque aliis) longè ante ætatem Thaletis uſitata fuerint. Fidem faciat notabilis ea commemoratio, quam pervetuſtus & eximius iſte philoſophus ſimul & aſtrologus Jobus [k] facit maximæ iſtius Conſtellationis נחש *Nahhas* dictæ, his verbis, *Deus Spiritu ſuo Cœlos ornavit, manus ejus formavit Draconem ſinuoſum.* Quippè de Cœleſti Dracone ſunt intelligenda, non de marino (ut quidam volunt) quoniam valdè alienum foret, & prorsùs abſonum, ut initium iſtius verſiculi ſit de Cœlo, finis autem de Mari, cùm in præcedenti verſiculo de Mari egiſſet, & cùm ad ornatum Cœli, quem prædicabat Jobus in hoc verſiculo, pleniùs exponendum, maximè faciebat expreſſa magni iſtius atque in Cœlo maximè perſpicui Syderis, *Draconis* efformatio.

[k] Cap. 26. 13.

De Conſtellationibus etiam plura dicentur, ubi cogitationes notionéſque noſtras explicaverim de Stellarum fixarum natura; quarum admirabili conſtitutioni debentur iſtæ ſecretæ vires atque dotes admirandæ, quas poſſident; quaſque dies & noctes in hunc terraqueum orbem diffundunt.

XXIV. Stellas certè fixas eſſe igneæ naturæ vix à Pyrrhonio quopiam dubitari poſſit; & eum ignem, quo calent Fixæ, non ego laxum atque mobilem cenſeo, (qualis eſt iſte Solaris) ſed conſiſtentem concretúmque, qualis in compoſitis rebus agnoſcitur, maximè in calidis, purâ tamen ac tranſparenti naturâ claris; ita ut luceant.

Notum eſt multa exiſtere in hoc orbe terreſtri, quæ per internum ſuum ignem, lucem quandam de ſe fundant. Id quod videre eſt inter animantium, vegetantium, Mineraliúmque genera, tam ab arte quàm à natura fieri: Eſt in Cicindelis admirandus

quidam liquor, qui noctu ſtellat : Eſt & in oculis animalium quorundam ; in ſquamis piſcium, atque in putridis etiam lignis quod in tenebris ſplendet : Aquæ marinæ, ob ſalia & ſulphura, quibus abundant præſertim in Oceano Auſtrino noctu coruſcare, atque ignis ſpeciem nautis offerre ſolent. Quæ ſi putæ fuerint, Saleque & Sulphure puriori conſtarent, haud dubium eſt quin vehementiùs ardere, flagraréque viderentur. At inter Mineralium genera notantur multa, quæ lucem atque ignem flammarúmque ſpeciem diradiant.

Quamplurimi namque ſunt lapides ſive gemmæ, quæ non modo ſcintillant, ſed & coruſcant adinſtar ignis ; ideóque vocantur carbunculi; aliæ inſuper interno ſuo fulgore flammeos veluti radios emittunt ; undè illas appellant πυρωπὸς *pyropos*, quià flammas imitantur. Quales in Indiis, tam Occidentali quam Orientali, frequentes exiſtunt. Ipſe quidem ſæpiùs accepi à viris omni fide dignis, quod illi, dum in India Occidentali navigarent, è longinquo viderint, impenſéque mirati fuerint ſplendorem gemmæ cujuſdam, ex alta, prærupta , atque inacceſſa rupe diradiantem ; quæ tantum jubare ſuo lucem tamque rutilantem ſpargebat, ut fulgorem cujuſcunque Stellæ quinquies & ultrà, ſuperare crederent, idem forè de nonnullis etiam gemmis ſuis Orientales oſtentant.

Certum eſt autem quòd coruſcus atque renidens iſte gemmarum ſplendor ortus ſit è ſumma puritate, ſimul & è ditiſſima ſubtiliſſimáque tinctura lucidæ iſtius materiæ,ex qua fiunt : Quippè ad præſtandos iſtiuſmodi glorioſos effectus haud aliud vel Natura vel Ars efflagitat. Ut paſſim floreant Artifices qui callent vias parandæ ſibi materiæ puræ atque tranſlucidæ, ipſámque tam ſubtili támque divite tinctură donare ſciunt, ut ex ea rutilantes gemmas, haud abſimiles utíque naturalium, quas miramur tantopere, fabricari valeant.

Sunt & periti quidam viri, ſecretioris philoſophiæ magiſtri, qui ex communibus atque proximis omnium rerum principiis, Sale nimirùm Sulphure & Mercurio ritè diſpoſitis ac conjunctis optimè ſciunt fluidam quandam naturam conficere tam puram atque ſubtilem, támque eleganti radiantíque tinctură (quæ ab illis appellatur *Ignis-aqua*) præditam, ut ſi vitro idoneo concludatur, & in longa pergula, vel in clauſo perambulatorio ſuſpendatur,

ſuſpendatur, ità coruſcat, ſuóſque radios tam ſtrenuè vibrat, ut intuentis oculos ferè perſtringat; totámque pergulam, quanquam perlonga fuerit, illuſtrare poſſit.

At ſi portiuncula terreſtris hujuſce materiæ per artis induſtriam atque ſubtilitatem paratæ concinnatæque tam potens & glorioſum ſtellanſque lumen exhibeat, quid ni putemus iſthæc illuſtria corpora, quæ vocamus *Stellas*, in quarto die ab Omnipotente Creatore ex iſtiuſmodi *ign-aquea natura* confectas fuiſſe; atque ipſas per claros & fulgentes ſuos radios tum lucis, tum virtutis ſuæ miſſilia diffundere.

Hoc ut ità fieret ſanè non minùs rationi conſonum eſt, quàm ut ſubtiles & agiles (at ſingulæ laxæque) particulæ, è quibus Sol conſtituitur, radios undequaque luminoſos emitterent; aut ut Gemmæ, quæ ſunt concretæ compactæque naturæ coruſcantem lucem tam longè diradiarent. Rectè philoſophanti nihil eſt conceptu facilius, quàm quòd Divinus ille Artifex, qui terreſtres haſce ſtellulas, quas appellant *Carbunculos* atque *Pyropos* ex ignea terra & aqua puris concinnari juſſit; idem & cœleſtes illas ſtellas ex eâdem vel ſimili materia (niſi quòd multò purior fuerit atque ſubtilior, ignéque plenior) effici voluit; ut nobis haud ſolùm de iſta inſigni luce (quam de ſe ſpargunt) noctu præberent; ſed & proprias atque ſpecificas ſuas virtutes noctes atque dies aſpirarent.

Nam Stellas in ſublimi collocavit Deus, non ut noctu tantùm ſplenderent; vel ut in Cœlo, ſicut emblemata teſſellata in laqueato tecto, non niſi magno ornamento forent; Sed ut vim dominatricem, quam dedit illis in hunc inferiorem mundum, pro legibus ſuis exercerent; hoc eſt, Ut tum generales, tum proprias vires ſuas, eaſque tam ſecretas quàm manifeſtas impertirent; Ut in rerum generationes influerent; cunctarúmque poteſtates, & (ut utar Græcorum Philoſophorum recentiorum verbo) ποιότητας, *modos* ſcilicet & *affectiones*, temperarent atque moderentur.

XXV. Verùm enimverò Stellarum vim & efficientiam, quam profero, Deus ipſe per ſe, & per prophetas ſuas declaravit & aſſeruit: Qui inter opera ſua magnifica recenſet Conſtellationes *Ghaïs* vel *Ghas*, (id eſt, Arcturum vel Booten) *Chimah* (id eſt, Pleiadas vel Urſam minorem) *Cheſil*, (id eſt, Orionem) & *Mazzaroth*,

zaroth, (id eſt, Luciferum, vel aliud quoddam Sydus) tanquam cauſas effectrices rerum mirandarum, quas nemo mortalium vel impedire unquam vel efficere poteſt.

De Syderibus illis, quæ ab Hebræis vocantur *Chimah* & *Cheſil* res plana eſt & expreſſa ab Hamoſe propheta (5. 8.) ubi Dominus Deus minatur ſe domum Iſraëlis deſtructurum eſſe, *quia reliquiſſent eum, qui fecit Chimah & Cheſil*. Hoc autem cur à Deo factum putemus, niſi quod ea Sydera fuerint inſtrumenta præcipua, quorum operis & influxibus domum Iſraëlis tantis numeris ampliáverat? Nec intelligere eſt, cur Deus ſponderet, *ſi reſipiſcerent Iſraelitæ, & quærerent eum, qui fecit Chimah & Cheſil*; id forè, ut *lapſa atque diminuta domus Iſrael augeretur denuò, fœcundâque prole citiùs in immenſum populum creſceret, & quaſi reſurgeret*: Quàm quòd Deus eâ conditione proſperaret, atque benignas Iſraëlitis redderet has duas conſtellationes; à quarum bonis influentiis pendet animantium præſertim maſculorum generatio. Nam *Chimah* ſuâ ſpeciali frigiditate maximè concurrit ad conceptum efficiendum, κύημα dictum; *Cheſil* verò ſuâ caliditate ad ἔμβρυα delineanda atque formanda.

Has ipſas vires Syderum confirmat Iſaias Propheta (c. 13. à v. 6. ad 12.) qui prædicens ruinam Babyloniorum, *Ecce*, inquit, *dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos.* Immò tantam minatur vaſtitatem, tantámque hominum paucitatem, ut vix ullus ſit futurus, qui in ea regione habitaret, cùm *vir* (nobilis) *ſit futurus pretioſior auro*; & *homo* (plebeius) *auro obryzo.* Hanc verò ſolitudinem non alia ratione magis inferendam denuntiat, quàm prohibendo, ne ſtellæ, quibus id negotii dederat Deus, ad animantium generationem per aſpirationes ſuas influerent: Rei cauſam namque ſubjungit, *Quoniam* Stellæ *Cœlorum &* Oriones *eorum non expandent lucem ſuam*, (per quam diſpergunt influxus ſuos) *tenebroſus erit Sol ab exortu ſuo, & Luna ſplendidam non edet lucem ſuam.* Quibus apertè monſtratur, quàm certa ſit & eximia ſtellarum poteſtas in omnibus animantium generationibus efficiendis.

Minimè verò de viribus harum conſtellationum concipiendum eſt, ac ſi, præter eam, quam habent in Animantium generatione gubernanda potentiam, non aliis etiam facultatibus afficiendi mundum

mundum inferiorem polleant : at potiùs exiſtimandum cunctas eas vires, quas illis Aſtrologi ſobrii doctique tribuerunt, à Deo conceſſas fuiſſe.

Nec dubitandum eſt, quin aliæ quoque Stellæ proprias ſuas virtutes, connatáſque dotes unà cum ſua luce diffundant; nec facile credendum eſt Deum, ubi ſigna cœleſtia prædicavit, ipſáque inter opera ſua magnifica repoſuit, eorum lucem tantùm reſpexiſſe, & non excitâſſe animos noſtros ad inſignes iſtos influxus advertendos, quos circumquaque nullo non tempore diſtribuere ſolent. Deus quidem palàm & expreſsè quatuor Stellarum nomina tantùm celebrat *Ghas* nimirum *Chimah*, *Cheſil*, & *Mazzaroth* ; (de quibus ſupra) ſed per illa quatuor optimè concipiamus omnes omninò Conſtellationes Planetáſque Cœli comprehenſas fuiſſe. Et ipſe Deus, ut notas faciat Aſteriſmorum vires, & ab hominibus obſervandas, præ aliis titulis aſſumit appellationem *Facientis* conſtellationes *Chimah* & *Cheſil* [1] quibus Jobus addit *Ghas* vel *Has* (id eſt, Arcturum) & *Hadre-Theman :* (id eſt, penetralium Auſtri Sydera) ſimulque Deum verbo præſentis temporis appellat *facientem ea Sydera* [m] ut notaret ſe intelligendum eſſe præcipuè, non de Creatione, ſed de viribus aſtrorum ; quæ (Deo dante facultatem) miras operationes in hæc inferiora dies noctéſque præſtant: Eâque ratione vim quandam dominatricem obtinent, at Dei ſtatutis omninò ſubjectam. *Ille etenim præcipit Soli, & non oritur ; & Stellas quaſi ſub ſignaculo claudit* ; Job. 9. 7. Nempe prohibendo, quoties ipſi viſum fuerit, ne ſuas ἐπῤῥοίας *influentias* diſpertiant.

[1] Amos 5. 8. & Job. 9. 9.

[m] Job. ibid.

XXVI. Sic Deus (ut opinor) Solem; ſic Lunam atque Stellas fecit. Et veriſimile eſt Deum primò Solem in Auſtrali parte Cœli poſuiſſe ; Lunam verò in Aquilonari ; in quo Noctis ordinem atque modum luci Solari præmiſſum gubernabat. Undè Moſes qui in hemiſpherio Septentrionali degebat, à nocturna caligine inchoabat diem naturalem: Et inter Gentes omnes, antiquiſſimi phyſiologi Noctem vocabant *antiquiſſimam* ; Ipſamque unà cum erebo (quod eſt Hebræorum *Ereb*) è Chao ante Diem natum tradunt.

XXVII. Sol ergò Lunam ſubſecutus ab unà ora Septentrionalis hæmiſphærii ad alteram proceſſit ; atque artificialem diem complebat. Sic Veſpera & Mane fuit quartus dies: Et vidit Deus

quòd

quòd *tum* Cœlum vel Expanſum (quod fuit opus ſecundi diei, & in quo locata fuerunt Sydera) *tum* Opus Sydereum, (quod erat opus quarti diei) fuit *bonum*, id eſt, *perfectum*. Nam quia Sydera omnia facta fuerunt in Expanſo, & è materia (prout credibile eſt) per expanſum diſperſa; non placuit Creatori, ſecundi diei opus (quod erat expanſum vel firmamentum) *bonum* dicere donec Sole, & Luna atque Stellis, è dicta materia confectis, ornatum fuit.

XXVIII. Quibus huc uſque ſic explicatis; & cùm priùs in utriuſque Cœli creationem pro ὑποθέσεως argumento commentatus eſſem; cúmque Terraquei globi formationem per rationes obvias, atque per typos illuſtres oſtendiſſem; jamque modum Solis atque Lunæ Syderúmque faciendorum, ſimul & in Expanſione Cœli collocatorum, per explicationem promptam atque facilem protuliſſem; multa quoque propoſuiſſem de natura virtutibuſq; Stellarum, certè credidiſſem me ſatisfeciſſe huic capiti, niſi generaliſſima paritèr & excellentiſſima quædam natura (quæ rebus omnibus ineſt, omnibus utilis eſt, immò neceſſaria:) vehementèr efflagitaſſet à Phyſico magis amplam ac honorificam in hoc loco mentionem.

Et meritò quidem: nam quod ab actione prima Cœlorum atque Terræ, Solis item & Syderum fiebat; & præcellens res ſit; id proximè poſt illa magnalia recenſeri; & impenſiùs admirari debet. Quamvis etenim Moſes in hiſtoria Creationis haud expreſsè locutus ſit de illa miranda Eſſentia, (quia brevis eſſe voluit) eam tamen ſuppoſuit eſſe; ipſámque celebrat unà *cum pomis Cœli*, & cum beneficiis *Roris* & Pluviæ deſcendentis in terram; & cum fœcundis vaporibus aſcendentibus ex *Abyſſo*, quæ eſt in terra; ſimul & cum *deliciis atque proventibus Solis*; & *cum pretioſis rebus, quas quæque Luna protrudit*; & eam quoque decantat unà cum *præſtantiſſimo reditu montium colliumque*, nec non unà cum *præcellentiſſimis frugibus Terræ, ipſiuſque plenitudine* [n].

[n] Deut. 33. 11. & 13. & 14.

Hæc namque pretioſarum rerum omnium prima eſt, atque præcipua; illarúmque plenitudinem in terræ viſceribus, item & in ſuperficie ab initio præſtitit & effecit. Ideóque à ſublimi noſtro Philoſopho Moſe præſertim notatur per vocabulum מגד *meged*, id quod optimum ac præſtantiſſimum eſt in re quaque, ſignificans. Eſt enim ea natura, quam prædico, concretarum rerum omnium

pars

pars excellentiſſima: Quæ quamvis è *quatuor Elementis* ſit compoſita, nihilo tamen minùs eò quòd puriſſima ſit atque ſubtiliſſima, videatur eſſe etiam ſimpliciſſima: certè quidem eſt efficaciſſima, ut non ſine cauſa ſoleat à Philoſophis appellari *Quinteſſentia.*

Nec ineptè illam Mythicæ philoſophiæ magiſtri dixerunt *Pandoram,* ad quam concinnandam atque omnibus Excellentiæ numeris exornandam Dii Deæque omnes,ut fingunt, (Sol & Luna ſcilicèt, ac omnes Stellæ, ſimul & Terra atque Mare) ſua ſymbola miſerunt; eamque tam divitem tinctură aureâ tamque ſplendidam fecerunt; ut a Phyſicis illa, quotaquæque ſit in omni re, dicatur aurum iſtius rei: Quod res etiam quæque viliſſima plus aut minùs habet pro ratione conſtitutionis ſuæ;&ab illo vim & efficacitatem ſuam recipit: Nonnullæ verò tantam iſtius eſſentiæ copiam in viſceribus ſuis gerunt, ut ex ea Philoſophi, qui dicuntur Hermetici, per ſubtilem quandam artem conficiant tincturam auream.

Quocircà non mirum eſt, ſi res illa παγκάρπος, ſit generalis ea merces, per quam negotiantur inter ſe Terra & Cœlum; & quâ nunquam non abundant aëreæ nundinæ. Eò nimirum dies atque noctes confluunt aſpirationes omnium tam terreſtrium,quàm cœleſtium corporum; & concurſatione coitionéque ſua perficiunt admirabilem hanc naturam, quam protinùs omni tam nubiloſo, quam ſereno tempore (copioſiùs autem per rores atque pluvias, & per grandines atque nives) ad terram deferunt Expanſi (vel Aëris) particulæ, per eas veluti Rotas, quas ſuo circuitu ſimulant. Hanc nonnulli (ut illam inſigniant) *Cælum* Terræ nuncupant; alii *Aurum Auræ,* vel Univerſi *Mercurium* vocant.

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

De Opere quinti Diei.

Syllabus. I. *Animantium alia ab Aquis, alia à Terra producta.* II. *Elementa nullum animal generant.* III. *Aer & Ignis producunt nullum.* IV. *Respondetur argumentis in contrarium.* V. *Brutorum animas ità seminali materia indutas esse à Deo, ut ovorum speciem referrent.* VI. *Veteres ita sentiisse.* VII. *Et id verum videri.* VIII. *Animalium seminibus à Deo impressum esse typum rei generandæ.* IX. *Seminalium vorum necessitas & efficacia.* X. *Quid Moses per Species intelligere videatur.* XI. *Quibus instrumentis utuntur animæ.* XII. *Opus animale quod Deus naturæ assignabat in quinto die, non difficiliùs actum fuisse, quam nunc est.* XIII. *Succos terrestres in initio fuisse lacti quodammodò similes.* XIV. *Quod factum in quinto die per simplex & unicum semen, postea non nisi per duplicia peragendum.* XV. *Brutorum animas è terra factas, & corporeas esse.* XVI. *Brutorum semen quale.* XVII. *Cur Deo placuit facere brutorum animas è terra.* XVIII. *Ratio multiplicandæ Speciei per sex hypotheses ostenditur.* XIX. *Modo probabili.* XX. *Similitudo inter accensionem Spirituum quorundam mineralium, & animarum atque Seminum brutorum.* XXI. *Dei potentia necessaria Specierum propagationi.* XXII. *Brutorum animæ sunt intelligentis naturæ.* XXIII. *Sed immane quantùm differunt Hominis & Bruti ratio ac intelligentia.* XXIV. *Brutæ animæ sunt corporeæ & mortales.* XXV. *Objectionibus respondetur.* XXVI. *Non repugnat res corporeas per Dei potentiam fieri sensitivas, intelligentes, atque dociles.* XXVII. *Bruta laudes Dei tam per structuram corporis, quàm per vires animæ decantant.* XXVIII. *Nulla esse animantia spontanea.* XXIX. *Animantia perfici in uno die Creationis nec incredibile, neque mirum.* XXX. *Provocatur Atheus.*

I. Hactenus

I. Actenus excelsus ille philosophus Moses in Dei mirificis operibus enarrandis à simplicibus ad composita (quæ methodus fuit Divina) processit: Porrò jam, Creationis veluti Scalam conscendens, ab insensibilibus, (quippe nec Stellis, neque vegetabilibus animam tribuit) ad Animantia progreditur; ut exhibeat eorum quoque formationem, quæ suum exortum atque motum, suamque actionem animæ viventi debent. Verùm autem sicut Deus in tertio die (posteaquam creâsset semina, quæ sunt quædam compendia plantarum) commisisset herbas terræ proferendas; ita jam bruta animalia, (cùm creâsset semina animata) Terræ & Aquæ producenda reliquit: per modum posthâc per hypotheses (ut credo) legitimas exponendum.

Horum namque alia Deus educi ab Aquis, alia per Terram proferri voluit. Ab aquis nimirùm Pisces atque reptilia (pisces item à Mose dicuntur reptilia, eodem vocabulo, *remes*, utrisque applicato) quæ generantur in aquis: à Terra verò pecudes atque reptilia terrestria, atque omne bestiarum genus. Non quòd desit etiam piscibus sua terra, unde carnis & ossium firmitas existat; aut bestiis atque terrestribus etiam reptilibus haud insit aquæ portio, quæ molles ipsorum carnes efficiat; sed quòd in illis constituendis, *Aqua*; in his autem *Terra*, dominium teneat. Volucres interim, quibus æqualior est utriusque elementi concretio, Moses eodem quidem die cum Aquatilibus, haud tamen ab Aquis eductos tradit.

II. Nullum autem genus Animantium produci unquam putandum est, cui componendo cuncta simul Elementa pro rata parte sua non concurrant. Nec potuit Terra vel Aqua virtute materiæ, vel molitionis suæ mirificam hanc animantium fabricam machinari: Non potuerunt herculè curculionem vel acarum, vel exilissimum illud animalculum, seu viventem (si ita loquar) atomum, qui in Acari dorso, vel capite repens aliquando per accurata microscopia cernitur, ullo modo condere: quia non major illis unquam vis & facultas data fuit, quàm ut animantium semina

(quæ priùs ſuo pollice finxerat & adornârat Deus) ſuo veluti gremio portarent; ſucco ſuo nutrirent; atque blando calore de viſceribus ſuis exhalante foverent, adcóque prodire, & ad perfectionem ſuam creſcere facerent. Hoc illud omne eſt, quod in Animalibus elaborandis efficere potuerunt Aquæ & Terra. Nec divinus ille philoſophus aliquid amplius à nobis intelligi voluit per verba ישרצו *iiſchretſou*, id eſt, *repere faciant*, & תוצא *totſe*, id eſt, *producat* aut *exire faciat*.

Quamvis ergo Deus dixerit, *repere faciant aquæ reptile animæ viventis; & volatile volet ſuper terram in ſuperficie Expanſionis Cœli*; addit ſtatim Moſes, *Et creavit Deus Cetos magnos, & omnem animam ventem repentem, quam repere fecerunt Aquæ juxta ſpecies ſuas; & omne volatile alatum juxta ſpeciem cujuſque.* Et quanquam dixerit Deus: *Producat Terra animam viventem ſecundùm ſpeciem ſuam; jumentum & reptile & beſtias terræ ſecundùm ſpeciem ſuam*; Subjungit Moſes, *fecitque Deus beſtiam terræ ſecundùm ſpeciem ſuam; & omne reptile terræ ſecundùm ſpeciem ſuam.*

Quocircà, prout dictum eſt, facere ut reperent reptilia; vel ut exirent & producerentur alia omnia animantia, nihil aliud fuit quàm ut Aqua & Terra per ſuccos ſuos, quos Expanſi (vel Aëris, ut loquuntur) vis Elaſtica protrudebat in animantium poros, ſic adaugerent eorum materiam, ut animæ ſenſim vires ſibi corporeas acquirerent; & ità vel *repere* vel *natare* vel *ſerpere* vel volare vel gradiri valerent. Non quòd iſthæc elementa motum darent Animanti naturæ, ſed materiam ſolummodò ad inſtrumenta talium motionum fabricanda præbebant.

III. Hic obſervandum, quòd quanquam philoſophus noſter Moſes avium generationem tractaret inter piſces; eodémque die productas referet; non tamen affirmat eas ab Aquis eductas fuiſſe; nec ab Aëre, in quo volant. Nec imputetur Moſi quòd nullum animal ab Aëre, vel ab Igne productum tradit: Nam licet iſta elementa ſint maximè vivifica; atque præ duobus aliis actuoſa; & ſine quibus nihil quod vivat, effici poteſt: non tamen ex illis quicquam conſiſtens unquam generari potuit ob eorum ſummè ſubtilem atque nimis agilem naturam.

Credunt, equidem ſcio, nonnulli; quòd Aves illæ quas in India occidentali vocant *Parivogel* ex Aëre ſolo naſcantur, propterea quòd Aëre ſolummodò nutriuntur & in eo ſubſiſtunt, uſque

dum

dum moriuntur ; tunc autem decidunt, nec anteà, prout credunt, unquam terram attingunt [a]. Putant alii quædam animalcula, quæ dicuntur Pyrauſtæ, ab igne Solo generari ; & in illo elemento ſolùm vivere poſſe. Quoniam obſervatum eſt, (ut tradit Ariſtoteles atque Plinius) [b] iſta animalia in ærariis fornacibus quæ ſunt in Inſula Cypro, perpetuò ſaltare ac volitare; ſtatim verò, ſi recedant ab illis fornacibus, emori.

[a] vid. Petri Joh. Fabri Panch. C. 2.

[b] E. 5. Hiſt. animal. & nat. hiſt. C. 11. cap. 36.

IV. Promptè reſpondeatur argumentis allatis affirmando, quòd quamvis iſtæ Aves, quas *Parivogel* dicunt, & quas multi vocant *aves Paradiſi*, nutriantur & vivant aëreo quodam liquore, tamen ubi moriuntur ac in terram decidunt, terreſtrem potiùs quam aëream naturam produnt, eò quod earum cadavera carne non minùs terrea ; quam aliarum avium corpora conſtare ſolent. Et certum eſt nectareum illum liquorem quo paſcuntur illæ Aves (& quo plenus eſt Aër) in ſe terram habere; ac in terram ab arte, multò magis à natura verti poſſe. Adde quòd ea materia, quâ veſcuntur hæ volucres, non eſt Aër, at natura quædam è cœleſtibus unà & terraqueis aſpirationibus in aëre conflata, & hac illac ab aëre tranſlata : Quod ad Pyrauſtas attinet, tantùm abeſt ut illæ ſint ortæ ex igne, ut nec in illo vivere poſſint. Naſcuntur quidem in locis valdè calidis, atque adeò juxtà fornaces etiam calidiſſimas, à quibus ſi longè recedant ob innatum frigus illicò moriuntur. Haud attamen in igne vel naſci poſſunt, aut vivere niſi breviſſimo tempore, flammam nempe levi ſaltu volatuve celerrimè pertranſeundo.

Idem ferè de Salamandra quoque dicendum eſt; quæ poteſt in igne quidem vivere, ſed neque diu, nec in violento. Huic enim frigidiſſimo animali tantus eſt rigor, ut ignem moderatum valeat extinguere tactu ſuo, non ſecùs ac glacies : per poros ſuos, ut opinor, emittens eos halitus, qui frigida viſciditate protinùs obtundat ignem. Nam videmus in rerum natura tales liquores exiſtere, quibus ſi delicatiores etiam homines, aut pedes aut manus, aut ora vel guttura ſua linirent, ſtatim vivos carbones illæſi calcare, liberè tractare, mandere atque deglutire poſſent.

Quocirca non incuriæ, nec ignorantiæ philoſophi noſtri, ſed ejus eximiæ rerum peritiæ, ſummæque naturæ conſiderationi tribuendum eſt, quòd nullum omninò ne minimum quidem genus animantium, vel ab igne vel ab aëre genitum eſſe doceat. Quip-

pe ſapiens ille vir perbenè ſciebat hæc ſubtiliſſima, nec non agiliſſima, minimè verò conſiſtentia, principia, quæ vocamus Aëra & Ignem, ad fabricam animalem conficiendam prorsùs inhabilia fuiſſe : Sciebat utique nec illis carere poſſe animantium naturam; nec ex illis conſtare ; vel ab hoc aut illo produci potuiſſe.

Scitè autem docuit Aquam & Terram protuliſſe, animantia, quatenùs illæ materiam corporibus animalium ſtruendis aptam ſuppeditabant : Quam & Brutorum animis efficiendis etiam ſubminiſtrabant ; ſi verè conceperimus Deum ſumpſiſſe terram, & ex ea feciſſe brutas animas.

V. Sola verò fuit Anima quæ potens erat motus animales ciere ; ſola fuit ea πολυδαίδαλος artifex, quæ in ſemine tanquam in Oviformi taberna totum opus Animale, à capite, ut aiunt, ad pedem complebat.

Nam credibile eſt Deum, cùm creâſſet brutas animas, eas illicò ſic induiſſe materiâ ſeminali, ut referrent ovorum ſpeciem. Ex quibus, in Aqua & Terra poſitis, educi atque velùt excludi cuncta animantia voluit.

VI. Et hanc antiquiſſimæ ſapientiæ fuiſſe opinionem prodit ultima traditionum vetuſtas, per quas docemur non modò totum mundum ex Ovo quaſi productum eſſe ; ſed & omnes omninò generationes ex illis fieri. Notum eſt Ægyptios ita finxiſſe Deum ſuum *Kneph* (quem conditorem Mundi putabant) ac ſi *Ovum* in ore aperto teneret ; ut notarent Deum in Initio per verbum ſuum produxiſſe mundum de Chao, velut ex ovo : Immò & juſſiſſe, ut omnes poſteà generationes tanquam ex ovis procederent ; indè proculdubiò ſacri iſtius ſigni rationem ſumentes, quod animatum ſemen in omni generatione poſt breve tempus ab Oviformi membrana concludi viderent. Et apud Græcos hoc ipſum præ ſe ferebat Orphei doctrina : Cujus Ὠὸν πρωτόγονον, id eſt, *Ovum primigenium* (ex quo facta fuerunt omnia) per ſecula claruit.

VII. Profectò certum eſt, quod initia generationum omnium, quæ hodiè fiunt, ſint Oviformia ; atque idcircò plus quàm veriſimilè eſſe, quòd Deus in quinto die Creationis, animas, quas ipſe feciſſet, ità operiebat materia ſeminali ; conjunctáſque ſic formabat, ut ſimularent ova : Nec dubitandum eſt, quin Deus in principio, dum creabat animantia, talem modum atque motum daret materiæ formandæ, qualem eſſe ipſorum naturam voluit ;

voluit; quemque deinceps in omni generatione conſtantem eſſe juſſit.

VIII. Et videtur omnipotens ille φυσαρχὴς Deus omnia animalium ſemina (prout anteà vegetabilium quoque ſemina) tam ſapienti ratione, ſtructurâque tam mirabili contexuiſſe, ut in interraneis ſuis operis obeundi quaſi typum gererent. Quatenus ipſæ figuræ pororum, (quibus plena ſunt animalium ſemina) divino artificio variatorum diſpoſitorúmque, non niſi modificando ſuccos nutritios, dum tranſeunt, corpori gignendo formam dant; ſimul & generantis affectiones impertiunt. Perindè ut in germinatione plantarum, pori qui ſunt per totum ſemen diſperſi tranſeunti ſucco figuram aſſignant; eique varias etiam proprietates imprimunt.

IX. Certè quidem ſeminalium pororum neceſſitas & efficacia in animalibus effigiendis, quaſi digito monſtrari videntur per illa verba: *Producat terra jumentum & reptile & beſtias Terræ ſecundùm ſpecies ſuas. Et reptile, quod repere fecerunt Aquæ juxta ſpeciem ſuam.* Quas etenim ſpecies aut ideas rectiùs intelligi putemus, ſecundùm quas Aquæ ac Terræ ſuccus augere animantium corpora, atque ad perfectionem ducere ſolet; quàm quas Deus in ſeminibus & diſcretè ac minutatim fingi & figurari voluit: ac ità pororum ductu conſtrui corpora, atque formas adornari juſſit.

X. Opinionis anſam mihi porrexit; vel potiùs ita ſentienti fidem fecit, Hebræum illud vocabulum מִין *min*, quo Moſes hîc utitur. Quæ vox eſt tam latæ ſignificationis, ut notet omnem rei ſimilitudinem, vel exemplar; & tam corporeas ideas, quàm intelligibiles; atque *ſpecies* omnes tam *genericas*, quibus una animalia ab aliis differunt; quàm *typicas* iſtas, quas in omni creſcente corpore ſeries ac ordo, figuraque pororum tranſeunti ſucco nutritio ſolet imprimere.

XI. Per hæc inſtrumenta ſeminalia, Deo benedicente, corpora ſibi conſtruxerunt; atque totum opus animale peregerunt brutorum animæ; quamvis illæ muneris ſui præſtandi fuerint inſciæ; & hoc in ipſo initio rerum, commune fuit brutis Animantibus atque vegetabilibus, ut ſe ipſa perficerent. Quippe poſtea quàm Deus vegetabilium ſemina, (quorum unumquodque fuit ipſius plantæ compendium) de materia commoda ſuâ manu

ſtruxiſſet;

ſtruxiſſet ; ipſorum exinde proceſſum, perfectúmque ſecundùm ſpecies ſuas incrementum naturæ demandabat, ſecundùm eas leges atque motionis rationes, quas illorum materiæ dediſſet, abſolvendum. Ita & Animalium quoque brutorum ſeminibus ſive principiis animatis omnibus (quæ Deus in quinto die creâſſet, & per univerſum hunc terraqueum orbem ſparſerat) eam facultatem dabat, ut ex ambienti limo ſuccos nutritios in intimas ſuas partes impulſos admitterent ; atque, per variè figuratos poros ſui corporis, ità formarent atque diſponerent, ut ſemet ipſa perficere atque ſpecificare valerent : Eodem planè modo quo poſthac in hunc uſque diem Viviparum ſimul & Oviparum genus Animalium per affluentes halitus & ſuccos in Ovis, aut in Uteris ſe fingunt.

XII. Et non ſine ratione concipiamus, haud difficiliorem fuiſſe operam naturæ animalis in quinto die Creationis ex adhærente limo partes ſuas omnes formare ; quàm ex illo tempore conſtanter id ipſum per mollem vel ovi, vel uteri ſuccum præſtitiſſe. Quippe quia Brutorum animæ, quas Deus ex terra (ſed priùs ut credibile eſt, in altam atque puram eſſentiam per omnipotentem manum ſublimatâ) fecerat, ſubtiliſſimæ fuerunt & actuoſiſſimæ naturæ. Prætereà ſeminalis ea materia, quam Deus etiam fecerat & inſtruxerat ; & cum illa brutas animas univerat, vigentiſſima ſimul & ad opus animale paratiſſima fuit : Nec non iſta pinguis argilla, quam figuli Divini manus jam tunc ſubegerat & temperârat, aptiſſimos & concretioni pariter & accretioni liquores præbuit. Inſuper & huic operi facilitando multùm conducebat quidam blandus & fovens atque digerens vapor, qui *ſurgebat è viſceribus terræ* & irrigabat univerſam ejus ſuperficiem Gen. 1. Qui quidem vapor pinguem limum, nuperrimè factum, & (ut ita dicam) *virgineum*, tranſeuns, ad ſuccum lactis aliquo modo ſimilem generandum peraptus fuiſſe videtur.

XIII. Nec defuerunt apud veteres ſapientes hujuſmodi traditiones : quas non ignorabat vetus ille phyſicus Archelaus, qui ſcitè ſapientérque philoſophatus eſt, ubi docet, γενᾶσθαι τὰ ζῶα ὑπὸ θερμῆς τ γῆς, καὶ ἰλὺν παραπλησίαν γάλακτι, οἰὸν τροφὴν ἀνιέσης, id eſt, *genita fuiſſe animalia Terræ calore, limum lacte ſimilem in alimentum liquante.* Quippe nec Archelaus, neque magiſter ejus Anaxagoras, aut ullus ex antiquis Atomicis, (qui, paucis exceptis, omnia credebant

debant esse Dei opera) totum id, quod est in animantibus, è limo vi naturæ generatum credebant, (prout Ægyptii nonnunquam stolidissimè concipiebant) sed eorum corpora tantummodò per potentiam Dei, vel per virtutem atque artificium viventium animarum fabrefacta censebant.

Id ipsum quod de generatione terrestrium animalium jam conceptum est; item de ortu animantium Aquatilium similiter est dicendum: Quia piscium atque omnium quæ nascebantur in aquis, perinde ac terrestrium semina, corpora sua per appellantes atque leniter intrusos humores sibi fingebant.

Sic *Terra* (quod modestè suppono) *produxit animam viventem, secundùm speciem suam:* sic & jumentum & reptile & bestias secundùm species suas: Gen. 1. 24. *Sic repere fecerunt Aquæ reptilia juxtà species suas.* Terram vero Moses affirmat *animam viventem* produxisse, quatenùs illa per materiam, quam suppeditabat animato semini, proferebat jumentum & reptile & bestias: *animam* pro re ipsa, *animata* (prout solet) usurpans.

XIV. Non dubitandum est, ut dixi, quin Deus (cui placuit ad hanc methodum formari cuncta animantia) talem in Principio modum atque motum dabat materiæ formandæ, qualem esse ipsorum naturam decreverat: quemque deinceps in omni generatione constantem esse jussit. Excipiendum tamen est, quòd in quinto die Creationis, id per simplex & singulare semen fieri mandaverat; quod in posterum non nisi junctis utriusque, Maris & Fœminæ, seminibus absolvendum fuit. Placuit námque Deo, ut generandi facultas non Masculi solius aut Fœminæ, sed utriusque virtus existeret. Et ut in amborum semine vigeret subtilis ille spiritus, Æthere multò subtilior, qui dicitur Anima: quales erant omnes illæ animæ, quas Deus ex terra in quinta die creationis effecerat; eásque seminali materia contectas in Aqua & Terra posuit, ut ex earum succis sibi corpora secundùm species suas, ipsæ fabricarent.

XV. Terram autem fuisse materiam, ex qua Brutorum animæ factæ erant; & in terram vel in aquam à Creatore positas fuisse istas animas, ut ab illis Animantia proferri possent, ex eo liqueat, quòd Deus jussit Aquam & Terram producere viventes animas, hoc est animantia, quæ corpore & anima constant. At quamvis Animæ brutales, è terrâ in ignem atque subtilem naturam per

Deum

Deam ſublimatæ, ſpiritus habeantur, ſunt attamen adhuc corporeæ; & quæ terram ſapiunt; atque in terram denuò redibunt.

XVI. Seminalis illa materia (cui inſidet anima) eſt etiam, vis & ſubſtantia quædam ignea atque lucida, quam Deus in originalibus brutis ſua manu fecit, adeò admirandâ ſtructurâ, ut in ſe ideam corporis organici generandi contineret; proindéque, virtute Animæ accenſæ, corpus ſimile ejus, à quo deciſum eſt, effingendi potentiam habeat.

XVII. Potuit quidem Deus parâſſe brutas animas ex ætherea natura, quæ vicinior eſt, & affinior illi ſpiritui, cui cuncta animalia ſenſum atque intelligentiam ſuam debent, ſed noluit; eò quòd illas facere ex hebeti, craſſa & caduca, atque penitùs aliena materia (quamvis appareant eſſe eſſentiæ magnarum virium atque facultatum) æquè facile fuit Omnipotenti, ac è re tenuiori nobilioríque feciſſe; multóque glorioſius; & quod originem & dignitatem durationémque mentis humanæ (quam Deus æternâ benevolentiâ proſecutus eſt) ſignatè diſtinguit: illam namque cœleſtem atque immortalem eſſe, voluit.

Sed cùm Deus creâſſet, & maribus atque fœminis diſtinxiſſet bruta animalia; nec non amborum ſemina differre inter ſe, atque ita deficere voluerit; ut niſi conjunctis viribus nihil omninò generarent; ſanxerat etiam, lege Naturæ datâ, ut coitus fieret, per quam creſcerent ſeque multiplicarent, atque ſimilia gignerent; datâ ad eum effectum poteſtate. Nam quoad opera Naturæ, Dei *jubere* ut fiat, eſt juſſo *facultatem dare*, ut faciat.

XVIII. At quæ ratio, quive modus brutæ ſpeciei multiplicandæ fuerit; & quid anima generantis, quantúmve ſemen ejus in omni generatione ad propagationem ſimul & ſimilitudinem ſpeciei producendæ faciat, haud ita clarum eſt, ut explicari facilè poſſit. Ne tamen hodie dubitationum quaſi navim ſolvendo, ferar in diſputationis Oceanum; liceat mihi pronunciata, quæ ſequuntur tanquam axiomata, rationi maximè conſentanea, proferre: ut indè vel ipſa veritas, vel ſimilitudo veri poſſit deduci atque ſtatui.

Primò, Omne brutorum ſemen eſſe animatum: alioqui certè non generaret ſibi ſimile; immò nec animatum quidem proferret; nec eas operationes ederet, quæ manifeſta ſunt indicia latentis animæ. *Secundò*, Tam fœminæ quàm maſculi ſemen unitum ad omnem

omnem generationem requiri. *Tertiò*, In omni brutali coitu tam fœminæ quam maris animam decidi, ejuſque partem ſeparari: ſecùs etenim nec corpus ſimile generantium produceretur; nec ſpecies ipſa fieret. *Quartò*, Non ambas utriuſque generantis animas in prolem ingredi: Nam lege naturæ cautum eſt, ne corpus unius ſpeciei, plures quàm unam formam eſſentialem recipiat. *Quintò*, Proinde neceſſe eſſe, ut ex duabus una fieret; priuſquàm multiplicationis exordium fiat. Nam quæ multiplicatur eſt una, quæ duas propagat. *Sextò*, Tam verum ſemen, quàm animam eſſe naturam igneam atque ſubtilem; quas Deus multiplicari juſſit efficaci atque perenni benedictione. Quibus ſuppoſitis Opera multiplicationis ità videatur elucidari poſſe.

XIX. Junctis nempe ſeminibus ac intimè ſe miſcentibus ambabus illis eſſentiis igneis, quæ in illis inſunt (nam licèt ex terra factæ, Dei tamen artificio mandatóve redditæ fuerunt ſubtiles & igneæ) protinùs emicare unam animam, velut accenſam; Dei benedictione ſuſcitatam.

XX. Cujus accenſionem craſſo modo concipiamus advertendo ſubitam illam flammæ ſuſcitationem per commixtionem fortiſſimi ſpiritûs Nitri atque Terebinthi; vel Terebinthi atque vitrioli ſpiritus recens deſtillati, qui protinùs emittunt flammam. Speciem quandam ſimilitudinis, uti reor, efficiunt, *partim* rei naturæ à cauſa ſua materiali diverſitas & præſtantia; *partim* & efficientis externi potentia, quæ utrinque requiritur: Nam ſpiritus iſti ſunt liquores, at ex illis exiliens flamma, eſt res ſicca; liquoribus illis & ſubtilior & actuoſior: Deinde iſta flamma, quæ horum ſpirituum congreſſu fit, non ab ipſorum natura, vel propria virtute procedit; verùm ab illo igneo calore, quem foris per vehementem deſtillationem in furno calidiſſimo receperant: Sic Animæ bruti, quam phyſici flammulam vel igniculum eſſe judicant, efficientem poſcit extrinſecum, longè potentiorem; nempe Deum.

XXI. Solus enim Deus eſt, qui deciſas utriúſque generantis animas in unam vertere potuit, adeóque ipſas animas, quas fecit in quinto die, propagari voluit. Solus eſt, qui ex deciſis etiam ſeminibus unum ſeminale corpus efficiat, ídque tam mirando modo contexat, ut ſpecies gignendæ quaſi typum gerat; unde Anima (ut omittam cætera) ſibi conſtruat cerebrum, mirum illud

inſtrumentum per quod ſentit, intelligit atq; unum ex alio colligit.

XXII. Talis namque mihi videtur ea vis eſſe, per quam ſentiunt & operantur bruta Animantia : licèt enim multi brutis Animalibus omnem cogitationem, rationíſque vires omnes omninò denegant; quicunque tamen benè ac ſolertèr advertunt acutos eorum ſenſus, ipſorúmque ingenia docilia; machinationes atque artificia; deſignationes, meditatas vindicationes etiam diu retentas; atque gratitudines etiam; (quas nobis præbeat obſervatio vel hiſtoria) nec non omnes eorum callidas & aſtutas actiones optimè conſiderant; vix poſſunt non agnoſcere, quòd Animantia etiam bruta, (quamvis hæc magis, illa minùs) haud tantùm inferre ſoleant unum ex alio, quod eſt ratiocinari, ſed & magna ſua ingenia conceptúſque ſæpenumerò ſubtiles prodant, ut minimè credant philoſophi, qui res intimè reputant, haud magis difficile fuiſſe Deo materiam primam de nihilo creâſſe; quàm de terrea materia tantas animæ vires adornare.

XXIII. Hic, uti verear (niſi præmoniti, rectiùs adverterent animos ſuos) miſerè ſe decipient athei, qui cùm videant non hominibus ſolummodò, verùm & brutis eſſe cerebra (ſenſûs & intellectûs inſtrumenta) ſimul & videant brutis etiam cogitandi dignoſcendi, nec non unum ex alio colligendi facultatem non deeſſe, confeſtim ſentiant non magis humanis animis, quàm brutis & originem cœleſtem, atque perennitatem eſſe concedendam.

Sciant attamen hominum animas haud ſolùm differre à brutis excellentiori (quo pollent) gradu rationis & intelligentiæ; ſed & eſſentiæ genere. Deprimit enim Bruta terreſtre illud, quod illis natale eſt, ingenium; ſic ut eorum ratiocinia, quantulacúnque ſint, inferna tantùm capiant, & quæ ſub ſenſum cadunt: At humanæ animæ, quia cœleſtes ſunt ortu, quod altum eſt, ſapiunt; & res abſtractas à materia, cœleſtémque notitiam poſcentes, meditari poſſunt, virtute ſublimis atque divinæ ſuæ potentiæ, quam veteres ſapientes, appellabant *mentem :* quæ Bruti naturam longè ſuperat [c].

[c] Vid. cap. ſeq. num.

XXIV. Infimam hanc ſuam originem luunt brutorum animæ ob corruptibilitatem materiæ ſuæ; quoniam lex eadem eſt omnium de caduca materia genitorum, ut moriantur & intereant. Iſta namque ſubtilis & ignea materia, ex qua proximè factæ fuerunt animæ brutorum, mutabilis admodùm, atque fluxa res eſt; & quamvis

quamvis in excellentiorem ſubtiliorémque naturam à Deo veluti ſublimata fuerit, ut vitæ, ſenſûs, & intelligentiæ capax fieret, nihilominùs eſt adhuc corporea; reque ipſâ nihil præter inferiorem ſive terream naturam, differenti melioríque ratione modificatam; adeóque pariter evanidam & occaſuram.

XXV. *Obj.* At, inquies, ſi brutorum animæ ſint corporeæ, & non niſi particulis igneis aggregatæ naturæ; nec ab igne vel à terra ſua priſtina, niſi per diverſum modum materiæ differant; *Primò*, Quî fieret, ut vitam atque ſenſum, nec non cogitandi, dignoſcendíque facultatem nanciſci poſſent: Ignea etenim corpuſcula non niſi flammam vel ignem cierent, non vitam darent? *Secundò*, Si Brutorum animæ ſint corpora mutabilia, atque ſicut ignes, pabulo ſemper indigeant; eidem bruto non eadem anima per totum vitæ ſuæ ſpatium maneret: quod opinatu perabſurdum foret. *Tertiò*, Si res Brutorum ſic ſe haberet, vix appareret ulla ratio, cur non eadem pariter affirmari poterint etiam de humanis animis, quas igneas eſſe atque de cœleſti materia quoque, (ni fallor) natas exiſtimas.

Reſp. 1mo. Toto Cœlo (prout eſt in proverbio) differunt brutæ ac humanæ animæ: Illæ naturâ ſuâ materiales exiſtunt atque mundanæ; hæ verò ſpirituales ſunt, ac ὑπερφύιοι, ſcilicet ab illo beato ſpatio delapſæ, quod Moſes appellat *Cœlum Cœlorum*; & quod in infinitum tranſcendit binos illos Cœlos, qui ſimul cum terrarum Orbe Mundum conſtituunt. Mundi materia tota mutabilis eſt & peritura: Quæ verò ſuper ambos ejus Cœlos exiſtit Eſſentia, (quæcunque ſit, mortalem quippe notitiam ſuperat) conſtans eſt & æterna; & quæ non niſi res immortales habeat. Adeò ut quæ brutas animas certò delebit ruina, non attinget noſtras: Quas Dei potentia creavit ex Eſſentia ſupra Cœleſti; (quæ eſt incorruptibilis) & ejus etiam benevolentia fecit immortales.

2do. Quanquam verò Brutorum animæ ſint corporeæ mutabiléſque; nec non ut ignis pabulo quotidiano, quo ſuſtententur, indigeant: rectè tamen eidem Bruto dicatur eadem anima per totum vitæ ſpatium manere, perinde ac corpus idem eſt; quia ſenſim recuperat quotidiè, quod omni die per minutas partes amiſerat. Sic eandem Navim, quam vocabant *Argo*, poſt longum iter marinum, atque in eo moram diutinam, rediiſſe ad Græciam ferunt; quanquam nec eaſdem trabes, aut tranſtra vel tigna; ne-

que mala vel aſferes vel clavos eoſdem, quos extulit, iterùm reportabat, (quippe illam vel teredines, aut aëris, & aquarum tempeſtatúmque vis & impetus, ita labefactârat, ut tota, quod aiunt, à prora atque à puppi ſenſim atque partitè corruerat) quia quidquid damni ſuſtulerit in expeditione ſua, ſubinde reparatum habuit; adeóque ſibi ipſi tanquam ſuperſtes reſtitit.

3°. Facilè credamus illam Potentiam, quæ fecit terram è nihilo, potuiſſe etiam è Terra quodcunque libuerit, efficere; & igneas eas particulas quæ ſuâ vi non ſupra flammæ naturam ſurgant; Dei tamen artificio ſublimatas, illicò viventes, ſentientes, & cogitantes ſpiritus evaſuras eſſe.

XXVI. Non autem mirandum eſt, quod illæ animæ, quanquam ſint corporeæ, confertíſque particulis igneis (quæ ſuâ naturâ non niſi flammam vel ignem darent) effectæ, tantarum tamque mirandarum facultatum compotes exiſtant; poſtquam Deus ipſas manu ſuâ modificâſſet, ita at viverent: Cúmque poteſtates iſtas accepiſſent à materia terrea, non quâ terreâ; ſed ut à Deo modificatâ, cerebríque machinis & inſtrumentis inſtructâ.

Nec opinandum eſt, quòd Deus animalem naturam quam tantis Operationis & Eſſentiæ dotibus inſignivit, mortalem reliquerit, quia rem incorruptibilem de corruptibili facere non potuit; ſed quia noluit. Placuit tamen optimo maximo bruta animalia ſuo etiam modo reddere perennia ac duratura per benedictionem ſuam: Nam *juſſit ea creſcere ſeque multiplicare.* Quod benè præſtiterunt miſcendo animata ſua ſemina: Ex quibus (ob potentiam materiæ primigeniæ ſeminalis, à Deo benedictæ) protinùs emicuit novum ſemen animatum, velut accenſum. In quo Spiritus, ut Artifex, aggreditur opus animale; & pro typo ſeminalis ſui corporis διὰ τ καλασκευλω τ̃ν πόρων ſuccos nutritios ita parat, ut ſuo tempore conſummatam viventis atque ſpirantis effigei ſtructuram concinnet. In qua certè miros & cogitandi, dignoſcendi, comprehendendi, nec non aliquo modo ratiocinandi modos & affectus edit.

XXVII. Sed ut acies atque ſubtilitas animæ brutalis ortæ de craſſa, inepta, ac indiſpoſita materia, Philoſophum reddat attonitum; ſic & unumquemque plebeium, bardum licèt atque ſtupidum, in admirationem rapiat ſubtilis & elegans atque mirabilis ea ſtructura, quâ corpus minutiſſimis cujuſlibet Animantis

eſt

eſt adornatum: Quod quidem artificium naturæ tantoperè vires humani ingenii atque omnium mechanicorum artem & induſtriam ſuperat, ut non abſque ſummi Dei præconio, maximâque miratione prædicari debeat. Quam ob rem mihi ſemper laudandus erit Galenus, qui ſurgit à naturæ laudibus ad præconia Conditoris omnium, quoties ille mirandas animantium ſtructuras ſpeculari ſolet: Cujus omnes libri ferè de uſu Partium [d] nihil aliud ſunt quàm hymnus in laudem mirandorum operum Dei compoſitus.

[d] v.l.3.de uſu part. cap.10.

Quiſquis ergò ſit, qui res animatas omnes tàm mirificâ partium conſtructione fabrefactas; támque eleganti artificio concinnatas advertit; eáſque movere, ſentire, cogitare unum ex alio inferre; ſæpiúſque diſciplinæ capaces eſſe cognoſcit; ille profectò, niſi vecors ſit aut inſaniat, eas in initio temerè atque fortuito, vi brutæ materiæ, genitas fuiſſe nullo modo credat.

XXVIII. Et qui benè conſiderabit viventium genera; atque ea ſolertèr actis experimentis examinabit, omnia animantia quæ nonnulli ſatis inconſultè *ſpontanea* vocant, aut ad oviparorum vel ad viviparorum genus adducenda concipiet, & in ulterutrius numero recenſenda. Id quod omnes phyſici qui benè omnia ſecum reputant, verum eſſe non difficulter ſibi perſuadeant. Cùm certum ſit ſemina quorundam animalculorum eſſe tam parva, ut viſum omnem fugiant; alia non niſi miſcroſcopio cernenda: Et exploratum ſit alia ſemina diu jacere in terra, vel in aqua; alia in aëre ferri atque jactari; vel in carnibus aliorum recondi, vitæque capacia permanere; licèt eâ non fruantur donec illis idoneus quidam fomes obtingat, quo accendatur. Ut non dubitare unquam potuerim, quin animalcula quævis exiliſſima viliſſimaque, licèt obſcuriſſimæ ſortis; & (per infamiæ notam) *terræ proles* habeantur, antiquitate ſuæ proſapiæ cum nobiliſſimis omnium animantium meritò concertare poſſent; utpote quæ genus ſuum (ſibi per continuam ſpeciei ſeriem derivatum) referant ad iſta primigenia, ſive dicamus ova, ſive ſemina, quæ Deus in principio fecit; & per univerſum hunc terraqueum orbem ſparſit.

XXIX. Nec cuiquam mirum videbitur, quod omnia animantia (maxima ſimul & minutiſſima) de ſeminibus, parvis illis initiis, (ſi parva dicenda ſint, quæ tam magna contineant atque producant) unici diei ſpatio tantam ab Aqua & Terra perfectionem

nem

nem reciperent, quantam poſteà non niſi poſt plures menſes, aut annos adipiſci poterant; hoc uno conſiderato, quod Creatoris voluntas ſit omnipotens; atque apud illum dies unus ſit perindè ac mille anni; ac mille anni, ut dies unus[e].

[e] 2 Pet. c. 3. v. 8. & Pſal. 90. 4.

XXX. Videat jam nunc Hagiographomaſtix vel Atheus (infœlix atque miſerum illud amentis animi tectum, vel laſcivientis ingenii propudium) qui paſci ac delectari ſolet minimâ (qualiſcunque ſit) argumentorum ſpecie, quam in Moſem intentare, atque per ejus latera, Deum ipſum quaſi transfigere, ſe poſſe putat: Videat, inquam, num Moſem in Creatoris hiſce mirabilibus enarrandis, aut contra rectam rationem, vel contra ſe ipſum dicentem reperiat. Videat an ipſe ad poteſtatem naturæ, vel caſûs atque fortunæ temeritatem referendos eſſe primos ortus animalium rectè ſentiat: quibus & terra & aqua non niſi prodeundi procreſcendíque materiam ſuppeditabant. Ob quam ſolam rationem philoſophus noſter Moſes omnia animalia in principio per Terram & Aquam prolata memorat; generationis honorem Deo reſervans. Ille námque mirifico ſuo verbo ſemina animalium formabat; atque ſubtilem & ætheream quandam eſſentiam principiis illis indebat, per quam nunquam ſatis admirandas ſuas fabricas ipſa ædificare; atque ex ambienti luto materiam tanto operi commodam & congruentem recipere; & ad partes augendas apponere valebat.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM.

De Opere ſexti Diei.

Syllabus. I. *Homo omnium creaturarum Coryphæus.* II. *Cujus excellentia reputatur ob ejus ſimilitudinem cum Deo.* III. *In quibus conſiſtit ea ſimilitudo.* IV. *Hominis anima dicitur ſpiraculum vitarum, & cur.* V. *Adami corpus primò fuit ſtatua ex argilla rubra plaſmata.* VI. *Non ex argilla communi, verùm ſelectâ & eleganti.* VII. *Probabile eſt iſtam venuſtatem corporis ab Adami peccato deſpoliatam fuiſſe.* VIII. *Moſes ut animam humanam, ita & corporis humani materiam diſtinguit à brutorum anima, per ſua nomina.* IX. *Animæ humanæ cœleſtem originem indicari per nomen* Neſhama. X. *At oſtendit Adami corpus è luto factum eſſe à Deo per nomen* jatzar. XI. *Id quod aliâ ratione factum de pulvere terræ affirmat.* XII. *Quid per Dei manus aut digitos intelligendum eſt.* XIII. *Adami atque Evæ ſemen exhibuit quaſi typum quendam in quo formabatur Caini corpus.* XIV. *Animæ vis plaſtica videtur eſſe mechanica, quod illuſtratur exemplo vegetabili.* XV. *Natura mechanica ad Creatoris gloriam facit, ac Animæ efficientiam non tollit.* XVI. *Animatum ſemen omnia ad* Eſſe animale *neceſſaria peragit abſque matris ope.* XVII. *Animam humanam de Cœlo venire, tam Gentium fuit, quàm Sacra doctrina.* XVIII. *Parentes per ſemen ſuum ſe multiplicant.* XIX. *Mira eſt ſtructura & puritas ſeminis, quâ format prolem, & diſpoſitiones animæ Parentum traducit.* XX. *Tam fœminæ quàm viri ſemen eſt neceſſarium.* XXI. *Argumentis in contrarium reſpondetur.* XXII. *Obſcuritas in hac re prout in aliis, debet phyſicum reddere modeſtum, ſed non ejus inquiſitionem tollere.* XXIII. *Generationis humanæ ratio.* XXIV. *Anima rationalis inchoat opus generationis in homine.* XXV. *Quæ ſecundùm Moſem complectitur & ſenſibilem & vegetantem.* XXVI. *Sed Anima ſpecies ideales aut typos aut prima membra delineare non valet.* XXVII. *Deus membra prima delineat.* XXVIII. *Quæ neceſſariò fiunt omnia ſimul.* XXIX.

XXIX. *Si quod membrum ante aliud ſit genitum, cor illud eſt, quod primò movet ſanguinem.* XXX. *Nam Cordi inſitum eſt Fermentum, quod movet ſanguinem atque illum circuire facit.* XXXI. *Calor iſte, quo Anima utitur in Opere generationis, eſt æthereus.* XXXII. *Qui maximè viget in Corde quod eſt ſedes animæ.* XXXIII. *Objectionibus contra hanc ſedem reſpondetur.* XXXIV. *Maris & Fœminæ ſemen per inflammationem fit idoneum receptaculum animæ.* XXXV. *Iſta accenſio à veteribus eſt agnita.* XXXVI. *Per eam inflammationem ſemen fit inſtrumentum Generis humani propagandi.* XXXVII. *Quamvis anima Caini nec ab Adamo nec ab Eva proveniret.* XXXVIII. *Quo ſenſu ſexaginta ſex animæ dicantur egreſſæ de femore Jacobi.* XXXIX. *Quæſtio de traductione animæ valde difficilis.* XL. *Speciei propagandæ ratio ab Authore propoſita veriſimilis.* XLI. *Anima immerſa materiæ neque ſentit, neque ſapit ſine Organis.* XLII. *Animæ humanæ duplicem vitam dedit Deus.* XLIII. *Deus & hominis animam & ejus corpus inſignivit.* XLIV. *In homine ineſt Vegetabilis, Mineralis atque Metallica natura.* XLV. *Hæc metallica natura ineſt omnibus, at in robuſtis eſt copioſior.* XLVI. *Probabile eſt in hominibus diverſæ conſtitutionis ineſſe metalla diverſa.* XLVII. *Hæc animalia metallica prædicantem manebit acris cenſura.* XLVIII. *Ineſt in homine lucida & ignea Eſſentia, quam concentratam atque puram Sol avidè ac evidenter amplectitur.* XLIX. *Ineſt etiam non Phoſphori tantùm, ſed & Pyropi natura.* L. *Et aurea natura.* LI. *Quod indicatur à Moſe quanquàm ſubobſcurè.* LII. *In unaquaque re latet Solaris & aurea natura.* LIII. *Veteres ob generalem hanc naturam dabant homini titulum Microcoſmi.* LIV. *At Moſes ob altiores rationes ſublimius elogium dabat, eumque magno mundo nobiliorem creaturam ſentiebat.*

I. CUM Deus Cœlum & Terram atque omnia, quæ in illis humano uſui vel oblectamento futura erant, magnificè condidiſſet, tunc demùm Hominem faciebat. Cui tanquam Domino, quicquid in Orbe hoc viſibili, vel potens eſt, aut ſplendens, aut utile, vel delectabile, ſervire juſſit. Nam dedit ei in Dominium cuncta animantia; immò ipſum *Behemothum* (*qui eſt præcipuum opus omnium viarum Dei*, Job. 40. 14.) & Leviathanum (*qui eſt Rex ſuper omnes filios* ſuperbiæ, Job. 41. 25.) Nec non univerſum orbem terræ: Eique in ſervitium dedit aſtra Cœli, atque ipſum Solem. Ut magnus ille Creator Univerſi, (qui à nobis ſemper haud ſine veneranda præfatione compellandus eſt) meritò credatur hunc mundum aſpectabilem ſolius hominis causâ feciſſe; illúmque tanquam magnum Principem locâſſe in ſplendidiſſimo palatio, cunctis anteà naturæ gazis ac ornamentis inſtructo. Prætereà non ſine maxi-

ma

ma ratione concipiamus hominem in faſtigio Creationis fuiſſe poſitum, non modò quia, nobiliſſimi diviníque generis exſtitit; ſed etiam ne ulli unquam Creaturæ per idololatriæ ſervitia ſe ſubmitteret.

II. Hominis certè dignitatem per illuſtre illud diſcrimen à Deo factum monſtravit Moſes; Deum nempè juſſiſſe *Terram* & Aquam producere cætera omnia animantia; ſed *Homini* fingendo manus ſuas admoviſſe. Gen. 1. 27. at hominis excellentiam præcipuè notat Moſes, quandò illum ad Dei ſimilitudinem fuiſſe exculptum tradit.

III. Non quòd homo, (*qui ſimilis eſt Vanitati* Pſalm. 144. 4. per ſpeciem ſuam cum Deo reverà comparabilis ſit; aut ejus ſtatua, quam Deus ex argilla finxit, aliquid effigiei Divinæ repræſentaret; ſed quoniam illud, quod in ipſum inſpirabat Deus, eſſentia cœleſtis fuerit, & à Deo nata: Nihil etenim Deo ſimilis exiſtit: quippe licèt homo ſit *progenies Dei*, Act. 17. 29. huic *tamen haud aſſimilare debemus fortem Deum*; *nec illi comparare ullam ſimilitudinem*, Iſai. 40. 18.) Cujus Imago nec à ſubtiliſſimis effingi poteſt, aut concipi: adeò ut illi ipſi philoſophi, qui (ne pravas ideas in Vulgus imprimerent) *ſolidam* atque *planam columnam pro Dei ſimulachro* ſtatuebant: Deum nequiter intrà lineamenta concluderent, nè ſolidè figurarent ἄμορφον, id eſt, *nullâ figurâ præditum*. Mundi quidem imaginem quodammodò gerit & induit Deus, in qua ſe conſpiciendum profert, ſui ſolummodò ſimilis.

Abſit igitur ut concipiamus philoſophum noſtrum Moſem cenſuiſſe iſtam ſimilitudinem, quæ eſt homini cum Deo, *corpoream* eſſe, ſed *metaphoricam*; & obſcurâ quâdam ratione in ejus mente duntaxat expreſſam; quà nempè *ſpiritualis* eſt, quà *immortalis*, quà *pura*, & *ſancta*, & *ſapiens*: Hiſce namque perfectionibus omninò conſtare hominis cum Deo ſimilitudinem planè docet Apoſtolus (Coloſſ. 3. 10. Eph. 4. 33. & Roman. 12.2.) Qui affirmat *illam ſimilitudinem, quæ dicitur nobis cum Deo fuiſſe, pravitate noſtra defœdatam atque ferè deletam, per puritatem mentis ſanctitatémque recuperari poſſe*; *noſque per eaſdem denuò figurari* ad ſimilitudinem Dei Creatoris noſtri.

IV. Cœleſtis ſanè res eſt pura mens hominis, per quam non ſolùm creaturas omnes longè præcellit; ſed & alta ſapit, & cœlum

ipſum ſpirat, ubi Angelis æqualis fiat. Quod ſatis clarè ſignificatur à Moſe, quia cunctis aliis animantibus attribuit unicam duntaxat *animam viventem :* homini autem נשמת חיים *niſmath chaijm*, id eſt, *ſpiraculum vitarum*, Gen. 2.7. Ita namque Moſes ſe declarat Hebraicè : Ut meritò credatur humanam animam à divino philoſopho noſtro non inſcitè, nec inconſideratè vocari *ſpiraculum vitarum*, in plurali numero, quia per eam vivunt homines non tantùm vitam hanc præſentem, quæ fragilis eſt & caduca ; ſed & futuræ vitæ, quæ erit æterna, capaces exiſtunt ; & Angelis æquales fient.

V. At quod divinus ille philoſophus expreſsè doceat hanc animam, ſive *ſpiraculum vitarum* à Deo inſufflatum fuiſſe in nares ; aut (quod maximè concordat cum Hebræo) in faciem Adami, diſertè ſignificat Deum non tantùm primi hominis animam, ſed & ejus corpus effeciſſe, in quod ità infundebat animam, ut mox appareret, in ore ac naribus per reſpirationem, atque per ſenſus, quos edebat. Ut ſatis manifeſtum ſit Deum non, ſicuti brutorum animas, ita ac humanam quoque luto commiſiſſe, ut corpus ex eo ſibi ipſi fabricaret ; ſed ipſum manibus ſuis Adami corpus ex argilla, tanquam *figulum ſtatuarium*, formâſſe ; idque ſummo artificio prorsùs *elaborâſſe*, quippè non minùs præ ſe ferunt verba Jobi (c. x. v. 8.) Conſonat regius ille philoſophus (Pſalm. 119.73.) ubi ſeipſum vocat *argillam*, Deum verò πλάσω id eſt, *Fictorem* ſuum ; & cum illo conſentit Iſaias (c. 64.8.) qui homines ut *lutum* ; Deum verò tanquam *fictorem* reſpicit ; quatenùs ille digitis ſuis hominem primùm *plaſmaverat :* Et illud ſemen, quod Deus in illius corpore fecerat, perenni benedictione Dei multiplicatum, ad Davidem uſque propagatum fuit.

VI. Cùm verò tam nobilis atque præcellens ſit ortus humanæ animæ ; tam ſublimis ipſius eſſentia, atque tantus honor ei habitus à Deo, ut eam non ſine concilio crearet ; cúmque per internas excellentias, quibus eam Deus ornabat, ſui quodammodò ſimilem eſſe voluit ; eique dedit omni terræ, immò toti mundo dominari ; credibile eſt luteum illud habitaculum, quod huic cœleſti Dominæ *regiam* eſſe deſignârat, minimè de communi terra conſtructum fuiſſe, ſed de *adamah*, id eſt, *de terrâ quâdam rubrâ, quæ erat terra ſelecta, terra pinguis, & per fermentationem facta rutilis*

rutilis & coruſca; adeóque in quintam quandam eſſentiam quaſi redacta.

Nec inaudita eſt hæc quam promoveo, vel nova ſententia: ſed ab omni antiquitate tradita: cujus autoritate ductus Philo Judæus affirmat hominem compoſitum fuiſſe ἐκ πηλοῦ & ὕλης, ἣν χοῦν κεκλήκεν, id eſt, *è diſperſa materia, quam vocat* χοῦν. Theophilus autem χοῦν, interpretatur eſſe ὃ τ ξηρᾶς, ἀλλὰ τ πολυμερῆς κ ποικίλης ὕλης μέρ, id eſt, *non ſiccæ, ſed multifariæ variegatæque materiæ partem.* Et Joſephus [a] cùm redderet rationem cur primus homo dictus fuerit *Adamus*, id eſt, *rufus*; dicit illum ſic appellatum, quia formatus fuit ἀπὸ τ πυρρᾶς γῆς φυραθέσης, &c. id eſt, *è terra rubra fermentatâ.* Quod perindè eſt, ac ſi dixiſſet, hominem primum fictum fuiſſe è terra rubrâ ad clariorem lucidiorémque colorem ſive tincturam redactâ: quippè fermentatio res omnes digerit & emendat; ipſarúmque tincturas inſignitèr auget & illuſtrat. Et ut eò fidentiùs arbitremur hanc terram *Adamicam* fuiſſe puram elegantem, atque roſeo colore ſplendidam, nos ea ipſa vox perſuadeat, quæ fuit huic terræ prorsùs ab initio data; nimirùm אדמה *Adamah*, ſic dicta à verbo אדם *Adam*, id eſt, *rubuit:* vel rutulanti colore, non ſecùs ac rubinus, ſplenduit: אדם namque *rubinum* quoque notat, Exod. 39. 10. & Ezech. 28. 13.

[a] Antiq. Jud. c. 4.

VII. Sciunt quidem docti Moſem (qui tam verba quàm res ipſas optimè calluit, & uſquequaque ferè ſtuduit brevitati narrationis) ea ſemper verba ſelegiſſe, & ad uſum ſuum traxiſſe, quæ magis apta ad rem atque accommodata fuerint; & quæ complexu ſuo tenerent omnia, quæ intelligi à Lectore ſuo voluit; idcircò (præſertim quià vetuſtæ traditiones id ipſum, prout videre eſt, indicârunt) haud ineptè concipiamus Moſem per vocabulum אדמה *Adamah*, notam feciſſe non tantùm iſtam *argillam*, ex qua fictum fuit corpus primi hominis; aut eam rubedinem, quæ in communi bolo cernitur; ſed iſtiuſmodi potiùs, quæ clara eſt, ac in *rubino* tranſlucida: Non quòd Adami corpus unquam fuiſſe διαφανὲς, id eſt, *tranſparens* exiſtimarem, ſed (ut promptum eſt concipere) purius & elegantius à creatione ſua, quàm poſt lapſum fuit: Quia veriſimile eſt per Adami pravitatem (ab ipſo ac à Poſteritate ſuâ luendam) non ejus animam ſolummodò fœdatam, ſed & corpus etiam deformatum fuiſſe: Non potuit ſanè miſer Adamus non infœlicitatis ſuæ valdè conſcius

eſſe ; nec potuit gravitèr afflictus animus, non ipſius corporis, elegantiam, nitorem, venuſtatémque (prout ſolet ſæpiùs fieri in levioribus ærumnis) intimè deſpoliare.

VIII. Et dum reputo, mentéque mea revolvo naturæ noſtræ præcellentiam ; jure ac meritò credam, quòd hominis Corpus omnes omninò res terreſtres, omnia quoque Cœli corpora (Luna ac Sole non exceptis) ob nonnullas eximias rationes multùm ſuperet ; habet enim in ſe virtutem atque ſublimem quandam naturam de puriſſima parte Solis & Lunæ ac Syderum, nec non omnium elementorum mirè conflatam ; per quam ſingulis eorundem viribus haud cedet ; & gaudet animâ viventi & immortali, quo nomine cæteris Mundanis omnibus antecellit : Ut non poſſum non concipere, quin Moſes, qui vocem, נשמה *Neſhamah* ſciens adhibuit ad animam noſtram inſigniendam atque diſtinguendam ab ea aliorum animantium ; conſultò ſeligebat etiam vocabulum אדמה *Adamah*, ad corporis humani materiam à luto brutorum clarè diſcernendam. Adeóque per rubram hanc terram, non bolum communem (viliſſimæ cujuſque viventis naturæ molem) à nobis intelligendum voluit ; ſed rubentem quandam lucidioris elegantioríſque tincturæ confectionem terream (prout ipſa vox indigitat) *rubini* claritatem (quodam ſaltem modo) referentem : Alioquin, ut ſubmiſsè concipio, Deus haud appellâſſet primum hominem אדם Adam à verbo אדמה Adamah, (Quod *terram rubram*, quin & (ut dictum eſt) *rubinum* ſignificat) ſed מתם *methom* potiùs, quod hominem in genere notare, & tam fœminæ quàm maſculo tribui voluit. Vel eum dixiſſet אנוש *Enos*, ab ea *mortalitate* atque *miſeria*, quas illum ſibi per ſuum lapſum brevi contracturum eſſe prævidit.

IX. Facilè quidem credamus hanc rubram terram, ex qua Corpus humanum factum fuit à Jehovah Deo, tam politam támque luculentam fuiſſe redditam, ut fieret incolâ ſuâ, ſcilicet animâ humanâ, dignius habitaculum. Quæ quàm celſæ fuerit originis, & quàm Divinæ proſapiæ, monſtratur à philoſopho noſtro, quando eam vocat נשמה *Neſhamah*, eo namque vocabulo rem cœleſtem eſſe notat : alluſione factâ ad vocem שמים *ſhamajim*, propterea quòd è Cœlis hùc deſcendit. Nam quanquàm נשמה *Neſhamah* & שמים *Shamjim* ſint diverſæ radicis ; nihil obſtat attamen, ut illud non ad hoc alludendo referri poterit,

rit, cùm tales alluſiones in ſacris literis haud infrequentes exiſtant.

Libenter agnoſco vocem נפש *Nephes* per quam Moſes *animam ſenſitivam* ſive *brutam* (ſicut & humanam quoque nonnunquam) deſignat, æquè halitum atque animam ſignificare, ac vocem נשמה *Neſhamah*; illo interim diſcrimine, quòd philoſophus noſter haud applicare ſoleat vocem *Neſhamah*, niſi ad *animam humanam*; utpote cœleſtem & immortalem ſpiritum. Nam quamvis in omnibus animalibus ineſſe credatur anima, quæ quodam modo rationis atque cœleſtis naturæ particeps exiſtat; quatenùs ejus materiam de terra ſumptam Deus exaltaverat ad eſſentiam valdè ſublimem atque ætheream; &, Ariſtotelis opinione, *analogam elemento ſtellarum*. Non tamen opinandum eſt illam rationis ſummæ capacem, vel immortalem eſſe, neque de Cœlo cœlorum, prout humanam, deveniſſe. Ideóque minimè *ſpiraculum vitarum* (quo Deus animari voluit humanum corpus) dici meruiſſe.

X. Non ſum neſcius quòd nonnulli minimè credant Adamum priùs argillaceam ſtatuam, quàm hominem fuiſſe, Quia, cùm pro certo ſtatuerint *inſpirationem* Dei non fuiſſe corpoream, ita neque faciem vel nares (quas figurativè tantùm conſiderabant) tunc factas exſtitiſſe. Sed ejus animam à Deo creatam, ac argillæ infuſam fuiſſe, eique poteſtatem datam, ut ex ea corpus ſuum ſibimetipſi fabricaret: perinde ut brutorum animæ corpora ſua ſtruxiſſent.

Reſp. Sacræ vetuſtatis Opinio de hac re ſatis claret è teſtimoniis allatis, quæ prædicant Deum tanquam *Statuarium*: Deum certè feciſſe non animam ſolummodò, ſed & corpus Adami, monſtrant ipſius Dei verba nempe, *Faciamus hominem*. Ex anima ſcilicet & corpore, conſtantem naturam: Et Moſes ipſe manifeſtò declarat ſe per *faciem* intellexiſſe veræ ſtatuæ *vultum* cùm priùs dixiſſet Deum (tanquam ſtatuarium) *plaſmâſſe* hominem. Id quod verbum Hebræum יצר *jatzar*, quo Deum uſum fuiſſe tradit, propriè atque palàm notat.

XI. Minimè tamen exiſtimandum eſt Moſem, vel à ſeipſo diſſentiiſſe, quando affirmat hominem eſſe *haphar min haadamah* id eſt *pulverem de terra*; vel ab aliis Scriptoribus ſacris, qui tradunt eum fuiſſe חמר *chomer*, id eſt, *lutum* vel *argillam*. Nam certum eſt in eo non variari inter Moſem & cæteros hagiographos,

phos, propterea quia diſſimilis ea dictio non oriebatur ab ejuſdem rei diverſa notione: ſed ab alia conſideratione tantùm. Nam qui velut Oratores exprobrant homini vilem ſuum ortum, ut redarguerent ejus arrogantiam, vel munditiem cultumve ſui nimium, benè ſe feciſſe putabant, ſi proximam corporis humani materiam, nempè *lutum* in ejus ignominiam verterent. Moſes autem qui jam tanquam philoſophus exordia repetit, primam rei materiam hic indicandam potiùs cenſuit; ideóque memorat hominem fuiſſe *pulverem terreum:* quæ fuit iſta prima concretio particularum ex qua poſteà lutum vel argilla compoſita fuit; & in quam redibat illud argillaceum corpus, ubi reſolutum fuerit: juxtà inſignem illum philoſophum Jobum (c. 10. 9.) qui ſic alloquitur Deum *memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & facies me redire in pulverem?* ſcilicet in eum pulverem, quæ erat prima materia iſtius argillacei corporis; & in quem reſolvetur iterùm, ſimul ac corumpitur.

[b] Vid. cap. 4. num. XIV.

XII. Nec abhorret à fide noſtra doctiſſimorum virorum ſententia, qui credunt Deum ad fingendum corpus primi hominis verè manus ſuas adhibuiſſe, aſſumptâ nimirum formâ humanâ, in qua poſteà apparuit Adamo facto: Non ſecùs ac poſteris etiam ſeculis viſus fuit Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Gideoni: Sed in aliis quibuſcunque generationibus, ubi manuum vel digitorum Dei fit mentio probè intelligendas eſſe, *vel* Divinam ſapientiam atque omnipotentiam; *vel*, ſecundas cauſas, quibus Deus tanquam manibus aut inſtrumentis ſuis uti ſolet. Adami corpus è luto fictum, maximè pars ea, quæ ſemen appellatur, Artificem habuit Dei ſapientiam potentiámque: Caini verò corpus, ut & aliorum deinceps hominum Corpora, Dei voluntate relicta fuerunt eorum animis extruenda per inſtrumenta phyſica, ſed mechanico ritu, & ſecundùm ſeminis ſui typum & exemplar, adminiſtrata.

XIII. Nam credibile eſt Adami atque Evæ, ſemen unitum, ex quo Caini corpus fictum atque formatum fuit, tanto tamque mirando opere conſtructum fuiſſe, ut in ſe Prolis futuræ, nempe typum ferret, Dei manibus impreſſum; ut aptum fieret inſtrumentum Animæ ad generationem corporis ſui perficiendam.

XIV. Animæ námque virtus eſt, quæ generationem prolis inchoat & perficit. Quamvis etenim prima ſpermaticarum partium delineatio

delineatio fiat à Deo (quod ſacrâ autoritate ſimul & rectâ ratione conſtat) Verùm tamen eſt Anima, quæ primò movet unitum ſemen, atque illud maximè diſponit ad conceptionem; quia purum ſemen (quod eſt in veſicula dicta *bullula*) fovet; & craſſius illud ſemen (quod intrà membranam, χόριον dictam, concluditur) attenuat ac digerit, ut idoneum atque promptum alimentum ad Fœtum augendum fieret. Necnon alia omnia generationis opera (exceptis typo ſeminali, atque primâ delineatione partium) per calorem ſuum æthereum promovet: (Nam calor æthereus præſtò eſt animæ, quamdiù manet in hoc parvo mundo) atque tandem perficit. Ità ut meritò prædicetur Anima tanquàm *plaſticus* ille Spiritus, cui Deus ab initio demandârat hujuſce carnei domicilii confectionem, ad exemplar ſui typi ſeminalis adornandam.

Quomodo verò *typum* hunc adhibeat Anima ad humanam ſpeciem perficiendam, concipiatur optimè ſupponendo illum typum eſſe miram quandam *pororum* conſtructionem, variâ texturâ atque ordine ſeriéque figurarum conſtantem: Per quos dum ſuccus iſte nutritius, vel materia, quæ requiritur ad abſolvendam Prolem, tranſmittitur ab Anima, ſic figuratur, & ſic penetiſſimè diſponitur, ut non poſſit non à typo deſignatam ſpeciem fingere.

Alibiles autem ſucci dicantur idcircò tranſmitti ab Anima, quoniam licèt ab aëris interni, vel caloris ætherei vi elaſticâ pellantur in poros internos, id influentiâ præſentis Animæ peractam cenſeamus: illâ etenim abſente, protinùs evaneſceret iſte calor æthereus; porique ad recipiendam materiam nutritiam prorsùs inepti forent.

Et certè quidem, ſi corpus animantis in Utero non alitèr augmentum ſuum recipit, ac Planta creſcit (quod phyſicæ rationi conſentaneum eſt) benè concipiamus quantùm ad corporis efficiendi ſpeciem faciant pori ſeminis ex inſitione variorum ſurculorum in unius *arbuti* vel *maciani* ſtipitem: Ubi videamus tot ſpecies pomorum produci, quot ſurculi diverſi fuerint, communi ſtipitis illius ſucco per varios inſitorum poros alterato ſpecificéque formato.

Nam ſucci nutritii, qui in ſeminum poros vi Aëris expanſivâ (quæ viget ubicunque fit motus) intruſi ſunt, (quippè non attracti ſunt ſucci nutritii, ſed intruſi) per variè figuratos poros atque multiplices ductus, quos tranſeunt, ſic figurati, ſic diſpoſiti determinatique ſunt, ut ii per aptam ſuam appoſitionem ad partes,

efficiant

efficiant varios humores, & fibras, atque membranas, itémque ligamenta ſimul & oſſa; nec non & perfecta membra forment, ſecundùm typos ſeminis à Deo factos.

XV. Nec minuit gloriam mirandæ fabricæ, quòd tam mechanicè fieri videatur, quamdiù clarè cernatur Omnipotentiæ manus in cujuſcunque ſeminis artificio. Quod in omnibus exiſtit adeò elegantis & eximiæ ſtructuræ, ut non tantùm corpus hominis, ſed & bruti ſimul & plantæ celebrari debet tanquam *Opus valdè ſuſpiciendum atque mirabile*, Pſalm. 139. 14.

Quanquam verò maxima pars animalis ſtructuræ, more mechanico peracta ſit; non tamen ita intelligenda res eſt, ac ſi fuerit ſolius ſeminis opificium. Nam ſemen ipſum omninò torpidum fuiſſet ac inerſ adinſtar rei mortuæ, ni ſpiritus inſitus ei dediſſet motum: Cunctíque pororum canales, ac omnes illæ ſubtiles inflexiones & anfractus, ductuúmque mæandri, quibus habitudinem atque formam ſuam debent animantium corpora, flaccidi eſſent & occluſi, penitúſque muneribus ſuis inutiles & inepti, ſi calor animæ (cui igneus eſt vigor) non adfuerit, atque partium tenorem atque vires foveret: Nec unquam perficeretur opus animale, niſi facultas Animæ plaſtica (quæcunque ſit illa, quam dedit ei Deus γενεσιουργὸς, i. e. *Originis & Ortûs cauſa*) ſuas etiam partes ageret. Quæ ſanè tanta eſt, ut nihil in Utero fiat ad eſſe animale neceſſarium, quod non ab Anima velut ab Artifice, & à ſemine tanquam ab inſtrumento peractum ſit: Exceptis illis primis in Embryone lineamentis, typóque ſeminali, quæ ſolius Dei manus efficerent.

XVI. Et certè quidem per tres primos menſes, alia omnia generationis agi ab anima, ſine ulla Matris ope, conſtat ex Embryonis hiſtoria, quam nobis exhibuit expertiſſimus Harvæus[b]. Nam toto hoc tempore conceptum ſemen formatúſque fœtus laxè in utero ſeparatéque fertur; ità ut neque per Venas aut membranas aut ligamenta cum eo connectatur; at à ſua mole, craſſiori nimirum parte ſeminis (nam verùm purúmque ſemen eſt minima pars iſtius molis) accipit incrementi ſui materiam.

[b] Lib. de Gen. animal.

Ut certum ſit Adami atque Evæ ſemen, Dei benedictione fœcundum redditum, atque cœlitùs animatum, Caini corpus in utero Evæ ſimiliter effeciſſe; adeóque Adamum & Evam nihil ad Generationes ſuas perpetuandas unquam de ſeſe contuliſſe præter

ter ſemen, quod Deus animabat *ſuo ſpiraculo*; eique poteſtatem dabat, ut corpus ſuum, tanquam *domicilium* vel *regnum* ſuum, (quod multi non dubitârunt appellare Μικρὸν κοσμον, id eſt, *parvum mundum*) ſibi conderet.

In hoc regno ſuo, cùm plurima habeat vitæ domicilia ſive Palatia, nempè Caput, Cor, Ventriculum, Pulmones, Hepatem, Lienem, &c. meritò quæratur in quo præcipuè reſideat hæc Dominatrix Anima. Scio quod Medici communiter atque Philoſophi Cerebrum ſtatuant eſſe ſedem Animæ. Sed an verè, non ſine maxima cauſa dubitetur, cùm refragari videatur & autoritas ſacra, ſimul & Animalis œconomiæ ratio.

XVII. Verùm ubicunque reſideat Anima, certum eſt eam hîc advenam eſſe & extraneam: Eique terreſtre hoc domicilium definito tempore ad habitandum à Deo locatum fuiſſe; quod, eo tranſacto, derelinquendum; ut patriam ſuam nempè Cœlum repeteret: Quod non tantùm veritati Moſaicæ, ſed & rectæ rationi tam conſonum eſt, ut omnes ab omni antiquitate ſapientes id ipſum dixerint, & prædicaverint, ut ſe in hoc orbe peregrinos exiſtimarent, & patriam ſuam, nempè cœlum, repeturos crederent.

Quippè non ſuam tantùm, propriâ nempè meditatione conceptam opinionem, ſed de vetuſtiſſimorum philoſophorum ſapientia receptam protulit Ariſtoteles[c], ubi docet ἀπὸ νῦν, id eſt, *mentem* ſive *animam* θύραθεν ἐπεισιέναι, id eſt, *foris*, q. d. *ſuperingredi*, hoc eſt *de Cœlo*. Undè ipſam ſubinde θεῖον, id eſt, *divinam* appellat; apertè notans ejus originem eſſe cœleſtem.

[c] l. 2. de Gen. Animal.

Hanc humanarum animarum patriam Plato nuncupat ὑπερουράνιον τόπον, *locum ſuper cœleſtem*: Et Pythagoras illam prorsùs eâdem mente, quanquam diverſâ dictione, vocat ἐλεύθερον αἰθέρα, id eſt, *liberum æthera*. In quo heroum animas pòſt exuta corpora ſua, protinùs ἀναθάτους καὶ ἀμεθύτους, *immortales & incorruptibiles* eſſe docuit. Quocirca ſapiens ille Vir abſque omni dubitatione (quicquid in contrarium cenſuit Hierocles) non intelligebat illam ſuperiorem regionem mundanam (quam vel ætheream vel empyream dicimus) quæ motui atque mutationi ſit obnoxia, ſed ſupercœleſte illud ſpatium, quod vel nulla tenet materia; vel longè ſubtilior atque ſpiritualior; & ab omni corruptione, cunctíſque turbis atque ſervitiis malorum ſpirituum penitùs exempta,

& *libera:* Quæ proindè à Pythagora dicitur ἐλεύθερος, i. e. *libera.*

XVIII. Sin omnes humanæ animæ de Cœlo veniant, ita ut certum ſit, in unaquaque naturali generatione Prolis animam non à parentibus gigni, vel infundi in uterum; nec à matre aliquid in Utero ſuo conferri ad *eſſe animale* neceſſarium (prout ex Embryonis hiſtoria Harvæiana, ſatis manifeſtum eſt) meritò quæratur, quâ proinde ratione dicantur homines & multiplicare ſe, ſibíque ſimiles efficere. Non quod ambigi debet an illi, quos Deus creſcere, ſeque multiplicare juſſit, ad id poteſtatem haberent; ſed an ſciatur modus, quo præſtari ſolet.

Certè quoad animas ſuas homines à ſacris ſcriptoribus appellantur Dei filii; quam ob rationem Gentes quoque ſolent homines vocare *Dei genus*; & Jovem ſuum nominabant Gentis humanæ *patrem*; Cœlum ſuſpicientes tanquam patriam ſuam: At quoad corpora ſua tam à Sacris, quàm ab aliis ſcriptoribus dicti ſunt *germina:* Ut ſciamus illos ortos eſſe de progenitorum ſuorum ſemine, cui aliquid etiam Divinum ineſt; quatenùs hoc ſemen ab eo ipſo Adami ſemine, quod Deus in principio manibus ſuis elaborabat, æternâ atque mirandâ benedictione Dei multiplicato, derivatum eſt.

XIX. Sublimem quidem eſſe naturam humani ſeminis veterum ſapientia docuit. Sed non ſatis fuit eam τῶ ἄστρων στοιχείω, id eſt, *aſtrorum elemento* analogam dicere (prout ſolet Ariſtoteles) ni ſimul agnoſcerent ipſam divino charactere, peculiari modo, ſignatam eſſe. Quippe non dubitandum eſt, quin Deus, quando corpus Adami ſuis ipſe manibus efficiebat; & illum poſteà creſcere atque multiplicare ſe juſſit; eam corporis hujuſce portiunculam, nempè ſemen (per quod, tanquam per inſtrumentum, tanti momenti rem, quanti eſt humanæ ſpeciei multiplicatio, præſtari voluit) maximo mirandóque per omnes ſuas partes artificio concinnaverit; & verum ſemen (quod minima pars eſt illius molis quam ſemen dicimus) puram atque ſubtilem eſſe eſſentiam; atque adeò cum anima penitiſſimè commiſceri peraptam eſſe jufſerit: eò nimirum conſilio ut per ejus admirandam texturam corporeas ſimilitudines Progenitorum in Prole fingi; nec non affectiones animæ paternæ maternæque per illud, quà purum eſt receptaculum ſubtiléque vehiculum, ad filium transferri poſſet. Nam puro ſemini, prout benè ſentiunt phyſici, ſolent firmiter imprimi

imprimi tum qualitates animæ, tum corporis habitudines.

Seminalis artificii præſtantia eſt eò nomine prædicanda, quòd id corporis Organici producendi Typum (prout anteà ſuppoſitum eſt) in ſe contineat ingenio Divino fabricatum. Nec ea mirifica ſtructura dicenda eſt ineſſe duntaxat hominum, ſed & aliorum animantium ſemini : Quod etiam poros habet tam ſubtilitèr ſapientérque figuratos, & tam concinnâ deſignatione contextos, & variatos, atque per totum diſpoſitos, ut rei producendæ ſpeciem neceſſariò tribuant ; quatenùs ab illis omnes ſucci nutritii ſic in tranſitu ſuo figurati, ſic diſpoſiti, determinatíque fuerint, ut niſi talem partium fabricam atque modum, qualem pororum textura nata eſt exhibere, nequeant efficere.

Inſignis autem puritas atque ſubtilitas veri ſeminis ex eo liqueat, quòd tam intimè ſe conjungat cum anima , ut quamvis ſit corporeum, impreſſiones attamen ab anima paterna maternáque recipiat; atque ad prolem traducat.

XX. Quæ dicta ſunt huc uſque de ſemine,non tantùm maſculinum ſemen, at fœmininum quoque celebrant, & utrumque paritèr inſigniunt. Placuit etenim Deo, ut ſpeciei multiplicatio non maſculi ſolius, aut fœminæ, ſed utriuſque virtus exiſtat.

Nec dubitandum eſt quin mulier eâ ratione præſertìm facta ſit adjutrix viro, ut ad multiplicandam ſpeciem ſymbola ſua mittat. Nam creatus fuit Adamus ut propagaret humanum genus, cui tamen muneri non ſuppetebat ejus vis & facultas, quamdiu ſolus fuit, atque idcircò Deus, quantùm, ad naturales rationes, idcircò faciebat mulierem, ut viro ſubſerviret, eique in opere Generationis adjumento ſit.

Quod Moſes honeſtâ quidem modeſtâque locutione ſatis apertè docet, quando ait [d] Deum feciſſe Evam, ut Adamo fieret adjutorium כנגדו *chenegdo*, tale nimirum, quale fiat ei *coràm*, vel *anteriori parte* conjuncta. Deuſque idcircò mandatum *creſcendi, ſeque multiplicandi* (ſimul & benedictionem) non ſoli Adamo, nec Evæ tantùm, ſed utrique ſimul dabat. [d] Gen.c.2. com.18.

XXI. Non deſunt , haud infiteor celebria quædam nomina philoſophorum, quorum nonnulli ſentiunt fœminas ſolas afferre ſemen ad generationem animalem ; viros autem non niſi *fermentum* quoddam præbere, quo movetur & ad opus obeundum cietur muliebre ſemen. Alii interìm non verum ſemen ſed menſtru-

alem quendam humorem duntaxat fœminis ineſſe volunt, generationi prorsùs inutilem. Multíque porrò, licèt illi rationes vendibiles minimè proferant, non tamen addubitant affirmare, quòd Viri tam parùm contribuant ad gignendam prolem ut vix mereantur *Patrum* nomen: Et quòd mulieres omnes debeant *matrices* potiùs quàm *matres* dici.

Grandes hos errores imbiberunt nonnulli docti quidem & arguti viri; *vel* ab Ariſtotele malè intellecto decepti; *vel* ab experimentis ſuis oſcitanter aut imperitè factis deluſi. *Illi* nimirùm, quia celebris ille Stagirita [e] affirmat ſemen virile mox in Utero διαλύεσθαι καὶ πνεύματῶδες, id eſt, *colliquari ac ſpirituoſum fieri*, per ea verba diſſipationem ſeminis intellexerunt & evaporationem. Sed quàm inſcitè, liquet ex illo eleganti exemplo, quo verborum ſuorum (ſi quæ ſit) obſcuritatem luculenter, & cum natura congruenter explicat ipſe Ariſtoteles: Nam ſubtilis iſte calor aut ignis, quem Maris atque fœminæ ſemina, dum commiſcentur in coitu (prout explicatum erit poſteà) concipiunt; puram atque ſpirituoſam partem ſeminis (quæ minima eſt) à craſſiori ſtatim ſeparat; craſſam verò brevi colliquat. Hi verò, cùm ad veritatem rei cognoſcendam, Damas aut Canes fœminas, aut alia animalia, vel horas aliquot vel unum aut alterum diem, poſt coitum diſſecuerint, & nihil ſeminis invenerint in Uteris, temerè concipiebant maſculinum ſemen ilicò delapſum fuiſſe; & vel nihil omninò, vel non niſi fermentum quoddam reliquiſſe: Non advertentes, quòd Animales fœmellæ vel per venationem violentam agitatæ, vel trucidatione territæ, vel alio quodam modo conturbatæ receptum ſemen excutiant. Neque benè conſiderantes quòd multis fœmellis ita conſtitutus eſt uterus, ut bis aut ter, aut ſæpiùs coeant, priuſquam maſculi ſemen retineant: Adeò ut non mirum fuit, quod in fœmellarum diſſectionibus à Coitu, ſemen in Uteris haud invenirent.

[e] l. 1. de Gen. Anim. c. 11.

Quòd ad illum quaſi nidum Ovorum quem nonnulli putant ſe inveniſſe in mulierum teſtibus, irrita eſt Opinio, ac planè ſubventanea; quæ non alia nititur ratione, quàm quòd earum teſtes ſint glanduloſi, & qui multis veſiculis, plurimíſque vaſculis ſeminalibus intextis conſtant. Hæ veſiculæ deceperunt noſtrum Connerum; quæ Johannem Van-Horne, & alios anteà fefelliſſent: Qui, præ novitatis aviditate, facilè ſupinéque cenſebant iſtas veſiculas

ſiculas ſeminales eſſe *Ova*; & in illis Ovis in Uterum tranſmiſſis homines generari, non ſecùs ac in Gallinis ac aliis animalibus fieri ſolet: Cùm tamen nullus unquam à tempore magni iſtius philoſophi Hippocratis uſque ad Harvæum, immò ad hunc uſque diem vel Ova, vel quid Ovi ſimile in Mulieris Utero reperit. Nec poſſibile fuit ut hæ veſiculæ, quas iſti φιλοκαινοὶ ſomniabant eſſe ova, tranſirent è teſtibus in uterum; quia non daretur aditus in Uterum per meatus ejus inconſpicuos, tantæque moli trajiciendæ penitùs ineptos.

Certum eſt attamen afflatim eſſe humoris ſeminalis in mulierum teſtibus, qui tempore coitus liberè ſtillat in uterum per ampliatos Uteri veſicularúmque poros: Nam licèt in mortuis nulli meatus appareant, per quos migaret iſte liquor; in vivis attamen, & corporum commiſcendorum libidine calidis, inſigniter aperti ſunt, & profundunt ſemen: haud ſecùs ac virorum proſtatæ, (quarum pori clauſi ſunt & inviſibiles in mortuis, (excipe quòd in illis qui diu laborârant gonorrhæa, nonnunquam ſint conſpicui) dum calent æſtu venereo, ſe pandunt, atque projiciunt ſemen.

Maneat ergo ſtabilis & ratus Philoſophi noſtri ſenſus atque ſignificatio, qui prolificum ſemen & Viro & Mulieri tribuit: Quin & utrique prorsùs æquam progignendi facultatem concedit, quando inducit Deum parili ratione benedicentem Adamo ac Evæ; atque iiſdem verbis jubentem, ut *creſcerent ſeque multiplicarent*.

Cum Moſe concordat omnis hujus ſeculi phyſicorum, quæ ſobria eſt & accurata, experientia: Conſonat etiam philoſophorum, qui præminuerunt inter Gentes, vetuſtiſſimorum ſapientia. Undè eſt, quòd Hippocrates aſſerat ex utriſque, maſculo ſcilicèt & fœmina, ſemina ad procreandum fœtum provenire: Et tum in fœmina tum in viro καὶ κουρογονίῃ καὶ θηλυγονίῃ, id eſt, tum puerulum tum puellam generandi facultatem exiſtere; pro virtute ſcilicèt, aut copia ſeminis. Nam quod validius erat, id prævalere cenſebat ad gignendam ſpeciem; atque idcircò maſculum eſſe dicendum, ſeu viri fuerit, ſeu fœminæ: Unde affirmat in viro καὶ τὸ θῆλυ σπέρμα καὶ τὸ ἄρσεν, id eſt, *& muliebre & maſculinum ſemen* ineſſe: Eodémque modo in muliere ſe rem habere [f].

[f] Hip. in l. de Genitur.

XXII.

XXII. Quanquam verò de neceſſitate ſexûs utriuſque, ſimul & maſculini fœmininique ſeminis efficacitate, tum per argumenta phyſica, tum per autoritatem Moſaicam ſatis conſtare videatur; tota nihilominùs ratio Generationis adeò involuta res eſt; & tam difficiles explicatus habet, ut non minùs de illa, quàm de aliis rebus, quas *ſacro involucro texit* author Naturæ, dubitari poſſit.

Mentes noſtræ quidem cæleſtis Eſſentiæ, particulæque veræ lucis exiſtunt; quamdiu tamen immorantur in hoc luteo Tabernaculo (in quod demiſſæ venerunt, non ut hujuſce Mundi ſecreta penitiſſimè diſcerent; ſed ut facerent voluntatem Creatoris ſui) & carneis integumentis obvolutæ ſint, in tenebris habitant; ubi nihil vident, niſi quod illis afferunt miniſteria ſenſuum, quæ nos miſerè fallunt, atque decipiunt.

Ita ut humanæ ſapientiæ pars ſit, non modò quædam neſcire velle, ſed & ignorantiam per omnia ferè confiteri: Cùm ſolertiſſimi venatores ſcientiæ naturalis, ſi modò ſint ingenui, ſi prudentes, ſi modeſti, libenter agnoſcent *maximam partem eorum, quæ ſcimus, eſſe minimam partem eorum, quæ penitùs ignoramus.* Demittant ergò criſtas ſuas *Gallo-pavones noſtri*, ſuperbi nempè ſcioli, qui in rerum cauſis inveſtigandis omninò indignum eſſe Homine veritatis avido reputant, ut illicò ad ipſum Naturæ conditorem recurrerent; utpote qui res omnes, arroganti ſpiritu vel per rationes, aut experimenta ſcitè ac evidenter explicandas cenſent.

Subſideat, inquam, ſe nimis efferens & intumeſcens vanitas ac oſtentatio naturalium Inquiſitorum; qui prout aliorum productionum, ſic & Generationis humanæ vias atque methodos intimas à ſubtilitate ſagacis ingenii perfectiſſimè penetrari poſſe concipiant. Et ſi *Theologi* ſint, cum Lactantio judicent Opera Dei, Mundi conditoris, miranda eſſe potiùs, quàm Dilucidanda [g]. Ille etenim (quantus, & quàm doctus atque diſertus Vir!) non dubitat affirmare *Hominem in Generatione præter materiam naſcendi (nempè ſemen) nihil conferre; cætera omnia, nimirum Conceptionem, inſpirationem animæ, corporis formationem; partiumque virtutem, & incolumitatem Dei eſſe.*

[g] Lib. de Opificio Dei, c 19.

Si ſint *Philoſophi*, Generationis autorem ſtatuant Deum, cum Harvæo noſtro [h] docente, quòd *ille rectè piéque rem reputavit, qui rerum omnium generationes ab eodem illo æterno atque omnipotente*

[h] In Exercitat. 50.

potente numine deducit ; à cujus nutu rerum Univerſitas dependet.

Si ſint *Medici,* protinùs inter alia naturæ magnalia, Generationis admiranda probè & accuratè conſiderent ; atque modeſtè quærant rationem formationis ſuæ,ut Dei fabricatoris ſapientiam ſenſibiliùs extollant: ſuámque demiſsè confiteantur inſcitiam ; ni velint reprehendi à Galeno [i] qui ſtudioſum naturæ ſic admonendum cenſuit. *Quo pacto hæc fiant, ſi ſcrutaberis , convinceris te non intelligere, neque tuam imbecillitatem, nec Opificis tui potentiam.*

[i] L. 15. de uſu part. cap. 1.

Certè vel acutiſſimi Philoſophi, quicunque ſunt, qui vel experimentis, vel ſpeculationibus ſuis intima Naturæ penetralia rimari contendunt ; (ſi modò rectè ſecum reputant omnia) coacti erunt cum magno illo inter Orientales ſapiente, Jobo palàm fateri, *vias* atque *opera Creatoris* eſſe inſcrutabilia.

Hæc attamen haud eò fine dicta ſunt, ut rerum naturalium ſtudia coarguerem tanquam vana vel inutilia; atque eâ re phyſicorum rationes ſpernerem, vel dehortarer induſtriam ; minimè omnium: Sed ut homines ingenioſos, ſolertéſque philoſophos enixè perſuaderem, ne tribuant Naturæ grandes illos effectus, quos ſolæ Dei manus efficiant : Neque notitias ſuas, ſubtilioréſque ſpeculationes, quæ rerum cauſas intimas haud attingant, nimis æſtiment ; at humili modeſtóque judicio ſuam vel ignorantiam vel dubitationem liberè fateantur & agnoſcant. Eò tantùm profecti per meditationes ſuas phyſicas, perque experimenta ſummâ ſedulitate curâque navata, ut Mundi conditoris ſapientiam potentiámque ſenſibiliùs intelligerent ; & (quod præcipuus iſtius ſtudii finis eſſe debet) confidentiùs enarrarent.

Quo quidem animo conſilióque ſolitus ſum Coſmopœiæ vias ac modos inveſtigare. Et nunc etiam (poſt ortus animantium brutorum ad ſenſum philoſophi noſtri Moſis, ut opinor, expoſitos) eadem mente rationes humanæ generationis offero Lectori dijudicandas.

XXIII. Imprimis ſuppoſui Maris atque Fœminæ ſemen æquè in omni generatione neceſſarium eſſe ; & utriuſque ſemen ad opera generationis adaptari per ſubtilem quandam inflammationem in Utero ſuſcitandam ; (non abſimili modo, quo Brutorum ſe-

mina

mina creduntur accendi) nempè dum miſcentur Coeuntium ſemina, mutuis illicò viribus admirandas iſtas naturas accendi ; penitùs uniri ; atque purius ſubtiliúſque fieri : Adeóque ad Animam (cœleſtem illam ſcintillam) recipiendam magis idoneum reddi [k].

[k] vid. Cap. 10. Num. 19. & 20.

Quamvis autem Moſes tam rem ipſam, quàm rei modum taceat, (prout ob ſtudium brevitatis ſolet multa ſilentio præterire, quæ vera ſupponit) antiquiſſima tamen philoſophia per traditiones inſtructa, ſic docuit. Undè vetus & inſignis ille philoſophus Hippocrates haud veritus eſt affirmare, ſimul ac Viri ſemen in Utero miſceatur cum mulieris ſemine, ἀξαύεσθαι τὸ θερμὸν ὥσπερ ἔστιν ὅτε φλόγα οἶνον ἐπιχέας, id eſt, *ignem vel flammam exilire, non ſecus ac ſi quis ad flammam affunderet, vinum* [l]. Eo namque affuſo in ignem, vini ſpiritus illicò flagrans evolat. (Hîc advertendum eſt quòd Hippocratis uſu & dialecto θερμὸν ſit *ignis* & *flamma.*) Adhæc & recta ratio multóque recentiorum philoſophorum ſolers obſervatio conjecit, immò quidem concluſit, Viri atque Fœminæ conſtitutiones, ſimul & utriuſque ſemina, parili ferè modo inter ſe differre, quo ſolent nonnulla Sulphura & Sales (ut vocantur) alkaliſati; quorum ingenium eſt (ſive id ſit ab amicitia mutua, ſive ab ingenti diſcordia) vires ſuas, ubi commiſcentur, feſtinatò conſerere, atque flammas edere ; præſertim ſi vel Ars vel Natura particulas igneas ſuccenſas interim conjunxerit. Neque certè Contemplatori phyſico mirum videatur, quòd naturarum in ſexu differenti contrarietas ità flammam ſuccendat, cùm frequens uſus & experientia tam veterum quam recentiorum comperiiſſet quòd flammæ ex ejuſdem viri particulis accenſis excitari ſæpenumerò ſolent, & per poros ejus erumpere.

[l] vid. Hippocrat. lib. de genitura.

Suppoſui porrò qualitates (utì ſolent vocari) ſpecificas, & modos atque proprietates illas, quibus filii parentes ſuos ſimulant, atque ſæpiùs indicant, per miras quaſdam ſpecies aut ideas, interim dum coeunt mas & fœmina, de ſingulis partibus excitas in purum ſemen imprimi: Quod non modò non contradicit Moſaicæ doctrinæ ſed ab illa potiùs ſibi ſumere non exiguam vim atque autoritatem videatur. Et per illas ideas in ſemine, ſimul & per inſignem illam variè figuratorum pororum, per ſemen undíque diſperſorum, texturam ac ſeriem, mirum quendam typum cudi per quem veluti per exemplar operis obeundi concipiamus,

non

non tantùm externam formam Prolis, patri vel matri ſimilem, ſed & animi Paterni maternive diſpoſitiones & vires atque facultates in ſemine fingi, adeóque ad prolem derivari ſolere.

Quæ cùm ſic fierent, ſatis actum eſſe videtur, ut homines verè dicantur, ſeſe multiplicare, ſibique ſimilem gignere; quanquàm neque Parentes in Uterum infundant Prolis animam; neque Mater aliquid *ad eſſe Animale* neceſſarium [m] conferat in Utero ſuo. In quo certè præter halitum circum-volantem, qui foveat Embryonem, nihil omninò per tres primos menſes augeſcenti Fœtui præbet.

[m] Vide Embryonis hiſtoriam Harvianam.

Quibus ad hunc modum ſuppoſitis, haud credamus concubantium naturas vi ſuâ (prout olim Plato, & ab illo multi conceperunt) potuiſſe has ideas à ſingulis partibus repræſentandis delegare; non enim motus, aut ductus, aut aſpirationes humani corporis ejuſmodi ſunt, aut eò tendunt, ut tales ideas ad ſeminalia vaſa deferant. Nec potuere Platonici, vel alii, (quicunque ſic opinati ſunt) ita ſenſus ſuos exponere, ut cuivis ſatisfacerent, qui non verborum ſonis, at veris ſolummodò naturis, paſci velit: Nam quâ ratione ſubtiliſſimos iſtos effluviorum radios, quos putant è ſingulis partibus emanare ſolere, ſic ordinatos, atque ità directos exiſtiment, ut unà ad ſingulas partes effigiendas aptè concurrerent.

Certè quidem multò congruentius eſſe rectæ rationi videatur, ut credamus Deum, qui fecit Animalium ſemina, ſimul & ſuâ potentia perenníque benedictione mirabiles iſtas ideas è ſingulis partibus excitare; Maris atque Fœminæ coeuntium ſeminibus unitis imprimere; atque per illas in eo ſemine mirabilem quendam Typum ſpeciei producendæ conſignare; brevique poſteà fœtûs, ad illud exemplar fingendi, membra præcipua (quæ ſimul fieri neceſſariò videntur) admirando artificio delineare.

Ut non ſine conſentanea ratione ſupponam concipiamve, Prolis animam, ſubindè, poſtquàm firmiter adunata fuerint ſemina, cœlitùs infuſam fuiſſe in Uterum; & in illo ſemine confeſtim plaſticam ſuam potentiam, quâ datur, exerere.

XXIV. Non ignoro quidem quòd philoſophi generaliter Infuſionem rationalis animæ non antè ſecundum, vel tertium quartúmve menſem factam cenſeant, uſque dum partes ſaltem principales, ſpeciatìm verò cerebrum ſit perfectè formatum; ut

Anima non indigeret inſtrumentis ſuis, ſine quibus illa neque ſentiat, nec intelligat : Quippè quia putant, & inutile eſſe, ac à conſilio Divino prorſus alienum, ut hæc ſapiens & actuoſa eſſentia, quam Deus tanti æſtimat, humana ſcilicèt anima, vel in ipſum ſemen, vel in corpus incipientis Embryonis inderetur, in quo nihil ageret, at aliquandiù ſine motu, ſine ſenſu, torpida jaceret. Quamvis autem facilè concedendum ſit humanam animam per aliquod tempus ab infuſione ſua neque ſentire, neque vivere carnalem vitam ; ſuâ tamen eſſentiali vigere ; nec otioſam eſſe. Voluit enim Deus, ut noſtra, non minùs quàm brutalis Anima ſit artifex ſui corporis ; adeóque, prout veriſimillimum eſt, ordinavit ut ipſa ab initio ad opus ſuum obeundum præſens adfuerit: Nimirum ut tum ſemen ad Conceptionem diſponeret ; tum conceptum ſemen intimè fovendo digerendóque generationis opus inchoaret. Illa namque craſſiorem partem ſeminis intrà membranam (χόριον appellatam) quam ſuâ virtute facit concreſcere, brevi tempore colligit ; ipſámque ſuo fotu puriorem tenuiorémque reddit, ut aptior ad fœtum augendum fiat: Puriorem verò partem ſeminis, (quæ minima eſt, & propriè ſemen dicitur) interiùs includit in exigua quadam Veſicula, quæ *Bulla* vocatur, ut ex ea fœtus formari poſſit ; ſuâque porrò virtute generationem promoveret.

Obj. At inquies, iſta munia non ab anima rationali, ſed à Vegetanti ſolent peragi ; Cùm veriſſimum ſit quod affirmat inſignis ille philoſophus Ariſtoteles [n], *Hominem primò per animam vegetantem vivere ; poſteà per ſentientem : tandem verò formatis organis idoneis, infundi rationalem.*

[n] 2. Lib. de Gen. Anim. c. 3.

XXV. Certè hæc opinio, quamvis Ariſtotelica ſit, à ratione phyſica tantoperè videtur abhorrere, ut eam ſilentio præteriiſſem tanquam vaniſſimam, ſi non ipſe Moſes hanc quæſtionem ſubintellexiſſe, atque redarguiſſe conciperetur : Ille etenim rationalem animam cunctas iſtas inferiores facultates, quas ſentienti vegetantíque tribuunt, in ſe complecti docet : Nam certum eſt Moſem non altiorem facultatem conceſſiſſe Vegetabilibus, quàm *ut ſeminificarent ſemen & fructus ferrent* [o]. Nec niſi duas animarum ſpecies in natura rerum numerâſſe, vel agnoviſſe : *Unam* nempe, quam vocat נפש *Nephes*, quod nomen attribuit brutorum animis, idque aliquando animis hominum quoque tribuit.

[o] Gen. c. 1. v. 4. & 5.

Alteram,

Alteram, verò, quam nominat נשמת חיים *Niſchmath hhajim*, id eſt, *ſpiraculum vitarum*. Eamque ſolis hominibus aſcribit: Quam & Hebræi ſolent vocare נשמה *Neſhamah*; rationalem atque immortalem animam duntaxat intelligentes; *per quam jurare ſolent*. Prior illa Anima præter ſenſum, dat etiam vitam atque vegetationem; poſterior autem, præter id omne, quod ſenſus & hæc ſpirabilis vita præſupponit, affert etiam vitam cœleſtem & æternam.

Non ergo neceſſe eſt, aut conſentaneum, ut in Brutis duas; in Hominibus tres ineſſe animas arbitraremur, cùm ſuperior anima facultates inferiores eminenter in ſe contineat. Id quod ſatis apertè nobis indicavit ſubtilis ille philoſophus Moſes, ubi Brutis aſſignat unicam tantùm aniniam, ſcilicet *Nephes*; nec niſi unam generi humano tribuit; quam propter vitam, ſenſum, atque perſpirationem vocat etiam *Nephes*; ſed propter altiorem, ejus eſſentiam atque perennitatem nominat etiam *Niſhmath chajim* (vel *hhajim*) id eſt, *ſpiraculum vitarum*. Et claris verbis affirmat Deum, cùm rationalem hanc animam inſpirâſſet in hominem, ipſo facto reddidiſſe eum *Nephes hhaiah*, id eſt, *animam viventem*, Gen. 2. 7. Ut non dubitandum ſit, quin Moſes exiſtimaret *vim ſentientem atque viventem in* hominibus comprehenſam eſſe ab *anima rationali*; prout ea quæ *vegetans* atque *vivens facultas* eſt in brutis, à *ſenſibili* contineatur.

XXVI. Quocircà ſive reſpiciamus authoritatem Moſaicæ veritatis, ſive dictata rectæ rationis, oportet ut concipiamus hanc rationalem animam primam eſſe motricem ſeminis, Generationiſq; principium. Vix autem credibile eſſe quòd Plaſtica vis Animæ noſtræ ſit tanta, ut ſola valeret Embryonis membra principalia delineare; vel idealem iſtam ſpeciem mirandúmque typum, per quorum exemplaria proles fingi ſolet, excudere: Hæc etenim ſunt ipſius Dei μεγαλεῖα magnalia; ſuis ſolummodò digitis, ut loquuntur ſacræ literæ, præſtanda.

Verùm enimverò concedendam eſſe animæ vel ſpiritui naturali, tanquam Artifici, ſuam vim Plaſticam docent omnes pœnè philoſophi: Quænam verò ſit ea facultas, aut activa potentia, non ab ullo ſatis eſt hactenùs explicatum. Veriſimile eſt autem, prout in aliis operibus phyſicis, ità & in humana generatione, quæcunque fiunt ab activo principio, quæ vires motionis atque

materiæ vel mechanicæ leges exuperat, ab ipſo Authore naturæ tantùm fieri.

Quocircà vix adducar ut credam ab artificio Animæ vel primas ideas excitari, vel typos formari, vel præcipua membra ſpermatica delineari poſſe. Illa autem ſi fiant ab Omnipotenti manu; cætera omnia quæ deinceps ad formationem fœtûs, Generationíſque perfectionem requiſita fuerint, ab Anima, quamvis ea ſit iſtius operis inſcia, conſummari queant: Nam quæ Mechanicâ ratione fiunt, ab æthereo iſto calore, quem retinet, & quo utitur Anima, benè peragi poſſint.

XXVII. Membra verò fœtûs in utero delineari à Deo, Moſaica planè doctrina eſt (Deut. 32. 18.) & quam priùs aſſeruiſſet insignis ille phyſicus Jobus [p], *Annon* (inquit ille de ſervo verba faciens) *qui fecit me fecit illum? & diſpoſuit nos in ipſa vulva idem Deus?* Qui quidem Deus per os prophetæ proclamat ſe eſſe formantem noſtrum in Utero [q].

[p] Job.c.31. 15.

[q] Iſai.c.44. v. 2. & 24.

Virtus igitur eà *plaſtica*, quam tribuunt Animæ non aliud eſſe videtur, niſi vis & efficacitas iſtius ætherei caloris, (quem ritu quodam magnetico prolicit atque retinet Anima noſtra, quamdiu conceſſum eſt ei in hoc carneo domicilio degere) eóq; tanquam inſtrumento, vel ſervo ſuo utitur, in fovendis hiſce membris, iſtíſque poris aperiendis, ut ſuccos nutritios admittant. Hos autem poros dum tranſeunt ſucci, ſic ad partes apponuntur ſuâpte naturâ, ſic figurantur, ut non poſſint non exemplaris ſui ſpeciem atque formam per ipſam appoſitionem induere; ſimul & id omne quod ad perficiendam Prolem neceſſarium eſt, agere, & artificem ſuum monſtrare.

Hujuſmodi certè rationes & ὑποθέσεις (utpotè quæ Deum γωνεσιουργὸν, id eſt, *ortûs & originis* authorem prædicant, modúmque proferunt, quo anima quanquam ſit operis ſui neſcia, πλαστὴ agere dicatur; & phyſicos ejus motus omnes ritu mechanico fieri docent) aptiores ſunt arridere ſagacibus & acutis ſenſibus, & à modeſtis ingeniis amplexari, quàm quæ ſpermaticarum partium delineationem; formationémque typi ſeminalis, aut ad plaſticam neſcio quam virtutem naturalem, vel ad Animam vegetantem, immò vel ad rationalem deferre ſolent.

Con-

Concipiamus optimè, prout dictum eſt, Animam noſtram eſſe illam potentiam quæ primò movet ſemen; & quæ inchoat Generationem vi atque ope caloris iſtius ætherei, quem ad ſe potenter allicit, ac retinet: Cujus etiam viribus id omne quod in gignenda prole per naturam fiat, ipſa promovet atque perficit. Præcipuorum verò membrorum delineationem, typíque formationem, quæ vires animæ ſuperant, non niſi Deum authorem ſuum habere.

XXVIII. Hîc quæri ſolet, quænam ſit ea pars quæ prima omnium delineata fuerit. Et non ignoro quantùm in hac re variant inter ſe Anatomici philoſophi: Ità quidem ut pro ſingulis partibus de prioritate certent: Pro corde militat Ariſtoteles; pro Hepate Galenus; Avicenna pro Umbilico; Alcmæon & alii pro Capite: Mihi verò magis veriſimile eſt omnia principialia membra ſpermatica à Deo ſimul fieri. Quod non erit incredibile conſideranti vel Artificis omnipotentiam; vel neceſſitatem rei: Nam partes omnes ſic à ſe invicem dependent in operatione ſua, ut una pars abſque alia nihil agat; nihil abſque nervis cerebrum: nihil utique nondum factis inteſtinis ventriculus operari poteſt; nihil abſentibus Ureteribus, Renes; nec Cor ipſum, niſi per venas & arterias obeat munus ſuum: Quod nec attentabit quidem ſine ſanguine. Quocircà vetuſtiſſimi ſapientes arbitrabantur omnia membra præcipua ſimul formari: Unde & celeberrimus ille phyſicus Hippocrates [r] affirmat, *omnia membra ſimul genita eſſe non unum altero prius*, hujuſque rei probabilitatem (præter omnia argumenta per rationem ſuppeditata) creabant frequentes inſpectiones abortionum, quas ei præbebant publicæ meretrices; illæ etenim, quia ſolent abortum facere, quoties ſe concepiſſe in Utero crederent, frequentes occaſiones experimenti faciendi dederunt.

[r] Lib. de Diæt. & de loc. in nom. & alibi.

XXIX. Si quæ verò pars ante aliam genita ſit, veriſimillimum eſt Cor eam eſſe; quod dat motum partibus aliis; & *quod primò videatur vivere, atque ultimò mori.*

Obj. At inquies, eâ re Sanguinem priùs ortum credamus, quia Cor ipſum à ſanguine, motum ſuum recipit: prout circulationem ſanguinis obſervantibus optimè notum eſt.

Reſp. Rectè concipiamus in omni generatione purum illud ſemen, quod in ea veſicula, quæ Bulla dicitur, brevi poſt conceptionem,

tionem, continetur, juſſu Dei (vel perenni ſuâ Benedictione, quâ juſſit animantia creſcere) *partim* concreſcere, & à Deo formatum eſſe in prima lineamenta corporis; *partim* remanere liquidum. Quod liquidum manet, eſt materia ſanguinis, quæ non credatur acquirere perfectionem ſanguinis, uſque dum tincturam rubeam, fermentantémque naturam nacta fuerit; idque per digeſtionem duorum vel trium dierum: Quippè non in ullis animalibus ante diem quartum rubere cernitur; in humanis fœtibus haud ante diem ſeptimum: Adeò ut, licèt membra ſpermatica primo fortè vel ſecundo die poſt conceptionem ſeminis ſint delineata (nihil enim repugnat, quo minùs verùm ſemen (quod purum eſt, & non indiget, ulteriori præparatione) ſimul ac Bullâ concluditur, juſſu Dei concreſceret, & membra formaret) ſanguis attamen haud ante quartum vel ſeptimum diem perfici concipiatur, quo tempore ſolet rubeſcere, conceptóque fermento moveri. Cor ergo, prout ante ſanguinem exiſtere; ita & ſanguinem movere potiùs, quàm ab illo moveri credatur; maximè ſi fermentum illud ingenitum, quod eſt cauſa motûs iſtius, habeat.

XXX. Nihil autem magis veriſimile eſt quàm ſubſtantiæ ſive parenchymati Cordis inſitum eſſe à Deo (qui illud formavit) quoddam *fermentum ſalinæ*, puta, *naturæ*: Sic etiam Sanguini, ſimul ac fieret perfectus, inditum eſſe *fermentum* quoddam, per actionem caloris ætherei, *quod ſulphureum* eſt; & iſtius indolis exiſtit, ut cum fermento Cordis intimè ſe commiſceat, & unà ferveat, ſi non & flammam concipiat: prout ſulphureis quibuſdam liquoribus cum ſalinis admixtis evenire ſolet.

Quocircà ſimul atque ſanguineus iſte liquor, (quem ſuppono ſe inſinuâſſe in utrúmque ventriculum Cordis, non potuit enim non apertas ejus cavitates occupare) perfectionem ſanguinis adeptus ſit, acquirebat eam vim, quâ cum Cordis fermento ſimul efferveret & intumeſceret; ideóque non modò latera ventriculorum diſtenderet, at interiorem Cordis ſubſtantiam quoque dilataret: Quo facto Cordis fibræ ſubitò ſe contrahebant, ità ut ſanguinem dilatatum protinùs è Corde pellerent. Hoc detruſo, neceſſe eſt ut novus illicò ſanguis illaberetur; qui per fermentum Cordis, ut priùs, incaleſcens, dilatatur, & Cordis ventriculos, ſimul & internos ejus meatus diſtendit, adeóque in cauſa eſt, ut

ejus

ejus fibræ denuò ſe contraherent; & ſanguinem, prout anteà detruderent. Hâc ratione tum Cordis tum Sanguinis etiam motus exoritur; & conſtans atque perennis fit.

XXXI. Quamvis autem ſuppoſuimus Deum ſua potentia ſemen effeciſſe, atque præcipua membra ſpermatica delineâſſe; ſimul & in conſtitutione Cordis atque Sanguinis inſeminâſſe materiam, quæ per eundem calorem æthereum provehi poſſit in naturam fermenti, varii quidem, ſed congruentis & commiſcibilis: Verùm tamen optimè concipiamus Animam noſtram tum fermentationis, tum motionis iſtius cauſam efficientem eſſe, propterèà quòd illa calorem dictum (quo utitur inſtrumento) conſtanter allicit, retinet, & conſervat.

Ut non immeritò Sanguinis ille motus dicatur à Cordis fermento potiùs, atque priùs, quàm à ſuo fermento cieri; maximè ſi (quod veriſimillimum eſt) Cor, & primò vivat, & ſit Sedes Animæ, quæ per calorem ſuum cunctas animales fermentationes excitat.

Hæc autem ab Anima per alienum aç adventitium calorem, ſcilicèt æthereum, fieri credamus, quia licet anima humana (cœleſtis ea ſcintilla) concipiatur eſſe ignea eſſentia, rectiùs attamen lux dicenda eſt potiùs, quàm ignis. Et quia, res ſpiritualis eſt & ſupra cœleſtis nequit in ea quæ corporea ſunt atque materialia, naturaliter agere niſi per æthereum calorem, quem conducit: Ejus enim partem ſubtiliſſimam tanquam medium quoddam, & (ſi quid aliud materiale) conſentaneum, magneticè trahit Anima; &, quamdiu manet in hoc carneo tabernaculo, retinet; atque ſubſervientem ſemper habet.

XXXII. Credibile eſt ergò miniſtrum hunc in ea parte maximè vegetum atque actuoſum eſſe, in qua præcipuè reſidet Anima. Partem hanc *Cor* eſſe recta ratio ſuadet; & autoritas ſacra palàm pronuntiat. Nam ſapientiſſimus ille Vir, atque philoſophus inſignis Solomon affirmat Cor eſſe *intelligentiæ & ſapientiæ ſedem:* atque ideò ratiocinationem & diſquiſitionem, nec non inveſtigationem veritatis attribuit Cordi [f] ubi ſimplex & incautus juvenis dicitur חסר לב id eſt, *carens corde.* Et quicquid ferè dici poteſt de hominis anima, pronuntiatur à ſcriptoribus ſacris de Corde: propterèà quià nobile illud viſcus primum atque præcipuum animæ noſtræ palatium cenſerent: Et non defuerunt

[f] Eccleſiaſ. 1. 13. & 2. 3 & 7. 25. & Prov. 7. 7.

apud

apud omnes gentes, qui motus animi cordis affectiones reputârunt. Unde illud Ciceronis [t], *Multis Cor ipſum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, & concordes dicuntur.* Et ea quæ placent menti noſtræ, dicuntur nobis cordi eſſe.

[t] Tuſc. Q.

Et obſervationes Anatomicæ, nec non animalis ſtructuræ conſideratio rem certiorem reddunt; quibus indicatur animam primitùs ineſſe cordi; atque in illo diutiùs exiſtere, quàm in ulla alia parte; cùm ſatis conſtet *cor eſſe primum vivens, atque ultimò moriens.*

XXXIII. *Obj.* Inquiet aliquis, Non ambigendum eſſe quin eo loci reſideat anima noſtra, quo ſupremas & inſigniſſimas ſuas vires ac facultates exerit; is autem abſque omni dubitatione *caput* eſt, ex quo ratio & intelligentia miſſilia ſua per Os diffundunt; & in quo ſenſus omnes ſe produnt. Nec aliam doctrinam prædicâſſe videatur excelſus ille philoſophus Moſes, ubi affirmat Deum inſpirâſſe animam in faciem vel nares Adami; adeóque illam in Capite potiùs, quàm in Corde ſedendam poſuiſſe.

Reſp. Neceſſe eſt ut animæ vis & autoritas ſit per univerſum diffuſa; & ut in omni parte corporis ſui præſens ageret, ſed ut in ea præſertim reſidere dicatur, in qua virtus aut poteſtas ejus eminentiùs apparet, haud opus eſt. Convenit enim animæ cum humano corpore; ut Regi cum regno ſuo; qui quamvis omnia per vicarios atque miniſtros ſuos regat, omnibus adſit, omnia gerat & conſtituat; intereà tamen regiam ſuam longè à præcipuis atque multis ſuæ Reipublicæ negotiis remotam habeat. Sic Rex magnæ Britanniæ, quanquam in palatio Caſtri ſui Windeſoriani reſideat, utcunque tamen omnia acta Intelligentiæ; omnia tablina Rationum, Recordationúmque, nec non Orandi proceſſus atque judiciorum Curias in Civitate Capitali, nempe Londino, per autoritatem ſuam ſemper præſentem teneat.

Nec me talia concipienti moleſtiam creat Moſes, ubi dixit Deum inſufflâſſe *ſpiraculum vitæ* in Adami faciem, ac ſi eam potiùs in capite reſidere conciperet. Nam tralatitia eſt ea dictio, non aliud nobis indigitans, quàm quòd anima Adami, quam Deus creârat, & indiderat argillaceæ ſtatuæ ſeſe manifeſtò per os & nares ex halitu ſuo monſtrabat; & quòd in ejus facie micabat animæ lux, atque vis ignea ſe prodebat.

Animæ

Animæ verò præſentia in univerſo corpore ſatis manifeſta eſt per eam lucem, quæ ex vivis hominibus indeſinenter exilit; eorúmque ſuperficies undique nitentes reddit: Quod maximè tribuendum eſt inſigni copiæ ſubtilis iſtius atque luminoſi caloris ætherei, quem retinet anima; & quem in ipſo ſemine, foris adveniens, etiam reperit.

XXXIV. Nam ut ſemen idoneum fieret receptaculum animæ, quæ valdè ſubtilis eſt atque cœleſtis ſpiritus, placuit ſapientiſſimo ϑυσιάρχῳ, ut in maris atque fœminæ ſeminibus ingeneraretur mira quædam ſeſe parandi pro cœleſti hac advena recipienda, diſponendáque ratio: Nempè ut, dum coeunt & uniuntur eorum ſemina, protinùs accendantur, atque flammam quandam valdè tenuem concipiant (eâdem pœnè ratione, quâ Spiritus Nitri & Terebinthi, ritè atque recenter apparatus, ſi commiſceantur, ſe accendunt,) [u] per quam accenſionem non modò penitiſſimè conjunguntur utriúſque verum ſemen, & unum fiat; ſed & purius atque multò ſubtilius evadit; adeóque ad animam, cœleſtem illam flammulam, recipiendam magis aptum & idoneum reddatur.

[u] vid. cap. 10. Num. XIX. & XX.

XXXV. Mihi quidem veriſimile videtur, (ſicut anteà dictum eſt) ut in omni maris atque fœminæ congreſſu prolifico ſic accendantur, ſic adunentur eorum ſemina: Hujuſque genitalis accenſionis opinionem non, tanquam novitii cujuſdam commenti puſtulam, repudiandam, verùm ut vetuſtiſſimorum ſapientum doctrinam ſuſcipiendam eſſe: prout dictum eſt [x].

[x] Vide hujus Capitis Num. 33. XIX. & XX.

XXXVI. Porrò concipiendum per hanc accenſionem non tantùm ſemen utriúſque penitiſſimè conjungi, ſed & iſtas ideas, quas ſingulæ partes, dum coeunt mas & fœmina, ad utriuſque ſemen (virtute illius Benedictionis Divinæ, nempè *creſcite & multiplicamini*) demittunt, uniri ſolere; & in admirandum iſtum typum ſeminalem firmiter imprimi; ſic ut aliquid utriúſque, maris ſcilicet & fœminæ, in prole referant, plus aut minùs pro virtute characterum.

Hoc ergo purum atque ſubtile ſemen, quod eſt igneum atque lucidum, miróque ſuo typo ſignatum, Prolis animam cœlitùs advenientem decentèr admodùm (phyſicè loquendo) recipit; eique tanquam Artifici animali, non modò principalem materiam, (nempè ſpermaticam) ſed & Typum quendam, vel exemplar,

pro formando corpore organico ſuppeditat: ſimul & affectiones, indoles atque proprietates animæ paternæ, quas pro ſubtili ſua puritate ſpecialiter imbibere ſolet, ad filium derivat. Quod cùm fieret, ſatis actum eſt, ut homines (quod jam repetere lectoris venia liceat) verè dicantur ſpeciem ſuam multiplicare, ſibique ſimiles gignere: Quanquam neque Parentes infundant animam Prolis in Uterum; neque Mater aliquid ad *eſſe animale* neceſſarium conferat in utero ſuo. Hæc velim ut adverterent Athei vel malè ſani philoſophi; qui ſolent cœlitùs inductam animam, & prolem ſine parente genitam deridere atque ludere.

XXXVII. Nec dubitandum eſt, quin Deus per illius mandati benedictionem, nempè *creſcite & multiplicate vos*, poteſtatem dabat Adamo atque Evæ, ut generarent ſibi ſimiles. Non quòd Adamus impertiret aliquid animæ ſuæ (nam res indiviſibiles ſunt humanæ animæ) ad ſimilem ſibi ſpeciem progignendam; nec quaſi vis aliqua fuerit in ejus ſemine producendi novam animam de potentia materiæ ſuæ (quia materia, quatenùs eſt omninò paſſiva, nihil habet potentiæ ad aliquid efficiendum; & quatenùs eſt caduca, non niſi rem mortalem redderet) ſed quòd Adami atque Evæ coitu, ac utrorúmque ſeminum commixtione conflatum fuerit *unicum ſemen* è duabus illis igneis Eſſentiis unitis accenſum; mirandóque modo per Dei benedictionem, Caini typo ſignatum.

Hoc inquam ſemen Caini animam cœlitûs illatam recipiebat; eique non ſolùm præbuit materiam, atque velut exemplar quoddam, pro corpore Organico formando; ſed & unà facultates atque diſpoſitiones quaſdam paternæ maternæque animæ ad Cainum transferebat. Et quamvis anima cujuſque ſit Dei ſolius opus & μεγαλεῖον, proles attamen genita rectiſſimè dicatur à Coeuntibus gigni; & ſpeciei multiplicatio per Parentes fieri: propterea quòd illi per ſemen ſuum (proùt dictum eſt) exhibeant aptam ac congruentem materiam pro anima recipienda, ſimul & ex hac materia (pro ideali ſua diſpoſitione, ac quaſi typo) Spiritus infuſus à Deo (vel anima) prolem generat patri matrive ſimilem. Quod æquè de poſteris omnibus affirmari debet.

XXXVIII. Et hoc ſenſu Moſes ait, *Sexaginta ſex animas* (i. e. *homines*) *egreſſas fuiſſe de femore* (nimirum de ſemine) *Jacobi.* Conſtat enim Moſem hîc, prout Hebræi frequentèr ſolent, per

animas

animas intellexiſſe *homines* vel *perſonas*. Eâdemque figurâ ſæpiùs uti ſolere multas Gentes, immò Latinas & Græcas. Unde illud Polybii, τὸ γὰρ φάσκειν ἔνια τῶν σωμάτων ἐν φωτὶ θέμενα μὴ ποιεῖν σκιὰν, ἀπηλγηκυίας ἐστὶ ψυχῆς, id eſt, *dicere quòd quædam exiſtant corpora, quæ in lumine poſita, non faciant umbram, eſt deplorati hominis.* Totius utique denominationi ſufficit, ut Filii pars corporea tantùm nata ſit de ſemine Parentum; maximè cùm ſeminis illius typus idealis, ut dictum eſt, paternæ maternæve animæ diſpoſitiones atque proprietates in animam Prolis imprimat; atque illa anima, quanquam veniat afforis, (è cœlo quidem) ſemper exordiatur generationem Prolis, eamque promoveat atque perficiat.

XXXIX. Non ignoro quidem quòd multi non dubitantèr aſſerant humanam animam quoque propagari ſolere; nempè Prolis animam accendi à Parentum animis unitis; non autem de potentia materiæ ſeminalis exſuſcitari; ſed in quaque generatione per miram Dei potentiam atque benedictionem de eſſentia cœleſtis illius animæ, quæ primitùs inſpirata fuit in Adamum, multiplicari atque propagari.

Nec me latet grandem illam Quæſtionem de traductione Animarum (quæ diu multúmque fuit à doctis viris, tam philoſophis quam theologis agitata) nondum ità ſolutam atque diſcuſſam fuiſſe, ut Doctos adhuc allatæ rationes haud premant. Adeò ut ipſe Bellarminus (qui nimis aptus fuit criminari ſententias aliorum Doctorum; atque illis hæreſeos notam inurere) quamvis hanc Opinionem falſam eſſe putabat, non tamen, ut hæreticam damnaret: Et ſanctus Auguſtinus exiſtimabat eam lucem, quam in hæc re præbent ſacræ literæ, tam obſcuram eſſe, ut anxius atque ſuſpenſus de Origine rationalis animæ ſemper ambigeret, uſque ad mortem ſuam.

XL. Verùm autem vix addubitare poſſum, quin veriſimilis ea ratio generationis humanæ, quam ſupra [y] probis animis exhibui dijudicandam, ſatisfeciſſet Bellarmino, ſi veniſſet illi in mentem; ſimul & Auguſtinum pendere animi non ſiviſſet: Utpotè quæ rem propagandæ ſpeciei ſic expedivit, & explicuit, ut animæ noſtræ penitùs immunes ob omni labe materiæ, ſuâ fruantur immortalitate: Et ut Parentes verè dicantur ſeſe multiplicare, ſibique ſimiles efficere: Quanquam (prout anteà dictum eſt) neque Pater infundat animam filii in uterum maternum, neque mater ali-

[y] Num. XXIII.

quid (excepto ſemine) ad *eſſe animale neceſſarium* contribuat in Utero ſuo: In quo, præter halitum quendam circà volantem qui foveat Embryonem, nihil omninò per tres primos menſes (in quibus partes eſſentiales Animanti generantur) augeſcenti fœtui ſuppeditat.

Ita ut ſpeciei multiplicandæ ratio pendeat *partim* à Parentum ſemine, quod *è duobus*, mirâ Dei potentiâ, ſubitò fit *Unum*; ſed novo artificio (& quodammodò variatâ proplaſtice) formatum; *partim* à ſpiritu, qui *venit afforis*. Semen illud præbet materiam præcipuam (nempè ſpermaticam) pro corpore ſtruendo; ſimul & proplaſma, ſive quendam quaſi modulum rei generandæ: Spiritus autem eſt inſignis Artifex immiſſus à Deo, qui Generationis opus, vi cœleſtis & ætherei caloris, obeat ſapientiſſimè; quamvis interim neſciat ipſe, quid agit.

XLI. Licèt enim Deus animam humanam fecerit immortalem, ſcientem atque ſapientem naturam, (undè ipſam Hebræi vocant מכשלת *maſcheleth*, id eſt, *animam ſapientiæ*) illam tamen, ut primùm vel terræ vel materiæ carneæ immerſa fuerit, neque ſapere, neque ratiotinari, neque vivere vitam animalem potuiſſe cenſendum eſt, donec inſtrumenta, facultatibus ſuis exerendis idonea, ſibi fabricâſſet, eſſentiali ſuâ vitâ nihilominùs haud deſtituta.

XLII. Deum verò duplicem humanæ animæ vitam largiiſſe manifeſtò docet illuſtris ille philoſophus Moſes, ubi tradit Creatorem inſpirâſſe in hominis faciem נשמת חיים *niſmath chajim*, id eſt, *ſpiraculum vitarum*, ut plurali numero ſignificaret talem ei infuſam eſſe animam, quæ non ſolùm vitâ hâc ſpirabili, quæ eſt caduca, frueretur, ſed & futuri ſeculi, quod eſt æternum, capax ſit.

Quoad hanc ſpirabilem vitam cum cæteris animantibus convenit humanæ animæ: Undè etiam à Moſe communitèr eâdem appellatione, quâ brutorum anima, nuncupari ſolet. Ille namque vocabulum נפש *Nephes* tum brutorum, tum pariter hominum animis attribuit; quia præſentiam animæ tam his, quam illis indicat inſpiratio. Sed quoad immortalem atque cœleſtem vitam, ſoli animæ humanæ vocem נשמה *Neſhamah* dedit; idque ut ipſam de cœlo veniſſe, cœleſtis indolis eſſe, ſublimibuſque ſuis dotibus omnem viſibilis hujuſce Mundi naturam longè ſuperare;

Deumque

Deumque per illam (quod maximum eſt humanæ gloriæ monumentum) Creationi ſuæ ſummam quaſi manum impoſuiſſe doceret.

XLIII. Quin & in hominis gratiam licèt addere, quòd ſicut ejus animus illuminatus eſt excelſis atque divinis quibuſdam qualitatibus, quæ Dei perfectiones aliquo modo velut adumbrare videantur; ita & ejus corpus indutum eſt multis eximiis facultatibus, quæ generales hujuſce Mundi vires ſimulant; atque mirificè prædicant potentiam, bonitatem atque indulgentiam Divini figuli; cui placuit domicilium tam ſplendidum, tam magnificum, tantiſque decoris & elegantiæ ſpeciebus inſignitum, manibus ſuis è luto conſtruere & adornare in uſum animæ.

XLVI. Nec hoc de homine tantùm per ſimilitudinis ſpeciem, vel per metaphoræ tranſlationem dici poteſt; ſed rei veritate certum eſt, & exploratum: Quippe qui res omnes acutioribus oculis aſpiciunt; & claras ac expreſſas iſtas notitias adepti ſunt, per quas intima corporis humani penetralia ſcrutari ſolent, optimè norunt in homine reverà contineri generales hujuſce mundi ſpecies; *naturam* ſcilicet *animalem*, *vegetabilem*, *mineralem* atque *metallicam*; nec non & *cœleſtem*, puta Solarem Lunarémque virtutem perbenè concentratam; quæ per certa experimenta, Sole, quod aiunt, clariora, demonſtrari poſſunt.

Illam verò naturam mineralem, quæ penitiùs inſita eſt in corpore humano, & quæ in illo quaſi per venas dilatere ſolet, haud obſcurè ſentiendo colligamus à lapidibus ingeneràtis in Carne, Veſica, Renibus, Hepate, Spermaticis, ac aliis pleriſque partibus humani corporis; ut & à cretaceis iſtis aggeribus, quæ in juncturis noſtris nimis frequentèr accumulari ſolent.

Immò quidem facilè ac ſcitè concludamus è remediis infirmitatum morborúmque noſtrorum, non tantùm naturam animalem atque mineralem, ſed & metallicam reverà eidem ineſſe: Rei certitudinem per rationes aliquot haud obſcuras, aut inconcinnas exhibui ante plures annos in Epiſtola mea ad Mundanum [z]: Præterquam quòd id ſciri poteſt ut diximus, è remedio morborum per metalla, quæ certè magnæ ſunt medicinæ, ſi modo benè præparata fuerint; quales ſe præſtant pravos humores emendando; acidos & acres edulcorando; debilémque naturam firmando.

[z] Oxon. Edit. 1686.

Neceſſe

Neceſſe eſt interim, ut ſubtilis ea vis atque potentia metallica penitiſſimè permearet ea corpora quæ corrigit, aut refocillat; quod tamen fieri non potuit niſi prorsùs in eadem natura convenirent; & rei gradu modóque tantùm differrent. Ut non immeritò credamus eam ipſam naturam, quæ in metallis eſt congregata & conferta, in animalibus eſſe diſperſam, ſubtiliſſiméque diffuſam.

Quod optimè compertum eſt à multis Philoſophis, qui benè ſciunt quibus viis ac rationibus è viſceribus animalium prolici poſſint diverſa metalla : ità etiam ut nihil addant ad hoc efficiendum; nec ullas artes, aut mechanicas rationes adhibeant, niſi quæ diſperſam mineram colligant; aut quod dilatatum eſt, in anguſtum cogant; ſic ut in crucibulo fundi poſſint.

Sciunt etiam, prout è carnibus, & excrementis humanis extrahantur naturæ metallicæ ſiccæ fixæque; ſic etiam ex humano ſanguine prolici poſſe Argentum vivum currens, idem omninò cum vulgari.

Ipſe igitur, ubi intellexiſſem divites ac præcellentes quaſdam mineras ineſſe fundo noſtro, ſcilicet animali; quanquam ſemper abhorruerim à labore fodinarum metallicarum; non potui tamen non ita capi mirabilitate rei, ut nullos non labores in hiſce Venis effodiendis exantlarem; & veritatem, quæ ſæpè repetitis experimentis liquet, evidenter probarem.

XLV. Et ne quis exiſtimet hujuſmodi metalla, vel aliquo fortè caſu, aut vitio morbove corporibus humanis ingeſta fuiſſe; ſciat hæc ab expertis ſolere conſtanter, & in omnibus inveniri; non minùs in infantibus & pueris, quàm in Ephebis ac adultis, ſicut etiam in ſenibus : Immò certè quò magis robuſti fuerint homines, & actuoſi, eò ſemper majorem quantitatem metalli præbent eorum corpora. Ut parùm abſit quin affirmarem frequens illud apud Anglos diverbium, *he is a man of metal* (quod de viro ſtrenuo vegetoque proferri ſolet) primitùs ex hujuſmodi phyſicis obſervationibus ortum fuiſſe.

XLVI. Lubet & hoc addere, quoſdam gnaros & expertos viros per experimenta nonnulla (quod affirmant) haud oſcitanter facta, adductos fuiſſe, ut crederent omnia quæ de mineris humanis effodiuntur metalla, pro varietate conſtitutionis hominum undè proveniunt, diverſa exiſtere, ità ut homines indolis atque

naturæ

naturæ ſolaris metallum in ſe gignant magis aureum quàm alii; qui verò fuerint temperiei venereæ, metallum ferant in ſe congruens cum Cupro; vel, ut Chemici loquuntur, cum Venere: frequentiſſimè tamen hujuſmodi metalla videntur ad Plumbum vel ad Antimonii regulum (ſicuti loquuntur) aſſimulanda.

XLVII. Non dubito quin me, jam nova hæc atque inaudita metallorum genera tradentem (perindè ac peregrinatorem de longiſſimè remotis terris adventantem; atque res miras à ſe viſas enarrantem ſolet) vel difficilis apud omnes pœnè fides, aut iniquior cenſura maneat: Nec melius eſt expectandum: Quia non minùs admirandum eſt, quod narro; & ab hominum notitia, (paucis exceptis) non magis remota eſt ulla terræ diſtantia, quàm viſcerum humanorum regio; quorum intima tam difficilis ſunt acceſſûs, ut citiùs ad Garamantas & Indos, quàm ad penitiores corporis humani fines atque receſſus appellent; etiamſi remis, ut aiunt, atque velis eò contendant; ni claram Cynoſuram habeant, aut Helicen, ad quam curſus ſuos dirigant: Quocirca condonandi ſunt illi, qui de microcoſmicis hiſce mineris verba facientem leviter habeant, aut ſuſque déque ferant, donec rei veritas aperta fieret; & ante eorum oculos veluti ſtaret atque liqueret.

XLVIII. Liceat autem mihi remotiſſima quædam parvi noſtri mundi loca pervagato, mirabilia, quæ paſſim vidi, commemorare; quæque ab aliis expertis & probis viris audivi, pariter enuntiare: Nam geſtit animus hodiè decantare vicarium iſtum Solem, quem Deus in microcoſmo noſtro ad omnes illius regiones illuminandas, calefaciendas, fovendas ditandáſque poſuit.

Ineſt enim in homine lucida atque ignea quædam natura; cui cum Sole cœleſti tanta amicitia & affinitas intercedit, ut quoties ipſis liber congreſſus fiat, in mutuos amplexus ruant, tantâ quaſi libidinis efferveſcentia, ut ambientem protinùs aerem inflamment: id eſt, ut rem clariùs dicam, per Artis operam atque ſubtilitatem Sophiæ paratur ex humano corpore miranda certè Tinctura, adinſtar Solis fulgida, cujus ſi vitrum cryſtallinum plenum fuerit, ac ita locaretur, ut illud Solis radii, vel trans feneſtram pertingant, extemplò coeunt & commiſcentur utriuſque radii, tanto ardore tamque exaggeratâ multitudine (nam natura naturam amat, attrahit, & amplectitur) ut citò flammam concipiant; atque

que brevi tempore, ni ſeparentur, incendium facient; prout ſuo magno periculo ſe comperiiſſe affirmat egregius ille phyſicus Edvardus Generoſus Anglus [a].

[a] In tractat. dicto *Epitome Theſauri Sanitatis.*

XLIX. Hæc, inquam, Tinctura ſimul ac à denſis iſtis nebulis, carneis ſcilicèt, quibus obſcuratur, artis induſtria fuerit eruta, radiis undequáque ſparſis, ignem atque lucem ſuam prodit: Varias certè naturas coquit, & apparat humani corporis œconomia, quæ puram atque lucidam quandam rem ſiccâ ſpecie ſapientibus exhibeant; quam non immeritò *Phoſphorum* dicunt.

At ea quæ jam prædicatur eſſentia, multò ſubtiliùs elaborari debet, & in liquidam atque puriſſimam naturam redigi, ut *Pyropus* fiat; quæ ſi vitro in formam globi ſufflato indatur, ità fulget, ut jubare ſuo totam cameram, quamvis ampliſſimam, in qua ſuſpenditur, illicò luculentam reddat, tenebras & noctem fugans.

L. Nec adhuc mihi pedem ſiſtere liceat, ultrà procedendum eſt in Solis noſtri Microcoſmici laudibus enarrandis: quemadmodùm enim Sol iſte cœleſtis in terra pura atque ſulphurea producit, immò conſtituit aurum, (quod nihil aliud eſt quàm quod particulæ ſolares in idonea terra concentratæ, compactæque conficiunt) ita & inteſtinus noſter Sol (opem ſuam ferente Sole cœleſti) naturam auream, ne dicam aurum, in viſceribus noſtris ingenerat.

LI. Hanc ut amplectar doctrinam ferè cogunt, non ea duntaxat argumenta quæ frequens uſus & experientia multorum philoſophorum mihi ſuppeditavit; ſed quæ φιλοσοφώτατος ille interpres naturæ Moſes item ſuggeſſiſſe videtur; quando memorat Deum *poſuiſſe luminaria in expanſo Cœli* (Gen.c.1.v.17.) להאיר על הארץ *lehaor al haarets*, id eſt, ad immittendum *Or* vel *Our* ſuper terram: Nam celebre illud vocabulum אור *Or* vel *Our* non ſolùm *lumen* & *ignem*, ſed & *aurum*, ſimul & *pluviam* aliquandò (propterea quòd *pluvia* tincturum auream portat in ventre ſuo) prout in libro Jobi, ſignificat.

Moſes idcircò, qui in reconditiori philoſophia peritiſſimus fuit [b], & ſummæ brevitati ſemper ſtuduit, per unicum illud vocabulum prudentèr electum notavit omnes omninò Solis & Lunæ Stellarúmque virtutes & beneficia, quæ Deus ab illis in hunc terrarum orbem conferri voluit.

[b] Vid. Cap. de Moſe.

Ut

Ut ſi liceret mihi (maximi Prophetæ ſimul & phyſici cauſam agenti) nunc ſaltem inter philoſophos, ſi non & inter prophetas hîc inveneri, meumque modeſtiùs ad alios aliorum calculos adjicere, verba iſta Moſaica לְהָאִיר עַל הָאָרֶץ [c] *lehaor al haarets* ſic interpretanda cenſerem, ut indicarent magna illa luminaria, quarto die facta fuiſſe, ut ad terram deferrent lucem, ignem, aurum, atque omne id, quodcunque ſit, quod per *aurum* à naturalis ſapientiæ magiſtris hîc intelligi poſſit. [c] Gen.c.1 com.17.

Nam benè ſciunt experti phyſici Solarem atque auream hanc naturam per univerſum diffundi; rebus omnibus ineſſe; cunctiſque vires atque vitam tribuere: Ideóque valdè probabile eſt Moſem (qui ſecreta naturæ perfectiſſimè calluit) id in conſiliis habuiſſe, ut non ſicco pede (quod aiunt) præteriret inſigne illud μεγαλεῖον, quod ſummæ rerum omnium utilitati atque ſolatio creatum fuit: at ut illuſtri, & (quo maximè potuit ob breviloquentiam ſuam) oſtentativo nomine, non modò notiſſima Luminarium dona & beneficia; ſed & ſecretiora, piis, probis, & ſapientibus indigitaret; tum naturalis ſcientiæ promovendæ, tum Divinæ gloriæ celebrandæ cauſâ. Ut meritò putem verba jam dicta non modò commodè poſſe, ſed & ad illius mentem ſic reddi oportere.

LII. Certum eſt in intimis uniuſcujuſcunque rei partibus abſcondi tincturam quandam Solarem, quæ à veræ phyſicæ magiſtris haud inſcitè dicitur *Aurum iſtius rei*: Et hanc puram atque efficacem eſſentiam in his parciùs, in aliis copioſiùs ineſſe: At in humano corpore tam divites eſſe ejuſdem venas; támque largas; eámque per artem ſic amplificari poſſe, ut non ſolùm multi philoſophi, ſed & non pauci quoque theologi, doctiſſimi probiſſimíque viri, ſeriò & ſcientèr affirmaverint aurum ipſum, ac auрificam tincturam ex ea concinnari poſſe.

Et ſi dicerem, quòd Solaris hæc eſſentia ſubtilior uberiorque fuerit in venis humani corporis, quàm in ullis aliis, aut animalis aut vegetabilis, mineralíſve regni fodinis exiſtant; haud deerunt conquiſitarum rationum momenta, quæ id probarent, quarum multa pluribus expoſui in Scriptis meis ad Mundanum [d]. [d] Edit.Oxon. An. Dom. 1686.

LIII. Nunc igitur, (ut Orationis hujuſce filum quaſi glomorarem) Notandum eſt quòd antiquiſſimi ſapientes, ubi iſtiuſmodi, quales attuli, rationes, ſeriò conſideâſſent, hominem to-

tius Mundi Epitomen eſſe pronuntiabant ; & exinde ſumptis argumentis Hæbræi recentiores ipſum vocabant *olam hakaton.* Et Græci Μικρόκοσμον : id eſt, *parvum mundum :* magni quodammodò parem. Et per hanc appellationem ſatis ad humanam gloriam dignitatémque prædicandam ſe dixiſſe putabant.

LIV. At divinus ille philoſophus Moſes, qui dotes & originem mentis humanæ, (præſertim atque ante omnia) reſpiciebat, de homine longè magnificientiùs ſublimiúſque ſentiit & prædicavit, quando illum ab ipſo Deo Creatore, & ad illius ſimilitudinem fuiſſe factum, pronunciabat. Non quòd hominem Dei reverà ſimilem eſſe crederet ; ſed quòd humanis animis intelligentiam lucidam, puram ſanctimoniam, cœleſtémque ſapientiam benigníſſimè contulit Deus ; ab homine qui tanta beneficia recolit, non ſine gratâ atque ſubmiſſâ venerandâque præfatione compellandus.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

De Creatione Materiæ.

Uanquam Veteres Phyſici, pœnè omnes antè Ariſtotelem [a], mundum eſſe genitum dicerent; non pauci tamen eorum, qui per ſecula aliquot poſt Moſaica tempora (vel inter alias Gentes, vel inter Græcos) ob philoſophiam claruerunt, ejus materiam æternam eſſe affirmabant. Et ſatis argumenti ad tutandam ſuam opinionem ſe tuliſſe credebant, cùm nudè promoviſſent effatum illud inſigne, *De nihilo, nihil unquam gigni poſſe:* Eo ipſo axiomate nequiter abutentes ad æternitatem materiæ probandam, quod ſapientes ætatum longè præcedentium ad philoſophiam corpuſcularem ſtabiliendam priùs induxiſſent.

[a] Lib. de Cœlo, c. 2.

Primi námque philoſophi duo tantùm generationum omnium eſſe principia concipiebant *Activam* nempè *potentiam*, (quam ſubſtantiam eſſe ſpiritualem & incorpoream) & *materiam paſſivam:* (quam *molem extenſam*, vel *corpus* dicebant) Et illi nihil in natura corporis apprehendebant præter materiam, per magnitudinem, figuram, ſitum atque motum quietemve variis hinc indè

modis diſpoſitam. Concipiebant igitur in nulla generatione phyſicâ novam unquam ſubſtantiam produci, ſed veterem duntaxat aliis rationibus immutari miſceríque; adeóque novam rei ſpeciem dari, quatenùs alia mixtio converſióque materiæ novis eam formis & qualitatibus induit.

Illas autem formas ac qualitates minimè credebant exiſtere in ea re, cujus eſſe dicuntur; ſed noſtras eſſe tantùm ſenſationes atque phantaſmata, quibus eſſe videntur. Nam ſi verè eſſent, nova quotidiè de nihilo per generationes ordinarias orientur entia. Quod quidem opinari perabſurdum, & ab omni ratione prorsùs alienum cenſebant. Hoc ideò ſolertèr inculcabant per enuntiatum ſupradictum, videlicèt *Nihil unquam de nihilo gigni poſſe*, nimirum vi naturæ; nam de naturæ productionibus id intellexerunt antiquiſſimi phyſici; & ad qualitates, atque formas ſubſtantiales amovendas induxerunt.

Quidam verò philoſophi ſeculorum ſequiorum diſtorſerunt iſtius enuntiati vim ad æternitatem materiæ ſtabiliendam, concipientes id abſolutè ac ſemper neceſſarium fuiſſe, ut, quicquid oritur, ex alia re genitum ſit, *vel* quia nihil, niſi quod materiale & corporeum eſt, exſtitiſſe unquam putabant; quod quia ſeipſum facere non potuit, æternum eſſe credebant: *vel*, ſi Potentiam immaterialem, ſive Deum non negarent, ejus attamen Omnipotentiam non conſiderabant. Cujuſmodi namque ſibi Deum fingant, quem non omnipotentem eſſe concipient; aut qualem in animis ſuis habeant omnipotentiam, à quà materiam de nihilo fieri non poſſe exiſtiment. Sin à Deo creari potuiſſe judicent, quam ob cauſam non factam cenſeant, cùm magna pars operis iſtius, quod ſibi Deus ad Mundum conſtruendum reſervabat, (nam cœlorum atque terræ conſtructionem concinnationémque Naturæ demandabat) fuit materiæ creatio? quove conſilio putent materiam diu exſtitiſſe ante Mundum conditum, cùm genitâ materiâ nihil niſi motus ad cœlorum atque terræ fabricationem deeſſet? prout tum in præcedentibus, tum in ſequentibus capitibus oſtenſum eſt.

Cavebat interim ſapientiſſimus Deus, ne materiam ſuâ ſolâ vi quidquam feciſſe rectè concipiamus, quoniam ille multis rebus oriendis talem eſſe rationem ab initio voluit, quæ motui ſuo tribui nullo modo potuit. Et nullum vel in mundo fabricando,

vel

vel gerendo nobis argumentum dedit, quo naturam corpoream, vel infinitam esse, vel æternam credamus.

Inest, haud infiteor, infinitas immensitasque Dei in Universi materia, sed in ea non includitur; omnem pervadit; sed est extrà omnem: quam tamen intimè ciet, & movet, secùs immobilem, & ad omnia prorsùs impotentem.

Aliter quidem vel opinari vel loqui de mundi materia vecordis erit ac insanientis indicium: Et quod nullus ex Arphaxadis aut Javanis filiis priùs in opinionem trahere potuissent, quàm neglectâ traditione patrum; vel exutâ penitùs omni religione; derelictâque verâ physicâ, mentes suas nulli non errori vitioque patulas exposuissent.

Antiquior autem philosophia, (prout dictum est) & quæ cum rectâ ratione congruentior existit, (quam πρωτοπλάστης Adamus, atque Noachus, ut verisimile est, filios suos edocuit; quamque Moses ad Cosmogoniam suam formandam concinnandámque scientèr adhibuit) omnia ex nihilo per Deum facta pronuntiavit, affirmans Deum feciisse *eth hashamajim va eth haarets*, id est, *Cœlos & terram*, scilicet *Universam materiam*, quæ totius mundi visibilis tanquam semen fuit: Quippè Moses, excelsus ille philosophus, immensam hanc molem materiæ; quàm in principio Mundi conditor & sator Deus magnificè fecerat, appellat *Cœlos & Terram:* Non quòd in principio Cœlum & Terra fuerint duæ naturæ, vel distincta materia; sed quoniam semper in usu fuit Hebræis Universitatem rerum per hæc duo vocabula conjuncta denominare; & quia vulgo Hebræo tunc ignotum fuit singulare aliquod vocabulum, quo Cœlum & Terram, ac omnia quæ in illis existunt, appellare solet?

Immò scientioribus Hebræis etiam frequentèr usitata fuerunt hæc conjugata Cœlorum atque Terræ nomina; quoniam in initio commixta fuit, & planè una utriusque natura; quatenùs isthæc promiscua materia constabat particulis, sive corpusculis omnius generis, quæ posteà quàm Dei jussu commotæ fuerint atque separatæ, similes cum sui similibus se conjungebant; atque Cœlos & Terram conficiebant: admodùm Cap. quarto conceptum.

Rectè ergò scitéque philosophatus est Doctissimus Augustinus (in 2. ad Gen. ad literam) ubi ait, *Informis illa materia, quam de nihilo fecit Deus, primò appellata est Cœlum & Terra. Nam quemadmodùm, si semen arboris considerantes dicamus ibi esse radices & truncum & ramos & folia atque fructus, non quia jam sunt; sed quia indè futura sunt: sic in principio Deus fecit Cœlum & Terram, quasi semen Cœli & Terræ; cùm in confuso adhuc erat Cœli & Terræ natura.*

Ut manifestum sit doctum & acutum hunc virum firmè credidisse, quòd Moses in primo atque secundo commate suæ Geneseos, per *terram* intellexerit primam rerum omnium materiam. Quod quidem non solùm multi doctissimi Christiani, sed & antiquissimi quoque Gentium philosophi sentiebant: Nec de sententiâ Mosaicâ dubitandum est ei, qui benè perpendit ea, quæ mox de terra καληγορημένως (ut dialectici loquuntur) affirmat Moses; eam scilicèt esse *rem informem* & *vacuam*. Nam *Tohu* (ut anteà dictum est) *quid informe*; *Bohu*, *vacuum* notat: qualem fuisse materiam primam censerunt omnes pœnè physici; quibusque planè verbis Universi principia denominare solent veteres Græciæ philosophi. Vide Cap. de Rerum Principiis.

At si divinus ille philosophus Moses per *terram*, quam à Deo factam memorat, Mundi materiam designârit, consequens erit, non modò formam atque ornatum Mundi, sed ejus etiam materiam à Deo genitam declarari. Cùm quo concinebant Hebræi, simul & aliarum Gentium philosophi.

Hinc Cosmologia Phœnicum palam docet, haud ipsum Mundum duntaxat, sed ejus etiam materiam, quæ fuit προεξ κτίσεως *seminium creaturæ*, γενητὸν, id est, *factam fuisse*. Sic & universi materiæ τ' ἀρχὼ, id est, principium tribuit Ægyptiorum Physiologia: atque eam quandò primùm cœpit existere, valdè confusam rem fuisse, commixtam scilicet omnigenorum corpusculorum molem: *posteaquàm verò decessissent à se ista corpora, mundo contigisse illum, quem nunc videmus, ordinem.*

Et mihi videntur tam Ægyptii, à quibus Deus supremus ἀῤῥενοθήλυς, i. e. *mas* & *fœmina* dicitur; quàm Græci, à quibus μητροπάτωρ, id est, *mater* simul & *pater* appellatur, per ea nomina significâsse ipsius quoque materiæ creationem à Deo, quatenus in prima generatione (quæ fuit ipsius materiæ creatio) Deus ut *Activa*

Activa potentia materiam juſſit fieri, vel generavit; ſimulque tanquam *Paſſiva* protulit ipſam de ſuo veluti ſinu, quam de nihilo fecerat.

Ab Ægyptiis eruditus antiquiſſimus ille Coſmologus Heſiodus itidem Chaos, quo nomine Mundi materiam primam nuncupabat, non æternam, ſed genitam eſſe tradebat his verbis.

Ἦ τοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ',
Principio quidem factum eſt Chaos.

Id quod Philoſophorum Græcorum vetuſtiſſimorum ferè communis fuit opinio: Sive illam à Phœnicibus, aut ab Ægyptiis, aut Idumæis, Arabibus aut ab Hebræis accepiſſent; ſive eam potiùs acceptam referant hiſtoriæ Moſaicæ; quæ ſatis apertè materiam primam de nihilo creatam prodit.

Nam quamvis Hebræorum verbum ברא *bara*, quo Moſes in initio ſuæ Geneſeos utitur ad ortum univerſæ materiæ declarandum, per ſe tantùm vel *facere*, vel *producere*, vel *condere*, non verò de nihilo creare, ſignificare ſoleat; ibi tamen, ubi conjungitur cum vocabulis *Cœlo* & *Terra*; & ejus actio tranſit ad mundi materiam per ea ſignificatam; reſtrictâ ſuâ notatione ſumptum, *creare* ſignificat. Quippè quia *materiam ipſam facere*, erat reverà *de nihilo creare*, cùm priùs non fuit, ex quo fieri potuit.

CAPUT

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Rerum Principiis.



ANC primam materiam, ex qua facta ſunt omnia, Moſes inſigniebat variis nominibus, ut ejus & craſſitiem atque profunditatem, nec non exiliſſimarum partium, in quas diviſa fuit, multitudinem quoque denotaret; quæ quamvis in ſe continebat omnia, nihil utcunque præ ſe ferebat, uſque adeò informis ac indigeſta res fuit.

Immò tam minutis particulis diſtinguebatur, ut in ſenſum minimè caderent; hinc ab illo ſapiente, quiſquis fuit author libri dicti *ſapientia Solomonis*, vocatur *inviſa*, quandò ait *Deum ex inviſa materia feciſſe mundum*: Et ſcriptor Epiſtolæ ad Hebræos aſſerit Mundum factum eſſe μὴ ἐκ φαινομένων [a]. id eſt, *ex iis quæ fuerunt inviſibilia, vel quæ non apparebant.* Qua re quoque Veteres quidam Judæi materiam primam dixerunt אין *ain*, id eſt, *nihil*, propterea quòd ea corpuſcula, ex quibus conſtat hic viſibilis mundus, fuerint tam puſilla atque exilia, ut viderentur fuiſſe *nihil*: Quanquam reverà fuerint corpora ſolida, quæ Dei verbo

bo facta fuerunt è nihilo; juxta pronuntiatum phyſicum, quod vel mulier illa, (non magis pia, quàm ſapiens heroina) quæ inter alias veritates ſacras, hanc etiam filio ſuo martyrium paſſuro fortiter inculcabat[b]; ſcilicet Οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτοῖς ἐκ τῶν οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ Θεὸς, id eſt, *Deus fecit Cœlum & Terram, & omnia, quæ in illis exiſtunt, ex non entibus*; rerum omnium materiam notans, quam Deus è nihilo fecerat.

[b] Machab. cap. 7. com. 28. l. 2.

Hanc igitur incompoſitam, atque nihil præ ſe ferentem materiam philoſophus noſter Moſes haud immeritò vocat תהו *tohu*, id eſt, *rem confuſam & inanem:* & quia moles iſta materiæ neutiquam fuit natura continua, ſed in particulas varias diſpertita, conſperſiſque vacuolis innumeris undique diſtincta; ſimul & quia Divina ſapientia generationes omnes per motum fieri, atque vacua ſpatiola ad motum neceſſaria eſſe voluit. Moſes & ſcitè & ſapientèr conjungebat etiam בהו *Bohu*, id eſt, *Vacuum*, tanquam *Principium ſine quo non.* Quia niſi vacaret ſpatium in quo motus haberetur, nihil planè produci potuit.

Hoc ergò *Principium* res fieri ſinebat; illud autem nempè *Tohu* factas conſtituebat: Quicquid enim eſt in mundo, reverà nihil eſt præter *materiam* (quæ eſt moles extenſa, vel corpus) per magnitudinem atque figuram, & per ſitum atque motum quietemve ratione diverſâ modificatam: Quippè non à re ipſâ diſtincti ſunt iſti *modi:* Nec in illa re exiſtunt iſtæ, quæ videntur eſſe, *qualitates* atque *formæ*, ſed in nobis; utpotè quæ ſunt noſtræ tantummodò ſenſationes atque phantaſmata: Adeò ut ad ornatum mundi, cunctáſque rerum ſpecies efficiendas, unica materia, quæ rude quid ac indigeſtum, atque præ exilitate ſua ferè nihil fuit, dato movendi ſpatio, ſuffecerit.

Non paucos forſitan infenſos reddant hæcce νοήματα, tum quia *Vacuum* extollunt ad dignitatem *Principii*; tum quia *Bohu*, *vacuum* reddunt: Sed ratio *Principii* (quod vocant) *ſine quo non*, abundè patet à neceſſitate motûs ad productionem rerum omnium requiſiti, qui tamen abſque vacuo fieri nequit. Et vix dubitandum eſt, quin ea vis atque notatio vocabuli *Bohu*, quam ei vulgaris uſus inter Hebræos dedit, hunc ipſum ſenſum gerat, quem nunc exhibui.

Nam licèt vox *Bohu* ſacris Scriptoribus haud in uſum veniat, niſi cum vocabulo *Tohu* conjuncta; *Bohu* tamen vox eſt ſui juris,

& propriam diſtinctámque ſignificationem ſibi vindicat; quæ *vacuitatem* notat: Et ejus uſus apud Hebræos, ut opinor, indicari atque probari poteſt ex Arabica lingua; quæ cùm fuerit Hebrææ filia, vel dialectus, ſæpiùs ad Hebraicas voces explicandas advocari ſolet, ubi communis uſus verbi neſcitur, aut ejus radix amiſſa eſt: Apud Arabes autem بهى *bahi* eſt *vacuum*, à بها *baha* vacuum fuit.

Non ſum neſcius quàm multi & quàm docti ſint viri, qui bina hæc celebria vocabula, propterea tum à Moſe, tum à Prophetis etiam copulatas eſſe cenſent, quoniam rem eandem velut ἐκ περιλλήλου ſignificant: at quàm minimâ ratione, liquebit per ea, quæ ſequuntur. *Jeremias*, haud infiteor, ambas has voces [c] ad unius ejuſdémque rei vaſtitatem atque ruinam planè plenéque deſcribendam ſemel adhibet, haud tamen id effecit iiſdem utriúſque viribus, ſed adjectâ depopulatione atque ſolitudine, rerúmque bonarum omnium privatione (quas תהו *Bohu* vacuitas indigitabat) ad ingentes iſtas turbas & confuſionem, quas monſtrabat *Tohu*, rem omnem abſolvit. *Iſaias* etiam, licèt ille utrúmque vocabulum in ambitu ejuſdem periodi comprehendat, ea tamen haud inciſi diſtinctione tantùm, ſed & differentia ſenſûs ſui diſjunxit. Nam cùm propheta Deum Eccleſiæ ſuæ cauſâ grave ſupplicium de inimicis ejus ſumpturum prædixerat, eorúmque terræ & regno minatus eſſet maximam ruinam ac ſolitudinem, mox addit, & *extendit* (Deus) *ſuper eam lineam Tohu*, id eſt, confuſionis; *& perpendiculaBohu*, id eſt, vacuitatis. [d] Quæ depopulationem atque ſolitudinem, bonarúmque rerum omnium (prout dixi) privationem deſignabat.

[c] c.4.v.23.

[d] cap.34. 11.

Aliàs autem tum Iſaias [e], tum Propheta David [f], ſic & antiquiſſimus ille philoſophus Jobus [g], necnon ipſe Moſes, ubi tanquam Propheta vel Hiſtoricus effatur [h], nonniſi vocabulo *Tohu* utuntur.

[e] cap.45. 18.

[f] Pſal.107. 40.

[g] c.12.24.

[h] Deut. c.32.10.

Ut facilè credamus Moſem in Coſmogonia ſua, dum rerum omnium exordia denarrat, ac ſe velut interpretem naturæ venditat, has voces ſimul intuliſſe, non ut unitis viribus eò fortiùs exaggeraret materiæ confuſionem atque inanitatem (cui demonſtrandæ ſufficiebat vocabulum *Tohu*) ſed ut planè plenéq; declararet ea principia, ſine quibus nihil in hoc mundo fieri Deus voluit.

Quæ

Quæ quidem principia congruentèr cum Moſe condocebant diſcipulíſque ſuis obnixè præcipiebant antiquiſſimi philoſophi; ſic ut, cùm de rerum ortu diſſerant, ſe Moſis interpretes ferè præſtent: Hinc ſciſcitanti quid ſint *Tohu* & *Bohu*, reſpondebit *Theodotion*, per illud οὐδὲν, *nihil*; per hoc κενὸν, *vacuum* intelligi; idémque reſponſum dabit *Aquila Judæus*. (Per οὐδὲν indicantes eam ipſam rem, quam Moſes per vocabulum *Tohu* monſtrârat; primam nempè materiam; quæ quamvis omnia contineret in ſe, nihil attamen, uſque dum moveretur, ejuſque particulæ variè concreſcerent, præ ſe ferebat.) Nec minùs clarè philoſophum noſtrum Græci veteres exponunt, qui duo rerum principia ſtatuunt τὸ πλῆρες, id eſt, *plenum*, quod res eſt, quæ ſpatium tenet; & τὸ κενὸν, id eſt, *vacuum*, quod nihil eſt præter ſpatium, in quo res moveri poſſit. Hæc eadem quoque principia, nominibus aliis, Aſclepiades appellat ὄγκους, id eſt, *moles*; & πόρους, id eſt, *meatus*. Democritus autem τὸ κενὸν, *vacuum*, & τοὺς ἀτόμους, *atomos*, qui ſunt ipſa materia, quam Moſes *Tohu* vocat, in partes minutiſſimas à Creatore diviſa.

Obj. At inquiet aliquis, Atomorum ſive Corpuſculorum doctrina, quantùm ex ullis antiquorum memoriis aut monumentis ſciri poſſit, tam philoſophis qui ante Moſem, quàm qui poſt eum per aliquot ſecula vixerunt, adeò incognita prorsùs & inaudita fuit, ut, ante inſomnia Democriti, nemo de illa, οὐδ' ἐν ὀνείρῳ, cogitârit: Immò certè corpuſcularis ea philoſophandi ratio, quam venditas, à Phœniciâ ſpeciatìm, atque ab Ægyptiacâ ſapientiâ, ob quam claruit Moſes, tantoperè abhorret, ut valdè abſurdum ſit iſtiuſmodi principia phyſica Moſi aſcribere; maximè cùm ne tantillum quidem ſcripſerit ſacer ille philoſophus, quod particulas, quas appellant atomos, ullo modo ſapiat oleatve.

Reſp. Quanquam Moſes in exordio rerum per aperta verba non expreſſit *atomos*; ſpero tamen me conquiſitis argumentis oſtendiſſe in Cap. quarto, quòd philoſophia corpuſcularis ſit omnium antiquiſſima; & quòd non tantùm bis mille annos ante Democritum, ſed & ante Moſem ipſum probabiliter in Ægypto, Phœnicia, Syria, necnon in Arabia, atque in Idumæa floruerit. Immò quòd ipſe Moſes exiliſſima corpuſcula tanquam

principia rerum omnium planiùs edixit atque prædicavit, per *Tohu*, per *Aquas*, & per *Pulveres*: Et quòd diverſarum Gentium philoſophi prorsùs eadem quoque principia naturæ, ſi non ante Moſem, ſaltem non poſt multas ætates, per *Aquas*, per *Arenas*, atque per *Pulveres*, item per corpuſcula atque per ramenta, vel per *Monadas* edocuerunt. Quibus, inquam, nominibus omnes inſigniebant iſthæc *inſecabilia* corpuſcula, quæ Cœli ac Terræ fundamenta erant.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Motu Materiæ primæ.

CUM Deus omnipotenti verbo ſuo viſibilis hujuſce Mundi materiam de vacuo nihili ſinu produxiſſet, haud illam prorsùs inanem & informem manere; verùm ilicò digeri, diſtingui, colluſtrari, atque in ordinem & formam, cunctis ſuis numeris abſolutam, promoveri voluit.

Sed quia materia ſine motu nihil efficeret; nec ſe unquam ſuapte vi exerere poterit; Deus ei motum dabat. Id quod ſatis expreſſè docet Moſes, ubi ait, *Spiritus Dei movebat ſe in ſuperficie aquarum*: id eſt, movebat *aquas*, ſcilicèt ipſam particularum multitudinem, ex qua conſtabat materia: Creatam namque materiam propter rationes anteà propoſitas aquas appellat: Et motionem, quam Deus imprimebat aquis, *Spiritum Dei* vocat: *Vel* quoniam ab illo tanquam à Vento concitabantur illæ aquæ; *Vel* quoniam illæ per Dei mandatum commotæ fuerint; nam Dei verbum dicitur ab Hagiographis *Spiritus ab ore ejus*; undè *&* Pſaltes aſſerit *verbo Jehovæ cælos factos eſſe, & ſpiritu oris ejus omnem eorum exercitum.*

Phœnicum

Phœnicum indè Coſmogonia (quam Sanconiathon ad Ægyptiorum exemplar ferè deſcripſit) hunc etiam ſpiritum *Venti* nomine celebrat: idque nec inſcitè profectò, quoniam vox Hebræa רוח *Ruah*, tam *ventum*, quàm *ſpiritum* notat; nec imprudentèr, quoniam motum iſtum, quem Deus indebat materiæ primæ, meliùs appellatione Venti, quàm ſpiritûs exprimi judicabant: Græci quoque motum, per quem cenſebant materiam primam in initio cieri, ἀνεμώδλων, id eſt, *ventoſum* vocant; & Chaos ſuum pariter ὑπωνέμιον, i. e. *vento expoſitum* fuiſſe tradunt.

Nec deſunt inter Hebræos, ut nec etiam Chriſtianos Doctores, qui *Ruach Elohim* ventum interpretantur; non quòd in animis haberent ejuſmodi ventum, quem motus aëris excitat (Nam *ventus nihil aliud eſt, niſi multus aer copioſè ac confertim fluens* [a]. Et Aër, qui fuit opus ſecundi diei, nondum genitus fuit) ſed quia motum *aquarum* (ſive materiei) fuiſſe iſtiuſmodi judicabant, ac ſi ventus ipſas agitâſſet.

[a] Ariſt. lib. de mundo.

Multi verò per eam dictionem, Deum ipſum intelligebant, qui juſſit aquas moveri: quod quidem congruenter cum Moſe ſenſerunt omnes ferè Gentes quæ mundum genitum eſſe putabant. Nam ſive Mundi conditorem vocent *Mentem*, ut Thales & Anaxagoras; ſive *Verbum*, ut Orpheus & Plato; vel *meliorem naturam*, ut Ovidius; vel *Spiritum intùs agentem*, ut alii; certum eſt omnes in animis ſuis habuiſſe Deum, qui verbo ſuo quieſcenti materiæ motum dabat.

Phœnicum ergò phyſiologia ventum hunc ſive ſpiritum Κολπίαν appellat: κολπία verò Phœnicibus eſt קול-פי-יה *col-pi-jah*, *Vox oris Dei* [b]. Qui per motum materiæ primæ, quem cieri juſſit, creabat eam potentiam, quam naturam dicimus: Illa enim nihil aliud eſſe videtur, quàm motus materiæ, qui fit ſecundùm leges, quas Deus φυσιάρχης in initio ſanciebat.

[b] vid. Doct. Boch. l. 2. Geog. Sacr. c. 2.

Hic jam peropportunum erit (& id quod ad phyſicam noſtram dilucidandam faciat) in eorum opiniones inquirere, qui res omnes in initio per incubatum excludi putant ex orbe materiæ, velut ex ovo; ac ſi concepiſſent Jehovam adinſtar Aquilæ inſediſſe in primigenium quoddam Ovum (ex quo Orpheus omnia produci rebatur) ad illud fovendum atque maturandum, ut ex eo tandem, veluti pullum, excluderet univerſum orbem.

Multi

Multi quidem Judæi ſic animis ſuis apprehendebant rationem Creationis, propter ſenſum, quod alii priùs affixerant vocabulo מרחפת *merachepheth*, quo ſatis temerè docent incubatum notari. Sed multò meliùs, ac veritati Moſaicæ congruentiùs de illa concipiebant Ægyptii, qui Deum, quem vocabant *Cneph*, Ovum in ore ſuo tenentem, illudque velut efflantem ſculpebant; eo nimirum concilio, ut mundum *ſpiritu oris Dei* factum ſignificarent.

Et veriſimillimum eſt haud Ægyptios ſolummodò, ſed & Arabas atque Phœnicas; & ab illis Græcos ita verbum Moſaicum *merechepheth* intellexiſſe, ut per motum omnia facta cenſerent: & Hebræos etiam, priuſquam Stagyritæ doctrina confudiſſet eorum notiones, ſenſúſque pervertiſſet, non niſi motum ex eo vocabulo concepiſſe.

Quippè notum eſt Hebræum *Racaph* (à quo ſenſus רחף *merechepheth* peti debet) generali notatione ſignificare motum: quod ſatis liquet è verbis Jeremiæ, qui ſic queritur, cap. 23. v. 9. *Contritum eſt cor meum in medio mei, motitârunt* (ſive commota ſunt) *oſſa mea*, &c. Et Moſem ubique verbum illud ad motionem duntaxat indicandam adhibuiſſe: quod mox patebit: Hebræorum verò commentum de incubatione referendum eſt ad ipſorum vafram colluſionem, vel potiùs ignorantiam: Nam quia doctrinam Peripateticam ab ipſis ejus initiis ferè ſuſcepiſſent, eamque ſolummodò poſt aliquod tempus ſapiebant, Moſaicam philoſophiam, quæ non niſi per notitias atomicas explicari potuit, citò admodùm, penitùs ignoratis ejus principiis atque terminis, oblivioni tradebant; adeóque in exponenda Creatione, genuino atque literali verborum Moſaicorum ſenſu derelicto, ad metaphoras & allegorias fugere coacti fuerunt.

Hinc ergò, quia neſciebant, quid ſacer ille Philoſophus per *Aquas* intelligi voluit; & quomodò per motum rudis Abyſſi moles in ordinem atque ornatum mundi verteretur; ut ſe decentèr expedirent, & viderentur nodum ſolvere; motum Aquilæ (cum quo Divinæ providentiæ motiones apud Moſem [c] comparantur) protinùs ad incubationem transferebant: ità ut Deum, qui magnifico ſuo verbo mandabat omnia fieri, perperam fingant inſediſſe materiæ Chaoticæ; atque eam foviſſe, digeſſiſſe, atque tandem animâſſe; metaphorâ ab Aquila vel aliis avibus ſumptâ, quæ

[c] Exod. 19. 4. & Deut. 32. 11. & 12.

quæ ovis ſuis incubare ſolent, ut blando ſuo calore pullos gignerent, alerent, maturarent atque tandem excluderent.

At quàm pravè ſumpſerunt verbum *racaph*; & quàm falsò mentem noſtri philoſophi reddiderunt, clarè patebit accuratè conſiderantibus ipſius verba Deut. 32. 11. ubi Jehova dicitur *eduxiſſe populum ſuum, eumque vexiſſe ſuper excelſa terræ, ſicut Aquila nidum ſuum* (pullos) *provocans ad volandum, ſuper eos* ירחף *jerecaph*, i. e. *volitabit, expandet alas ſuas, accipiet eos, & portabit eos ſuper alas ſuas.*

Hîc autem Deus ſe cum Aquila confert, non quà pullis incubat, ſed quà ſuper eos motitat, & ad exeundum è nido ſuo, & ad volandum quaſi vocat; eoſque ſuper alas ſuas portat, ut incolumes ſervet: Deus etenim per Moſis & Aaronis legationem, prodigiis apud Iſraëlitas abundè confirmatam, ſuper ipſos quaſi motitabat; eoſque ad exeundum ex Ægypto provocabat; ipſoſque etiam mirabiliter per mare & vaſtas ſolitudines vexit tanquam alis ſuis. Comparationi vim atque autoritatem dedit ipſe Jehova in Exod. 19. 4. ubi per Moſem ſic alloquitur Iſraëlitas *Vos vidiſtis quid feci Ægyptiis; & quomodò ſuſtuli vos alis Aquilarum, & adduxi vos ad me.*

Quocircà cùm verbum *racaph* tum apud Moſem (qui bis illo duntaxat utitur) tum apud alios propheas [d] non niſi motum deſignet, cur participium *merechepheth* in Creationis hiſtoria ad aliud quidquam ſignificandum à Moſe tranſlatum credamus, haud ſcio; præſertim quia prior ac propria ſignificatio vocabuli, quæ notat *motum*, omnium optimè ad ejus origines explicandas faciat.

[d] Jer. 23. 9.

Hebræi, non infiteor, omnes ferè quotquot in Geneſim ſcripſerunt, conſtanter abuſi ſunt iſto vocabulo ad incubationem denotandam: quia (prout anteà dictum eſt) non poterant alitèr ob inepta ſua principia philoſophiæ, vendibilem aliquem ſenſum ad Coſmologiam Moſaicam aperiendam afferre.

Et inter alios interpretes iſtius hiſtoriæ naturalis, etiamſi doctiſſimi viri fuerint, pauci exſtiterunt, qui, propter falſas ſuas notiones phyſicas, claris eam commentis illuſtrare; atque adeò exiſtimationi famæque philoſophi noſtri conſulere valerent; at reipſâ quidem ſolidæ ſapientíſque doctrinæ rationem, potiùs alienam atque abhorrentem reddebant. Hinc fuit, ut eam Celſus, valdè

valdè ſtolidam ; Simplicius, fabuloſam ; atque Maimonides, abſurdam, omníque philoſophicæ rationi contrariam diceret. Hinc ipſam omnes Athei tanquam narrationem riſu atque ludibrio tractandam deſpiciunt, carpunt, damnant.

Nihil certè ad obſcurandam eam lucem phyſicam quam Moſes quaſi per ſtricturas exhibuit, magis fecit, quàm abſurda hæc, quam redarguimus, incubationis fictio: Quæ quia tantùm fotûs atque digeſtionis vires ad omnia conficienda protulit atque propoſuit, vera motuum genera, variáſque vias, quas Deus in principio ad rerum omnium diſtinctionem, totiúſque mundi formationem cieri voluit, ab animis hominum longè ablegabat; eóque facto rectam phyſicè concipiendi rationem funditùs ignotam reliquit: Quandoquidem in principio non per foventes digerentéſve calores ; at per ſolam motionem, motarúmque particularum, pro varia diſpoſitione figurarum ſuarum, concretionem, cuncta fierent.

Motus iſte primigenius, quem philoſophus noſter in Abyſſo (quæ erat prima materia) concitatum fuiſſe tradit, videtur fuiſſe duplex, *Concretionis* , unus ; alter *Separationis : Primum* genus motionis facilè concipiamus fuiſſe illud , quo res anteà diviſæ concreſcebant: Nam quia, non ſine ratione maximâ, ſupponamus illam materiam, quam creârat Deus, minimè rem continuam, ſed in exiliſſima corpuſcula diviſam fuiſſe ; non minori quidem ratione concipiamus has ejuſce particulas, ità quamprimùm Dei juſſu motas fuiſſe, ut unæ aliis occurrentes invicem commiſcerentur, adeóque ut, ſimiles cum ſui ſimilibus ſe jungentes, concreſcerent.

Hâc ergò concretione coaleſcebant corpuſcula ignea , aërea, terrea ſimul & aquea, (quæ fuerunt Anaxagoræ corpuſcula ſimilaria) illa autem non fuerunt ipſa elementa, ſed ad elementa compingenda cunctaſque rerum ſpecies efficiendas apta atque diſpoſita corpuſcula.

Jungebantur autem ſimilia corpuſcula per ſuperficies ſuas proximè ſe tangentes : Et neceſſe eſt, ut concipiamus primam rerum omnium concretionem per aptam ſuperficierum planarum conjunctionem fieri ; quia non fingamus aliud eſſe quaſi glutinis aut cæmenti genus, quo compingantur Abyſſi prima concreta, quàm *contactum* : Unci namque vel hami talem connexionem ſibi præviam requirunt.

Prima verò concreta ad hunc modum facta, quoties ultrà concreſcerent, pro vario ſitu ac habitu corpuſculorum ſuorum, vel ramoſa, vel uncinata, vel hamoſa corpora ſtruebant; Quæ ramis aut uncinulis ſuis inter ſe connexa terreæ moleculæ craſſitiem congerebant.

Jam ſimul ac ità diſponeretur materia, bellè concipiamus *ſecundum* genus motûs, nempe *Separationis*, excitatum fuiſſe: Hoc genus motûs fuit illud, quod per circuitum fit, quo tota moles Abyſſi rotabatur circà centrum ſuum. Nam quia per legem primi Motoris in initio comparatum fuit, ut quicquid in orbem vertitur centrum ſui motûs, quà potuit, longiſſimè relinqueret. Neceſſe erat, ut iſte motùs ſubtiliora corpora à craſſioribus ſepararet; quoniam illa citiùs à ſuo ſitu quàm craſſiora, recederent: Hunc ergo motum (quem Græci διάκρισιν appellabant, & tanquam primum rerum ſeparatorem prædicabant) Deus ſapientiſſimus haud ſolùm ad Mundi generalia elementa conficienda, ſed & ad ejus ordinem ſimul & ornatum concinnandum conſervandúmque perpetuò deſignabat.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Igne & Lumine primigenio, ſive de Cœlo primo.

UM Deus materiæ primæ per ſpiritum oris ſui motionem tribuiſſet, hanc itidem legem dabat tum motui, tum materiæ, ut quicquid in orbem vertitur, à centro ſui motûs, quantùm poterit longiſſimè recederet: Quocircà ſimul ac circulari motione concitaretur immenſa particularum chaoticarum moles, quæ ſubtiliſſimæ fuerunt, & actuoſiſſimæ, necnon ad motum paratiſſimæ, centrum ſui motûs ilicò linquebant, ad ſuperficiem totius Abyſſi projectæ.

Subtiles haſce particulas haud inſcitè concipiamus eſſe partim *rotundas* (quoniam illa figura, pro magnitudine ſua minùs habet ſuperficiei, atque magis ad motum apta ſit, quàm cæteræ) partim tamen *angulatas*, ſed pilulis ipſis exiliores; & quæ pilulas uſque comitari, atque illis inſigniter opitulari ſolent: ut credibile ſit magnum eſſe illarum quoque numerum: Quarum alias à Deo creatas in principio, alias ex eo tempore per attritum quotidie

tidie factas esse verisimile est: Nam celer iste motus atque pernix actio, quæ Solaria corpora, atque omnia ignea nunquam non exagitat; haud aërea solummodò, terrestria simul & aquea, sed & sua corpuscula similiter atterunt & comminuunt.

Oportet autem ut fragmenta pilularum sint minutiora pilulis ipsis, simul & acutiora: Quamobrem prout istæ angulatæ particulæ ad actionem primigenii ignis Solariúmque radiorum fortiùs acuendam conducebant; sic & etiamnum ad ignem nostrum, quem vocant culinarium, similiter acuendum conducunt; & omne id, quod *acidum* est in rerum natura, vel *sulphureum*, suis aculeis efficiunt.

Insuper haud immeritò concipiamus (quod & rectæ rationi, Mosaicæque traditioni consonum est) in prima separatione (quæ per Abyssi motionem circularem facta fuit) unà cum particulis istis subtilissimis ad superficiem devolutos fuisse crassiores quosdam globulos, aqueæ, prout suppositi, naturæ particulas; sed quæ fuerunt istius generis exilissimæ particulæ.

Et videtur Deus hosce globulos aqueos unà cum particulis igneis ad altissimas Abyssi regiones extolli voluisse, & cum illis ibidem detineri; propter rationes in Cap. de Aquis Chaoticis, & Elementaribus infrà narrandas.

Verùm, ut repetam Creationis ordinem, subtiles ac agiles hæ particulæ, quæ primò per generalem totius Abyssi gyrationem à crassiori materia separatæ fuerunt, & sui quasi juris factæ, per celerem suam motionem, atque actionem vegetissimam citò producebant eam rei speciem, quem dicimus *ignem*. Id quod, inquam, mox à materiæ primæ (vel aquarum) motu, factum est à Deo jubente, יהי אור *sit ignis*, &, (quod consequens erat) etiam, *sit Lux: Or* enim vel *Our* ignem simul & lucem notat.

Istæ igitur actuosæ particulæ simul atque possederant extimas oras; ignémque protinùs accenderant; eâdem quoque ratione constituebant primum illum *orbem* sive *cœlum*, quod Veteres sapientes Ἐμπυρεῖον, id est, *ardens* appellabant; vel Αἰθέρα, *æthera*, quem pariter ab ardendo vocatum notat Cicero: [a] Undè Æther, eodem teste, ab Arato dicitur *igniferus*; eoque sensu nomen ætheris accipiebat Anaxagoras, & omnes ante illum philosophi.

[a] Lib. de Natur. Deorum.

Quo

Quo benè conſiderato facilè concipiamus Lucis iſtius rationem, quam Moſes triduò ante Solem factum memorat: Ipſe namque ſubtiliſſimorum corpuſculorum celer & pernix motus, atque actio quæ ſuſcitabat *ignem*; ſimul & eâdem operâ *Lucem* fundebat. Quippè quia *Lux* non eſt aliud (ut ſentiunt optimi philoſophi) niſi *diſpanſus & attenuatus ignis*: Quam Plato τὸ πυρὸς ἔκρυσιν *ignis effluxionem*, vel φλόγα ἀπορρέουσαν *flammam effluentem* vocat. Qualis erat illa quam primigeniam dicunt.

Hanc igitur Empedocles (quem vetuſtiſſimæ traditiones illuminârant) ἥλιον ἀρχέτυπον, id eſt, *Solem originalem* vocabat[b]; ipſamque doctiſſimus & elegantiſſimus Nazianzenus ἀνήλιον φῶτα, id eſt, *Lucem ſine Sole* productam nuncupavit: itémque multi recentiores philoſophi ſimul & Theologi, viz. Gulielmus Pariſienſis, Halenſis, atque Bruno Carthuſianus, unà cum multis aliis, *Empyræi Cœli ſplendorem* eſſe concipiebant.

[b] Plut. de Plac. philoſoph. l. cap. 20.

Et Lux iſta, quatenùs ignea atque blandè calida, certiſſimè in tribus primis diebus magno uſui fuit; non tamen (ut nonnulli, temerariè quidem ſi non & impiè, dixerunt) ne Mundi Conditor aliàs in tenebris operari videretur; ſed *tum*, ut ſuo modo diſponeret materiam Operis primi atque ſecundi diei; *tum* ut ad plantas è ſeminibus ſuis educendas afferret auxiliatrices ſuas vires.

Lucem eſſe rem calidam, imò igneam, conſtat ex eo quod ejus radii, ſi congregarentur, alias res incendent, eâ nonnunquam vi, ut duriſſimum quodque metallum citò fundant; eóque facto ſe corporeos eſſe probant. Quod ulteriùs liquet, *primò*, quòd radii Lucis de loco ad locum moveant: *ſecundò*, quòd repercutiantur atque reſiliant: *tertiò*, quòd in tranſitu ſuo per aliam rem interpoſitam præpediti refringantur: *quartò*, quòd meatus rei, non rem ipſam tranſeunt atque penetrant: utì patet experimento per Gaſſendum facto, de manifeſto tranſitu radiorum Solarium per chartæ poros tantùm: Hinc fit, ut ſi nigro pigmento, vel atramento, linatur charta, multò citiùs illa per radios Solis adurebitur, quàm cùm fuerit alba; quoniam multi iſtius chartæ pori (per quos anteà liberè tranſibant radii Lucis) per illud pigmentum vel atramentum ſunt obturati, atque eâ de cauſâ radios lucis inhibent ac repercutiunt, eóſque proindè copioſiùs uniri cogunt; ità ut plures, viribus unitis, chartam fortiùs atque citiùs inflamment.

Ut

Ut non verear affirmare, quòd ea Lux ſolummodò ſit *incorporea*, quæ eſt *ſupramundana*, quæ ab Hebræis dicitur *Lux ſub ſolio gloriæ*, quam Deus inhabitat, & *quam nemo mortalium vidit unquam, neque videre poteſt.* Beatiſſima certè Lux, quæ non patitur motionem corpuſculorum, neque materiæ labem: In qua proindè Pythagoras unicuique *Heroi* (noſtrâ verò phraſe cuilibet *Sancto*) poſt obitum ſuum, ſedem tribuit; ipſámque vocat ἐλεύθερον αἰθέρα, id eſt, *æthera liberum* [c].

[c] Vid. ejus aurea carmina.

Sed quoad Coſmopœiam, certum eſt Æthereum illum ſplendorem, ſive Lucem primigeniam fuiſſe eam partem primi diei, quam Moſes appellat *manè*; & ejus alteram atque priorem partem fuiſſe caliginem materiæ primæ vel Abyſſi, quam abſentia Lucis ab ipſo momento Creationis omninò inviſibilem reddidiſſet.

Verùm autem minimè concipiendum eſt (quod nonnulli temerè pronunciârunt) iſtam caliginem fuiſſe atrarum quarundam nubium quaſi *pallium*, vel denſæ fuſcæque materiæ, neſcio cujus, *faſciam*; vel rem aliquam exiſtentem; ſed rei veræ, nempè lucis (ut loquuntur Dialectici) *negationem.* Tum quia ratio vetat, ne quid corporeum exſtitiſſe extra univerſam materiam cenſeremus; tum, quia Moſes non dixit iſtam caliginem fuiſſe creatam à Deo, ſed tantùm fuiſſe in ſuperficie Abyſſi; nimirum non ut rem, ſed abſentiam rei. Non ſecùs ac tenebræ, quanquam ſint nihil, attamen in aëre noſtro dicuntur ineſſe, quamdiù vel nox obſcurat; vel totalis ferè Solis eclipſis obumbrat aërem: Non aliud etenim fuerunt Abyſſi tenebræ, quàm mera abſentia lucis, quæ nondum facta fuit.

Moſes idcircò tenebras iſtas appellat חשך *choſec.* Quippè cùm in Hebræa lingua ſeptem vel octo fuerint nomina, quæ ſignificabant tenebras, (nimirùm 1°. אפל *Ophel*, quod notat tenebras, quas lux præceſſerat, & quas atræ denſæque nubes inducunt, quales Ægyptiæ fuerunt 2do. נשף *Neſeph*, quod indicat etiam tenebras, at eas præcipuè quæ ſunt ante ortum Solis, vel poſt ejus occaſum; quæ vulgò ſolent vocari crepuſcula: 3°. עלטה *halata*, quod item ſignat caliginem, ſed quæ lucem admixtam habet, qualis eſt ea Crepuſculorum: 4to. עיפה *hephah*, quod notat tenebras, at illas præſertim, quas Eclipſis, aut obſcuratio Solis efficit. 5to. ערפל *heraphel*, quod eſt caligo, ſed ea potiſſimùm quæ eſt inducta per denſos vapores aut nubes. 6to. צלמות *tſalmavet*, quod

quod itidem ſignificat tenebras, ſed quales obverſantur oculis morientium. 7°. קדרות *Cadrout*, quod deſignat tenebras, (ſed eas maximè quas diffundunt res atræ) iſta autem vocabula non adæquata fuerint Abyſſi tenebris, nec indicarent earum rationem, quæ fuit omnis omninò lucis abſentia, qualis illæ neceſſariò erant, quæ luce nondum factâ denigrabant abyſſum; Moſes igitur ut rei veritatem ſeriò quærentibus indigitaret, omnibus aliis repudiatis, hoc vocabulum nempè *Choſec* advocabat ad abſolutam abſentiam luminis innuendam.

Non dubito quin vulgares Phyſici, qui vim verborum ſpernunt, hujuſmodi conceptiones flocci facient: Quæ tamen à Moſaicè philoſophantibus haud contemnendæ ſunt: Quia Moſes, qui res narrandas, animíque ſui ſenſa, brevitati ſtudens, paucis exprimit, ipſa per internam capacitatem verbi ſæpiùs explicat atque dilatat.

Nec ignoro quòd Deus ipſe tenebras haſce vocat לילה *Lailah*, id eſt, *Noctem*; ſicilicèt ut diſtingueretur Lux à tenebris. Lux etenim ſumitur pro felicitate; & dies (quam lux facit) eſt res delectabilis atque jucunda: Tenebræ verò pro rebus adverſis accipiuntur; & nox triſtis eſt & mœſta; Lux attamen & tenebræ diem componunt. Undè Moſes affirmat *veſperam* atque *mane* (primam utriúſque partem ſumendo pro integro νυχθημέρῳ) confeciſſe *unam diem*. Adeóque tenebras fuiſſe iſtius diei dimidium.

Neque mihi vendibilior eſſe videatur ulla doctrina, quàm quæ docet Moſem hîc per diem unum ſatis evidentèr innuiſſe, quod illæ tenebræ, quæ præcedebant luci primigeniæ, non longiùs durâſſent quàm duodecim horarum ſpatio, priuſquam duodecim horarum quoque Lux ſecuta eſſet; atque ità diem unum, viginti quatuor ſcilicèt horarum ſpatium confecerant: Fuerunt hæ tenebræ (non infiteor) antequàm motus ullus eſſet; verùm autem non tantùm motus, ſed etiam quies, per accidens, menſura temporis exiſtat.

Quod ſi quis affirmatè dicat Moſem hîc (ut & alibi) cardinali numero pro ordinali uſum fuiſſe, non refragabor, modò concedat opinionem prædictam ei ſimul in mentem veniſſe, præcipuéque deſignatam; nè quis primam noctem putaret longam fuiſſe, prout nonnulli philoſophi ſomniantes exiſtimârunt, temerè

merè quidem, ne dicam ſtultè: Quippè cùm Deus omnium rerum materiam, quam fecerat, molem indigeſtam, confuſam, denſiſſimiſque tenebris intimè denigratam eſſe voluerit (quod non ſolùm Moſes, at omnes antiquiſſimi philoſophi ſentiebant) & ex ea informi nigrâque re, Mundum, quæ eſt lucida ac glorioſa natura, facere decreverit, ut ſuam omnipotentiam demonſtraret; quo conſilio factum crederent, ut Deus ſineret eas tenebras diu eſſe, priùs quàm juberet lucem fieri, atque Mundum adornari? Re quidem benè perpenſâ vix poſſunt philoſophaſtri non concludere, quòd Deus aliquam ab initio fecerit noctis atque diei proportionem; atque eam ad hoc uſque tempus, in Animantium conſolationem, ſervari juſſit.

Hæc à Moſe per unum diem nobis indigitari videntur. Eadémque probè concipiatur fuiſſe veteris illius philoſophi, Thaletis opinio; ille etenim (quem neque ſcripta, neque ſenſa Moſaica latebant) ut Moſis exemplo primam rerum omnium materiam diceret eſſe *Aquam*, ità & ipſo autore, diem primum vocabat *unum diem:* Nam Thales (ut teſtatur Laertius in ejus vita) πρὸς τὸ πυθόμενόν τι πρότερον ἐγεγόνει νὺξ ἢ ἡμέρα; ἡ νὺξ, ἔφη, μιᾷ ἡμέρᾳ πρότερον, id eſt, *quærenti, quid priùs fuiſſet nox an dies? reſpondit noctem fuiſſe, priuſquàm eſſet Una dies.* Ubi noctem quoque, perindè ut philoſophus noſter Moſes, diei præponit.

Qua in re philoſophiam Moſaicam reſpiciebant antiquiſſimi ſapientes, tam poëtæ, quàm philoſophi; Heſiodus exindè tradit Noctem eſſe genitam de chao: Et quia Moſes docuit Noctem fuiſſe priùs quàm Sol aut Luna vel reliqua Sydera facta fuiſſent; Orpheus (cui Sydera Dii fuerunt) Noctem Deorum atque hominum matrem vocat; hiſce verbis

Νύκτα θεῶν πρότιστον ἀείσομαι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν
Νὺξ πρόσις πάντων· id eſt,

Te canimus Nox alma Parens hominúmque Deûmque
Cunctorum Nox alma Parens.

Et Euripides [d] qui fuit Anaxagoræ Phyſici diſcipulus, eâdem ratione motus ſeriò ſuo cantu aſſerit Aſtra omnia currum Divæ Noctis ſecuta fuiſſe; nempè quia veteri traditione didiciſſet noctem ſecundùm ordinem Creationis anteceſſiſſe omnia Sydera.

Μελάμπεπλος ὃ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς
Ὄχημ' ἔπαλλεν, ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ.

Induta nigris veſtibus currum inſiliit
Nox, aſtra ſunt Deam ſecuta.

Certè quia Sol & Luna Stellæque univerſæ aliquandiu poſt Noctem creatæ fuerunt.

Ex omnibus utique manifeſtum eſt Moſis phyſiologiam ab antiquiſſimis omnium ferè Gentium doctrinis & teſtimoniis firmari; &, quantùm illarum vel myſtica vel poëtica docendi via permitteret, elucidari. Nec contemnendum eſt illud antiquiſſimi Græcorum coſmologi, ſcilicèt Heſiodi, judicium; qui antè annos bis mille & quingentos floruit, & in Ægypto ſuas de Coſmopœia notiones imbibiſſet; aut à communi potiùs, & inter eruditos ſaltem pervagatâ traditione receperat: Ille inquam, non modò tenebras illas, quæ Mundi primam materiam (vel Abyſſum) denigrârant, ſed & Cœlum Empyræum, nec non & Lucem ſive Diem (quæ Dei juſſu proximè ſequebantur) juxtà ordinem Coſmogoniæ Moſaicæ (ſuo more, nempè mythicè) tradidit. His verbis,

Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ ἡμέρη ἐξεγένοντο.

Hinc Erebum ſimul & Noctem Chaos edidit atrum
Æthera ſupremum genuit Nox atra Diémque.

Quibus certè verbis explicatè ſatis enarrat executionem mandati illius Divini יהי אור *ſit ignis*, & *lux:* ſcilicèt *Æther* (qui fuit idem cum *Cœlo Empyræo*) & *Lux* ea, quæ fuit *dies primus*. Quos Poëticus iſte philoſophus à Nocte progigni, quia Nox præcederat: Et ſcitè profectò quatenùs ea motio caliginoſæ materiæ, quæ præparabat illam (ad modum capite quarto ſuppoſitum) ad ejus etiam ſeparationem (quam ſequebatur, ut anteà dictum, Cœli primi ſimul & Diei primi ſplendor) mirè faciebat.

Nec mihi videatur ullo modo dubitandum eſſe, quin valdè communis inter antiquiſſimos ſapientes fuit ea Coſmologia, quæ

congruentèr cum Moſis hiſtoria tradit Cœlum Empyræum vel Æthereum (quod idem eſt) mox à materia chaotica mota, per ſeparationem ſubtiliſſimarum particularum fieri. Hoc ipſum docet Ægyptiorum ſimul & Phœnicum Coſmologia, quæ memorat, ubi Aër (Nam tum Phœnicibus, tum Ægyptiis Univerſi materia prima dicebatur Ἀὴρ ζοφώδης, *aer tenebroſus*) factus fuit perpetuæ motionis compos, τὸ πυρῶδες αὐτῶ πρὸς τὸς μετεωρότατος τόπους σωδεαμεῖν, id eſt, quod igneum fuit in illa (ſcilicèt in materia chaotica) ad loca ſuprema concurriſſe.

Hæc itidem fuit priſcorum Græcorum phyſiologia (ſive illam ab Ægyptiis aut Syrophæniciis ἀκεφαμαλικῶς; ſive à Javanis filiis παλεπαφάδότως acceperant) Cujus inſigne teſtimonium dedit inſignis & antiquus ille philoſophus Hippocrates, inquiens, ὁ καλέομεν πυρμὸν τὸ πλεῖσον, ὅτε ἐταράχθη πάντα ἀνεχώρησεν εἰς τ ἀνωτάτω περιφορὴν, καὶ ὀνομάζω μοι αὐτὸ δοκέουσιν οἱ παλαῖοι Αἰθέρα, id eſt, *Quod calidum vel ignem vocamus, maximam partem cùm omnia commota fuerint, in ſupremum orbem ſeceſſit, quem mihi veteres videntur Æthera nuncupâſſe* [e].

[e] In lib. de Carnibus.

Quamvis autem Moſes doctrinam illam de primo Orbe Cœlorum, vel Æthere per vocabulum אור *Ur* vel *Our* breviter, & (ut multis viſum eſt) obſcurè nimis expreſſerit; veriſimilè eſt attamen id Hebræis, tam vulgo, quàm doctioribus, intellectum fuiſſe per traditiones atque præcepta patrum ſuorum; qui cùm magnificum illud mandatum Jehovæ, *ſit Ur vel Our*, filiis ſuis explicabant, primum Cœlum eſſe igneum; atque illud, quandò mota fuit Abyſſus, aſcenſu materiæ ſubtilis & igneæ conflatum fuiſſe docebant.

Hanc, inquam, phyſicam de motu & aſcenſu materiæ primæ, necnon Ætheris aut Cœli Empyræi, quod idem eſt, generatione, quam vetuſtiſſimi Græciæ philoſophi colebant, Hebræorum quoque ſapientiam fuiſſe, non ſolùm rationes paſſim in hoc tractatu prolatæ, ſed & aperta verba veteris iſtius hiſtorici Megaſthenis *in lib. de Indicis*, indicâſſe videntur: Ἀπαντα μὲν τοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τ Ἑλλάδος φιλοσοφῆσι, τὰ μὲν παρ' Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δ' ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων: *Omnia, inquit ille, quæ ab Antiquis de rerum natura dicta ſunt, etiam apud eos tradita fuere, qui extra Græciam ſunt philoſophati; quales apud Indos Brachmanes; in Syria verò hi qui dicuntur Judæi.*

Nam

Nam ſi in ulla unquam parte phyſices vera fuit ejus obſervatio, tunc in hac certè quæ eſt de primo naturæ motu; de ſeparatione materiæ; atque de Cœli ſupremi vel Ætheris ortu, veriſſima eſt. Cùm reverà nihil ſit inter Gentes rectæ Coſmogoniæ, quod non à Judæis (ſcilicèt Hebræis) acceptum fuit. Hebræos etenim, vel Phœnicum, vel Syrorum, vel Ægyptiorum nomine, magiſtros habuere multi præſtantiſſimi philoſophi, Linus ſcilicet & Orpheus, Muſæus, Thales, Pherecydes, Pythagoras aliíque multi: Qui feruntur habuiſſe commercia cum Hebræis; quorúmque dicta Coſmopœitica, quæ ſuperſunt adhuc, è memoriis aut ſcholis Hebræorum, deſumpta videntur.

In ſumma, Quia commemoratæ vetuſtiſſimæque philoſophorum ſententiæ & traditiones tam aptè referri atque applicari poſſint; porróque cum mea de chaotica materia ac motu; deque Igne & Lumine primigenio; ſimul & de generatione Cœli Empyræi vel Ætheris opinione tam bellè quadrant, videntur ſanè non exiguam meæ Commentationi vim & autoritatem dediſſe, atque rerum geneſim pro mente philoſophi noſtri, ſat luculentèr explicâſſe.

Sed quia ſublimis ille philoſophus Moſes hîc ἀδιάλα ſtatuere videatur; &, prout eſt in proverbio, πῦρ ὕδατι μίγνυναι, id eſt, *ignem aquæ miſcere*, quatenùs ille per hiſtoriam Creationis *Aquas* etiam in hoc igneo, ſcilicèt Æthereo, Cœlo collocat; ubi Cœlum alterum, quod vocat *Expanſum*, ideò factum eſſe docet, ut divideret ſuperiores aquas ab inferioribus hiſce, quæ ſunt in inferiori parte ejuſdem expanſi, (quæ vulgò dicitur *Aer*) vel in Mari, Stagnis, Lacubus, fontibus atque fluviis. Et quia ſapiens ille Rex & philoſophus David [f] majeſtatem Dei prædicans affirmat Deum *ſuperiora ſua*, ſcilicet Æthereum Cœlum, *contignâſſe in aquis*: Et alibi provocat *aquas*, *quæ ſunt ſupra Cœlos* nempè ſuprà *Expanſum* (quod *Cœli* dicitur) in ſupremo orbe æthereo ſitas, *ad laudandum Deum.* Et quia nomen illud, quo ſuperius Cœlum propriè inſigniri volunt Hebræi, nempè שמים *ſhamajim* talem ejus conſtitutionem, *igneam* ſcilicet & *aqueam*, præ ſe fert; אש etenim eſt *ignis*; & מים *Aqua*; inde שמים *ſhamajim.*

[f] Pſal. 104. 3.

Alii Hebræi, ſcio, putant *Shamajim* conflari ex vocabulis שם *ibi*, & מים *Aquæ*; ac ſi primò ſic nominatæ fuerint à Philoſopho ſtupeſcente dum contemplaretur Aquas ſuperiores, quæ in

Cœlo altiſſimo (tenuiori leviorique natura) tam mirando modo ſtare ac ſubſiſtere poſſunt. Sed omnes, quoad aquas ſuperiores idem ſentiunt; ut qui generaliter tradunt Deum accepiſſe *ignem* & *aquam* atque ea invicem permiſcuiſſe, ut ex illis *Cœlos* efficeret; quos ideò vocabant *Shamajim.*

Hæc, inquam, ſi ſic ſe habeant, omni Coſmologo diligentèr eſt explicandum, *Primò*, quomodo partes aqueæ (craſſioris filimoleculæ) Cœli regiones altiſſimas in principio conſcenderent; ſi verum ſit quòd illud cœlum ininitio per ſeparationem Abyſſi particularum ſubtiliſſimarum fieret: *Secundò*, quâ ratione fiat, ut aquea corpuſcula inter ignea perſiſterent, & in altiſſimo Cœlo ſtare poſſint, cùm graviora ſint omni materia cœleſti. *Tertiò*, cui uſui deſignari videantur iſtæ aquæ, ſi nactæ ſint tam ſublimem locum.

Veriſimile eſt Deum (qui in principio creabat circularem illum motum in Abyſſo, per quem ſimul cum particulis igneis etiam multæ aqueæ, præſertim quæ erant ex illis exiliores, ſeparatæ fuerunt; & unà cum particulis igneis ad extimam ejus ſuperficiem devolutæ Cœlum illud æthereum ſimul conflabant) id in conſiliis habuiſſe, ut hinc aliquando corpuſcula aquea diſpergerentur, aut in hominum *pœnam*, vel *favorem*: In *pœnam* demittebantur olim ad plectendas iniquitates hominum per Univerſale diluvium: & forſitan ex illo tempore ſæpiùs per violentas imbres, & quas vocant ἐκνεφίας. In *favorem* cedunt, haud ſolùm quatenùs igneis immiſta temperiem quandam creant in iſto Cœlo; ſed & quatenùs in Expanſum, atque terrarum orbem defluunt; & omnia ſubtilibus atque beneficis ſuis copiis affatim ditant: Quippè ſubtiliores iſtæ particulæ aqueæ cum debita calidarum portiunculâ conjunctæ præcipuè conſtituebant iſtanc igneam dicam an Sulphuream, certè auream Mercurialémque naturam, quæ cunctis inferioribus ſuas vires hactenùs elargitur. Ut fidentèr credam res illas pretioſas, quaſcunque Rores (maximè in regionibus ferventiſſimis, ſicciſſimiſque temporibus) in hunc terraqueum orbem deferunt, huic æthereæ Ign-aquæ præſertim deberi.

Obj. At ais haud minùs difficulter jam placidiſſimam à natura inter Leones & Agnos conſuetudinem conciliari poſſe, quàm in principio Coſmopœiæ ſtabilem aquis inter ignes manſionem conduci potuiſſe.

Reſp.

Reſp. Placuit quidem ſapientiſſimo Creatori, inter ea opera quæ Naturæ legibus in initio ſubdidit, grandia quædam miracula ſupra naturæ vires hic & illic inſtituere, quo ſignatiùs oſtenderet ſe Coſmopœiæ Dominum eſſe; mentémque Divinam naturæ ſemper præficiendam!

Verùm inter iſta miracula non recenſenda eſt Aquarum manſio, vel earum ſitus in Empyræo Cœlo: Nam licèt Plinius *nihil mirabilius exiſtimet aquis in Cœlo ſtantibus.* Philoſopho tamen expertò, rectéque omnia reputanti non ita videatur. Eò quod obſervationes & experimenta familiaria quotidie monſtrabunt probabilitatem rei.

Id autem fortè quibuſdam, nec inferioris ſubſellii, philoſophis admirationem moveat, quòd lenior Aquæ natura vim ignis ſubtiliſſimi perennitèr & impuniſſimè ſuſtineret. Revera tamen nihil admirabilitatis habet illorum contrariorum in Empyræo veluti Leonis & Agnæ concordia: quoniam ſuâ ipſarum naturâ videntur eò loci benè convenire Ignis & Aquæ moleculæ. Nam tametſi notum ſit omnem quantitatem aquæ diſſipabilem eſſe; & non difficulter ab igne frangi convellique poſſe; moleculas attamen aqueas, iſtas nimirum quas prima concretio particularum fecerat multò firmiùs à conſtitutione ſua compactas fuiſſe, quàm vel aëreas, vel terreas, vel igneas, cenſendum eſt; propterea quòd aqueæ moleculæ (prout ſuppoſitum eſt) lævioribus planioribúſque particulis conſtant.

Quippe cum læviſſimæ fuerint, atque earum latera perfectiſſimè planata (quòd non ægrè concedatur philoſophanti) conſequens erit aqueas particulas etiam dum coibant & concreſcebant firmiſſimè ſimul adunatas fuiſſe. Prout videmus & marmoribus accuratiſſimè planatis & junctis, & quibuſdam ſalibus optimè pulificatis ac artificiosè chryſtalliſatis evenire, ut ea difficillimè dividi; hi verò cæteris omnibus (etſi naturâ ſuâ durioribus) ægriùs attenuari, ſolvíque poſſint.

Quocircà licèt, ut dictum eſt, elementum aquæ per culinarem ignem ſit diſſipabile, non eâ vi diſſolvi poſſunt illæ moleculæ, ex quibus conſtat. Quæ quidem moleculæ ob globularem ſuam figuram, maximámque lævitatem minimè cohæſiſſent, & ad elementum aquæ faciendum concreviſſent, niſi quaſdam moleculas aliorum elementorum, dum coibant, unà involviſſent, quæ mobilitatem molecularum ſiſterent.

Certum

Certum eſt enim & expertis notum, quòd in rerum natura nullum ſimplex elementum aquæ detur, quod non ſimul aliorum elementorum portiones aliquot in ſe contineat ; ob quam mixturam neceſſe eſt, ut minùs firmum atque ſtabile ſit elementum, quàm ipſæ, ex quibus conflatur, moleculæ fuerunt. Aëreæ ſcilicèt atque terreæ præſertim moleculæ, quibus adnatæ ſunt anguloſæ figuræ, cum aqueis in elementi compoſitione commixtæ efficiebant, ut non tam ſolidè arctéve coaleſcerent aqueæ moleculæ.

Intereà concipiendum eſt ignem noſtrum culinarem, ut ut vehementem, non deſtruere aquam, ſed eam dividere ſolummodò, atque in vaporem vertere ; quod nihil aliud eſſe videtur quàm ipſam redigere in originales ſuas moleculas, quæ denuò coeuntes aquam reſtituunt.

Quâ de re minimè dubitabit, qui novit illud inſtrumentum diſtillatorium in quo Spiritus Vini ſic inflammari poſsit, ut ejus aqua nec aufugiat, nec amittatur : videbit enim à deflagratione unius libræ iſtius ſpiritûs (etiamſi fuerit totaliter inflammabilis) pluſquam duodecim uncias aquæ remanere. Quo experimento ſatis liquet partes aqueas à violentia flammæ ſubtiliſsimæ non deſtrui, ſed unà ſuſtolli.

Ut non difficulter nec inſcitè credamus ætheream vel empyræam regionem (quæ lenior atque pacatior eſt natura, quàm Vini Spiritus incenſus) diſperſas hic & illic atque diffuſas intra ſe moleculas aqueas inoffensè geſtare poſſe. Et de ſuperioribus aquis integrè ſtatuamus, quòd nec Phyſici diſquiſitionem fugiant, neque ſapientis fidem repellant.

Quicquid autem mirabile eſt in illis aquis à nobis inveſtigari protinus & intelligi voluit ſapientiſsimus Ὀνομαθέτης ille quicunque fuit, qui primus huic altiſsimo Cœlo nomen שמים *ſhamajim* dabat ; utpotè quod compoſitum eſt è vocabulo אש quod eſt *ignis*, & מים *majim*, quod eſt *Aquæ*, ac ſi digito monſtrâſſet *ibi* eſſe *ignem & aquas*, non ob ſitum ſuum duntaxat, ſed ob virtutem quoque ſublimem atque eminentem verè mirabiles.

Non ſum neſcius quod inferius Cœlum quòd *Expanſum* vocatur, etiam dictum ſit שמים *ſhamajim*, eâ re fortè quod in eo ſemper affatim ſit ignearum ſimul & aquearum molecularum ; ſed quæ non ſunt huic Cœlo naturales atque propriæ ; quæque ſurſum atque deorſum per ejus ſpatia tantùm tranſeunt ; proindéque

Moſes

Moſes ut diſtingueret hos Cœlos; hoc inferius Cœlum vocat רקיע שמים *rachiah ſhamajim*, id eſt, *Expanſum Cœlorum.*

Mirabilia quidem ſunt omnia Creatoris opera, atque admodùm ſtupendus eſt aquarum ſuperiorum ſitus: Non tamen ob eam cauſam nobis excitet admirationem, quòd aqueæ moleculæ renuente gravitate ſuâ, conſcenderint in altiſſimos Cœlos, & ſupra corpora multò leviora perſtarent; quoniam, prout jam dictum eſt, naturæ familiare eſt ut res ità ſe haberet, & unicuique, niſi qui res obvias haud obſervant, optimè notum.

Sed quia non deſunt multi, qui philoſopho noſtro Moſi ſupercœleſtes aquas objiciunt; illúmque tanquam ἀφιλόσοφον eo nomine redarguunt; mea intererit hic oſtendere quàm credibiles exiſtant iſtæ ſublimes aquæ: & quàm certis & communibus experimentis obſervatum ſit graviores naturas inter leviora corpora fluitare, commorari, ac ægrè tandem demitri ſolere.

Certè motus iſte, qui per circuitum fit, aptus natus eſt, inter exiliſſima corpora, quæ ciet & gyrat, unà & alia nonnulla paulò majora corpuſcula (præſertim ſi rotunda fuerint) ſecum rapere, & ad ambientes oras deferre: prout oſtenſum eſt ſupra familiaribus exemplis. Solent & aliæ quæcunque ſubtilium particularum motiones inteſtinæ (quæ celeres ſunt & actuoſæ) quamplurimas etiam majores gravioréſque moleculas ſecum diutiſſimè retinere; ſubtiliorúmque motui conformes reddere: Quod nunquam non uſu venit Aëri & Aquæ: Nam tenues & exiles iſtæ particulæ 'cœli noſtri (ſive illas Expanſi vel Aëris eſſe dicas) terreſtria ſimul & aquea corpuſcula, vi Solis & aſpirationibus humi, ſublata, quanquam exiſtant graviora, motu ſuo verſant, altiùs evehunt, earumq; multa ſemper; multa ſaltem diutiſſimè retinent: Hinc fit ut per Magnetes ex Aëre copiosè detrahi poſſit aqua: Quod experiri vel in regionibus omnium calidiſſimis, ipſâ tempeſtate ſicciſſima, cœloque ſereniſſimo liceat: & quantum terræ deliteſcentis exiſtat in illa Aqua ex Aëre tractâ, per deſtillationem cerni poſſit: quæ non contemnenda certè quantitas eſſe videbitur: Id quod advertere licet in omnibus aquis etiam limpidiſſimis, ſive puteales ſint aut nivales, aut fontanæ, vel pluviales.

At quantum terræ, & quàm tenaciter intra ſua corpuſcula ſuſtentet aqua, ſcias hoc facili, ſi lubet, experimento. Infunde

in

in amplam ampullam, vel aliud vas vitreum, tres aut quatuor congios Aquæ limpidæ; & ità locetur vas illud, ut per plures menſes, vel annum integrum ſtet immotum, ſic multum terræ, (quæ immiſta fuit aquæ, & diù inter ejus etiam limpida corpuſcula fluitârat) paulatìm ſubſidebit; quod priùs à particulis aquæ, circà ſua propria centra gyrantibus, exiliſſimè diviſum fuit, ac ſuſtentatum: porrò etiam quàm facilè terreſtria corpuſcula detineantur ab aqueis, (quanquam ſeipſis graviora ſint) manifeſtum erit ex eo, quòd ea tam tardè, & tanquam ægrè dimittant: Cùm, licèt multa ſit illa fæx terrea, quam per longum tempus ſenſim ac pedetentim rejecerat; multam tamen adhuc retineat, non niſi deſtillatione, vel exhalatione tandem ſeparandam.

Quippe tantùm abeſt ut terreſtrium particularum pondus aut gravitas impediat, quo minùs ab aqueis, aëreis, æthereiſve particulis in alto detineri, ac veluti ſuſpendi poſsint, ut metallicis etiam minutiis, aut in aquam, vel in aëra ſublimatis, id ipſum contingat. Qui dubitat hâc de re ſibimetipſi plenè ſatisfaciat per ſequens experimentum ex Argento vivo (quòd eſt metallum ponderoſiſsimum) deſtillato paratum: Cape decem libras Argenti vivi, impone in vitrum, quod Chemiſtæ vocant Retortam, & in furno Arenæ (quod vocant) ſic diſponatur Retorta, ut ore arrecto apertóque polum Horizontis aſpectet: Colloceturiſte furnus in pavimento lateritio vel lithoſtrato; & cum Cœlùm ſit tranquillum, ſubdatur iſte gradus ignis, qui cogat argentum vivum deſtillare: videbis argentum vivum omne ſenſim vaporis adinſtar aſcendere in Aëris regionem, ſimulque minutiſsimas ejus partes (nam calore Arenæ dividetur in minutiſsima corpuſcula) ſic ab aëre ſuſtentari, ut ejus ne hilum quidem recidat, quod ſi recideret in pavimento conſpiceretur.

Obj. Huic experimento forſitan occurratur, affirmando minutas iſtas Hydrargyri portiunculas vi caloris expulſas, non diù ab aëre detineri, ſed motu aëris abreptas ad aliquam diſtantiam, denuò relapſuras.

Reſp. Hoc dictu facilè eſt, ſed vellem ut expertus mihi delapſum Mercurium monſtraret, aut experto crederet.

Certò certius eſt autem multas partes Hydrargyri aquæ incocti, ab aqua deradi, & unà cum particulis ejus ordinatè gyrari, nec non ipſius motui tam conformes reddi, ut in ea frigefacta diffuſæ ſuſpen-

ſuſpenſæque longo tempore maneant. Notum eſt aquam communem ab hydrargyro vel Mercurio vivo incocto ſic inſici poſſe, ut vermes potenter necet; quod quanquam multi non ipſi Mercurio, ſed ejus halitui, neſcio cui, tribuere ſoleant; certum eſt attamen innumeras hydrargyri partes exiliſſimas per aquam bullientem à reliqua mole ſeparatas eſſe, & in ea penetiſſimè diffuſas reſtare; undè fit ut ea aqua puerulis exhibita vermes inteſtinorum perimere valeat.

Omnem dubitationem tollet iſtius aquæ deſtillatio, quæ, quanquam videatur clara atque limpida, perindè ac ſi nihil alieni in ſe contineret, haud exiguam tamen quantitatem Mercurii currentis, ubi tota deſtillatur (coeuntibus ejuſce particulis) in fundo relinquet.

Non eſt cur diutiùs immorarer in hâc doctrina confirmanda; quâ non conceſsâ, nec Extractionum, Decoctionum, Tincturarúmve modus atque virtus intelligi poſſit; aut ratio reddi, cur non omnes aquei liquores exiſterent tenues atque limpidi; quippè ni multæ partes terræ commiſtæ fuerint, aqueæ particulæ rem tenuem ſemper, & adinſtar cryſtalli claram conficerent.

Sin aqua frigida terreas atque metallicas etiam partes inter ſua corpuſcula diſperſas ita moveat ac coerceat, ut eas ſemper, aut longiſsimo tempore, motui ſuo conformes reddat, cur non credamus aërea corpuſcula minutiſsimas argenti vivi particulas ſuſtinere ſecúmque diutiſsimè retinere poſſe.

Proindè (ut paucis expedirem hoc argumentum) ſi gravitas minutiarum metallicarum non impediat, quò minùs eas Aëris aut Expanſi particulæ demorari poſsint; non eſt ut ſapiens dubitaret an Æther vel Cœlum Empyræum valeat aqueos etiam globulos, quos Moſes appellat *aquas ſuperiores*, in illo ἀποφάσει fuſos, intra ſe tenere & ſuſpendere, motuique ſuo conformes reddere; præſertim quia vis inferioris Cœli diſpanſiva multùm ad eorum deſcenſum prohibendum contribuit.

Videor mihi jam tribus aut quatuor flatibus integerrimè diſsipâſſe conquiſitas iſtas rationes, quas Moſis adverſarii (tanquam arma impenetrabilia, Achillea ſcilicet argumenta) conduxerant, ut ipſius doctrinam de Aquis ſuprà Cœlum ſtantibus, impeterent everteréntque.

Verùm prout Aquas ſuperiores eſſe veras exiſtimo, quia ſummus ille philoſophus Moſes id aſſerit; ita & ipſas utiles eſſe per Univerſum judico, quia Deus illas ſic inſigniri voluit: Et ſpeciatìm videatur inſtituiſſe, ut iſtæ aquæ, tum miſericordiæ ſuæ manifeſtandæ; tum vindictæ (quoties illi viſum fuerit) infligendæ præſtò adeſſent, ac inſervirent. Hinc etenim, nec aliundè (niſi crearetur nova) ſufficiens ad hunc mundum ſubmergendum (quod evenit in univerſali diluvio) ſuppeditari potuit aquarum copia. Hinc & in plagis, atque in temporibus etiam, ferventiſſimis ſicciſſimiſque rores deciderunt, tum ad terram feracem ac uberem efficiendam; tum ad animantia recreanda.

His ita brevitèr explicatis, nihil ultrà ad obeundam hanc, quam ſuſcepi, provinciam, poſtulari à me videatur, præterquam quòd expreſſiùs ediſſerem, quales fuerint iſtæ particulæ, quæ *lumen, & ignem primigenium* conſtituebant; id autem pauca illa, quæ deinceps exhibentur, præcepta, ſat indicabunt.

Neceſſe eſt ut iſtæ particulæ ſint exiliſſimæ, quæ res velociſſimas, actuoſiſſimas, atque penetrantiſſimas (quales ſunt ignis & lux) efficere natæ ſunt: Oportet etiam ut rotundæ ſint & ſphæricæ (maximâ ſaltem parte) quoniam eâ figurâ prædìtæ, pro magnitudine ſuâ cunctis aliis agiliores exiſtunt, & ad motum aptiores: Sed quia particulæ ſphæricæ (ex quibus ignea concreta, præſertim ſubtiliora, ferè conſtant) ſe componi minimè ſinent, niſi commiſtæ conſertæque fuerint angulatæ minutiæ, quæ cogerent eas conſiſtere & compingi, credibile eſt ab initio quamplurimas angulatas particulas, ſphæricis omnibus exiliores exſtitiſſe Dei digito factas; pluréſque de novo per actionem particularum ſphæricarum quotidiè paratas eſſe, quatenùs illæ multa angulata corpuſcula, quibus occurſant, agitatione motuque ſuo conterunt atque detornant; adeóque materiam ſeipſis aliquantò ſubtiliorem conficiunt.

Hæ deraſæ minutiæ, quamvis ſint angulatæ, nihilominùs præ ſumma exilitate ſua, perindè mobiles exiſtunt & penetrantes, ac ipſæ rotundæ vel ſphæricæ particulæ: Quarum eâ de re conſtantes ferè comites ſunt iſtæ angulatæ minutiæ, ipſarúmque vires & actiones intendunt. Certè quod acre eſt in actione ignea, maximè debetur his exiliſſimis ſimul & acutiſſimis angulis, non autem ſphæricis, niſi quòd illæ propter exiguitatem ſuam adinſtar angu-

lorum

lorum quoque pungant atque ſecent. Et quod acidum eſt vel in Aëre, vel in Orbe terraqueo, ſcilicet in Sulphureis hiſce concretionibus, quas radii Solis per univerſum producunt, totum inciſoriis iſtis aculeis, quos angulatæ particulæ gerunt, acceptum referri debet.

In ſumma ergò dicendum eſt, utrúmque genus, & ſphæricas, & ſubtiles iſtas angulatas particulas, ubi à craſſiori materia per gyrationem totius Abyſſi diſcretæ fuerint, & ad ejus ſuperficiem projectæ, tum *Cœlum primum*, quod eſt *igneum*; (& quod veteres Græci vocabant *Æthera*) tum *Lucem primigeniam* (quæ erat *ignis* iſtius *effluxio*) *conſtituiſſe*.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Expanſo, vel de Cœlo inferiore.

QUanquam maxima pars Aſtronomorum, ab Ariſtotelis ætate, plures eſſe Orbes cœleſtes opinata ſit, (quos *octo* facit Ariſtotelis aſtronomia; Timocratis autem *novem*; Alphonſi, *decem* numerat; & ex eo tempore nonnulli vix pauciores quàm *undecim* eſſe conceperunt) Qui tamen antiquiori verioríque philoſophiæ ſe dederunt; quique ſacram, nempè Moſaicam phyſiologiam ſequi & amplexari mallent; Cœlos ex Abyſſina, vel Chaotica, materia generatos, in duos Orbes ſolummodò diſpertitos agnoſcunt; quos ſuperioris & inferioris Cœli nomine diſtinguunt. De primo ſive ſuperiori Cœlo præcedens Caput egit.

Inferius Cœlum, quod ſecundi diei opus eſt, à Moſe dicitur רקיע *rakiah*, id eſt, *Expanſum:* Et complectitur omne illud ſpatium quod à terraqueo Orbe uſque ad Cœlum Empyræum vel æthera ſe protendit: eâ tamen diſtinctione communiter obſervandâ, quòd pars ejus ſuperior, quæ eſt longè maxima, nuncupetur *Syderea*; ſed pars inferior, & terræ citima nominetur *Aerea.*

rea. Quanquam nihil interſit naturam ſuperioris inferioríſque regionis Expanſi, niſi quòd infima, quæ vocatur Aër per aſpirationes & halitus à terrarum orbe ſublatos, craſſior fiat: & particulas ſuas eâ de cauſa ſegniùs agitatas, eóque ad naturas & uſus rerum terreſtrium magis accommodatas habeat.

Hebræi quidem ſolent communi uſu loquendi tres Cœlos enumerare: Et Moſes itidem, licèt in hiſtoria Creationis, ubi loquitur ut philoſophus, *Ignis* (vel Cœli ignei) & *Expanſionis* ſolummodò mentionem faciat; alibi tamen [a] ubi ſe habet tanquam theologum, Cœlum tertium nempe *Cœlum cœlorum* quoque prædicat. [a] Deut. 10. 14.

Veteres autem Hebræi perindè ut Moſes, duos ſolummodò naturales ſive Mundanos cœlos agnoſcebant, nec ulla phyſica ratio plures efflagitat: Nam quod Moſes *cœlum cœlorum*, Paulus verò *Cœlum tertium* [b] vocat, eſt ὑπερκόσμιον καὶ ἀπρόσιτον φῶς, id eſt, *ſupramundanum lumen, ad quod nemo mortalium accedere poteſt.* Id quod reverà eſt Divinæ gloriæ habitaculum, & beatorum ſedes. Quam Paulus [c] idcircò vocat Παράδεισον *paradiſum.* Hoc Cœlum (quod ἄθεοι, cunctíque religionis Καταφρονηταὶ, i.e. *Contemptores* haud agnoſcunt) ab Ethnico illo Sapiente Platone dicitur ὑπερουράνιος τόπος ὃν οὐδὲ τις ὑμνησε πω τῶνδε ποιητὴς, οὐτὲ πως ὑμνήσει καθ' ἀξίαν, id eſt, *ſupercœleſtis locus, quem neque laudavit ullus Poetarum qui ſunt hic; nec unquam laudabit pro merito ſuo.* [b] 2 Cor. 12. 2. [c] In loco dicto & Lucæ c. 23. com. 43.

Sed, ut in eo, quod deſignatum eſt, enarrando procedam; ſtatuendum eſt hujus inferioris Cœli vel Expanſi corpus atque naturam propriam conſtituiſſe aliûs generis atque figuræ particulas, reliquis Abyſſi, tunc relictæ, particulis exiliores, quas motus adhuc ſubſidentis Abyſſi continuatus, ad ſuperficiem ſuam quoque projecerat.

Has ego particulas (nam propter obſcuras illas quas habemus rerum notitias, non niſi conjiciendo philoſophari poſſumus) exiſtimo *longulas* eſſe, & aliquantillum *latas*; quas idcircò *bracteas* appello, vel *tæniolas.* Quæ quia, jubente Creatore continuò gyrantur circà centra ſua, magnúmque propterea pro figuris ſuis ſpatium requirunt & occupant, extenſum atque rarum hunc Orbem conſtruebant, quem Moſes aptiſſimo nomine רָקִיעַ *rakiah*, id eſt, *Expanſionem* vocabat; ut dictum eſt.

Nec

Nec mihi profectò vel conceptu difficiles, vel abſurdæ videantur iſtæ bracteæ (vel longulæ particulæ) quæ motu ſuo tales orbitas efficiant, quales in Fig. 2da & 4ta deſcriptæ ſunt; illæ namque referunt truſatilem quandam machinam, quæ ſic formata eſt, & ab authore naturæ ſic mota, ut terreſtres exhalationes atque vapores, tanquam per ſcalam, ad ſuperiora ſuſtollat; unáque ſuperiorum defluvia conſtanter ad terram deferant.

Et non immeritò concipiam clathra hæc, vel conſpicilia, quæ ab hiſce bracteis, circa propria ſua centra motis, in Expanſione formari videntur, eſſe illud *cribrum per quod Jovem mingere* finxerunt Poëtæ; quo ſuo more philoſophantes docent, non ſolùm *Pluvias* ab inferiori, ſed & *opimos rores*, ac illa *pretioſa defluvia*, qualiacunque ſint, quæ Sydera diffundunt atque radiant ab iſtius Cœli regione ſuperiori, per hanc veluti machinam tranſmitti ad terram ſolere.

Non ſum neſcius quàm latè pateant, & expoſitæ ſint hæ particulæ, ſimul & illæ, quas ordinata ſuâ motione conficiunt, ſcalæ, non ſolùm Momi convitiis, ſed & acribus uniuſcujuſque philoſophi pœnè judiciis; ut quæ ſine magna confuſione, coitione, mutuóque præpedimento moveri vix queant.

Nihil certè promptiùs exſpectem, quàm quòd non ſine ratione maxima credam mihi proventurum: Verumenimverò neque reor ullas, quaſcunque viri ſubtiliſſimi ſibi fingant de Expanſo notiones, ità ad amuſſim quadrari poſſe, ut non illæ quoque (rei naturâ levitèr atque nudè ſpectatâ) reprehenſionem ſubeant: Quippe diſtendentes illæ (vel ut Anglicè dicam *ſpringy*) particulæ, quæ dato ſpatio confeſtim ſe dilatant, quales Nobilis ille philoſophus Boylæus aptas ad aëris naturam explicandam concipiebat, ipſiſſimis Elenchi notis expoſitæ jacent. Et Renatus etiam Carteſius, ſubtilis ille phyſicus, ob globulos ſuos, quibus (unà cum tenuiſſimæ cujuſdam materiæ fragmentis) implet univerſum, non minori flagello verberandus eſt, quatenùs ille per iſtam plenitudinem protinùs omnem omninò rarefactionem de Mundo tollit.

Noſtræ verò longulæ particulæ, quia magnum ſpatium requirunt, quo gyrentur (nullo autem tempore non gyrantur pro juſſu Creatoris) certè ad res omnes rarefaciendas aptæ natæ ſunt; & quò minùs aliquandò vel confuſæ coactæve moveri deſinant; aut diù pigreſcerent, impediet liber, & vividus acerque vicinarum

rum bractearum motus, qui torpeſcentes denuò ſuſcitabit; adunatas ſejunget; adeóque turbatam ceſſantémve motionem ſtrenuè redintegrabit, ad eum modum, qui in Cap. ſeptimo pleniùs explicatus eſt.

Quicunque certè (quod probè philoſophantem decet) in Naturæ geſtis & operibus obeundis libentèr agnoſcit atque miratur ex animo potentiám Creatoris, (ut veteres ſapientes aſſolebant, qui πρὸς τὴν φύσιν ἀεὶ τὸν νῦν καὶ πρόνοιαν, i. e. *ad naturam ſemper adjungebant Mentem & Providentiam*) facilè ſe liberabit à difficultatibus iſtis, quæ pertinaciter vexant alios; & quoad Expanſi gubernationem, ſe tum ſibimetipſi, tum rei naturæ ſatisfacturum credat, concipiendo motionem particularum longularum, ſive bractearum, quam Dei Spiritus in initio concitabat, ex eo tempore conſtanter à Dei digitis (ut loquuntur ſacræ literæ) continuatam fuiſſe: Cujus admirandâ ſapientiâ, non ſolùm partes Expanſionis Univerſæ, ſed & omnia illa corpora (ſive Solem, & Lunam atque Stellas, ſive Cometas etiam comprehendamus) quæcúnque variis motibus agitantur in ea, regi ſemper ac adminiſtrari credat.

Probabiliter autem per Dei digitos intelligamus *Angelos* etiam; quibus ab initio Mundi ad res omnes adminiſtrandas uſum fuiſſe Deum, non Hebræi tantùm, ſed & Gentes utique docuerunt: Et hagiographi ſatis expreſsè memorant *Ignis*, *Aeris*, *Aquæ*, *Terræ Regionúmque particularium Curatores* Angelos[d]: Quorum infinitos hominibus etiam veluti Cuſtodes adeſſe ac præſidere voluit Deus: prout ſacri Scriptores affirmant tam certâ ratâque doctrinâ, ut ipſam pariter amplexentur ac prædicent Ethnici: Hinc vetus ille Poëta phyſiologicus, Heſiodus, aſſeruit Angelorum myriadas eſſe, qui præſidio ſunt hominibus.

[d] Matth. 26. 53. Hebr. 12. 22. & multis in locis.

Sin Deus homines & elementa Regionéſque terræ commiſerit Angelorum cuſtodiæ, certè quidem philoſophi multò magis credant Orbes Cœlorum, Stellarúmque motiones eorum procurationi traditas eſſe: Et quò minùs hanc opinionem à phyſico prorsùs alienam putent, legant Ariſtotelem ſuum ſimili notione philoſophantem: Qui proculdubiò per *intelligentias* concipiebat *Angelos*, quos Cœlis atque Syderibus indeſinenter movendis præficiebat. Eo tamen nomine redarguendus eſt Ariſtoteles, quòd tot orbes Intelligentiis ſuis agitandos atque rotandos impoſuit, eoſque *ſolidos* eſſe voluit.

Cùm,

Cùm, qui vetuſtiorem ſapientiam colunt; noménque ſuum dederunt Aſtronomiæ Moſaicæ; qui non ignorant quod Cœli ab antiquiſſimis Hebræis appellati fuerint *Shehhakim* & *Rakiah*, quoniam eos eſſe *rem tenuem*, & *è pulvere* (nempe minutis particulis atque diſtinctis) conſtantem crederent; itémque generali nomine *Shamajim* dicti, quoniam eos etiam *rem fluidam* ac velut *aqueam* eſſe cenſerent: Et qui benè conſiderant Cœlum *Sydereum* idem eſſe Moſi, quod inferius hoc, quod *Aer* dicitur, quem planè ſentiunt eſſe *fluidum*; (utrúmque ſcilicet ab illo nominatur Expanſum) Illi inquam vix poſſunt non concipere totum illud Cœlum, in quo ſtadia ſua currunt Sydera, laxam atque mollem fluidámque naturam eſſe.

At ſi credant Cœlos eſſe fluidos, & ſciant quàm varii, quàm diverſi; quam conſtantes interim, quámque regulares exiſtant iſti motus, quibus dies atque noctes cientur Stellæ, neceſſe eſt, ut cœleſtia illa corpora (quæ ſunt res inſenſiles atque reverà brutæ) per intelligentem atque ſapientem quandam vim regi, atque per omnes ſuos curſus duci, fidentèr exiſtiment. Quam quidem ſive Dei (qui nutu ſuo regit omnia) ſive Angelorum (qui tanquam miniſtri ſerviunt, & moderantur) potentiam eſſe fateantur, eodem recidit; nam certum eſt Stellas *per circuitus ſuos omnes concilio Dei gubernantis actas eſſe* [e], & ab illo tanquam à ſummo Navarcho, (Hebræorum námque תחבולה *thahhbulah*, quo Scriptor hic uſus eſt, præ ſe fert conſilium Navarchæ) per immenſum illud veluti *mare* continuò gubernari.

[e] Job. 37. 12.

Per hanc Aſtronomiæ rationem, quæ perantiqua eſt & verè Moſaica, magnum ſibi ſtudiiſque ſuis oblectamentum ſimul & otium ferunt Aſtronomi, per quam ſe liberant ab ingentibus iſtis difficultatibns & moleſtiis, quas ſibi variæ Cœlorum, Planetarum Cometarum, contrariæque motiones excitare ſolent; non opus eſt illis aut Ptolemæi, vel Copernici, vel Carteſiii commentis; mittant Epicyclos; mittant eccentricos ſuos orbes; omnéſque circitores, anticircitores, circumducentes orbes, & alios, quot ſeptuaginta numero recenſent, (quos Aſtronomi quidam ad omnes ſtationes, progreſſiones, retrogradationes, acceſſus atque receſſus expediendos induxerant) omninò rejiciant. Moſaico namque philoſopho perabundè ſufficiunt Cœlum unum *tenue* & *pervium*, treſque Dei digiti motrices: Qui Sydera omnia per leve atque volubile

volubile fluidúmque Cœli ſpatium certo ſumméque regulari motu vertunt.

Pervetuſta quidem (nec infiteor) opinio fuit, ſolidam eſſe naturam Cœlorum: Et fortè ex iſtis verbis Jobi, Scriptoris antiquiſſimi, nimirùm *Cœlos eſſe firmos*, & *ſicut ſpeculum fuſum*, malè intellectis, primò concepta: Nam quia Cœli ab illo Scriptore, (vel Collocutore potiùs) ob ſuam pelluciditatem fuerint aſſimilati *ſpeculo fuſo*: Priſcorum verò ſpecula vel ex ære (prout inter Hebræos ipſo Moſaico tempore [f]) vel ex aliis metallis, Orichalco præſertim, fieri ſolent; hinc quidam veterum philoſophorum præcipuè Græcorum, docebant Cœlos eſſe *ſolidos*; & nonnulli eos etiam adinſtar æris *firmos* exiſtimabant. Unde Poëticus iſte philoſophus, Homerus (qui non longè poſt Ionicam migrationem floruit) Cœlum vocat πολύχαλκον, id eſt, *æneam*, vel multo ære conſtantem; & χαλκοβαλὲς δῶ, id eſt, *æneam domum*.

[f] Vid. Exod. c. 38. 8

Hæc, inquam, Veteres ità concipiebant decepti, prout opinor, obſcurâ neſcio quâ traditione, falſâve interpretatione ſcripti Jobiani. Horum namque verborum quod primum eſt, nempè חוקים *hhaskim*, id eſt *firmi* vel *ſtabiles* (prout Hebræi quidem docti notant) à duobus ſequentibus in ſcribendo ſeparandum eſt per comma, vel inciſum; & tunc eorum ſenſus erit ſatis apertus, & rei rationique benè congruens, nempè Cœlos eſſe *firmos*, & pellucidos *adinſtar rei fuſæ* (ſive res illa ſit cryſtallum, ſeu vitrum, ſeu metallum, ex quo ſpecula fieri ſolent) vel ut *aſpectus rei fuſæ*. Nam vocabulum ראי *Rei*, quod optimè nôrunt Hebrææ linguæ periti, pro *aſpectu* hîc ſumi poteſt.

Nec aliud egregius ille philoſophus *Elihu*, cujus hæc verba ſunt, intelligere videatur quàm Cœlorum conſtitutionem & curſum, licèt illi conſtent è particulis laxis atque fluidis, & mutabilibus etiam; Dei tamen omnipotentiâ & gubernatione tam firmum atque ſtabilem fieri, ac ſi eſſent reverà ſolidi; támque pellucidos eſſe Cœlos, quaſi erant è cryſtallo vel ſpeculo fuſo conflati.

Scio quidem Cœlum hoc inferius (quod *ſecundum* eſſe judicant Hebræi) á ſeptuaginta interpretibus hiſtoriæ Moſaicæ vocari στερέωμα, id eſt, *Firmamentum*, non autem quia ſolidum eſſe cenſerent; ſed quoniam hæc inferiora ab illo *firmari* credebant. *Rakiah* certè non tantùm *expandere*, ſed & *firmare* ſignificat. Et non Aſſyrii tantùm (qui primi fuerunt Aſtronomi) ſed & veteres Hebræi Græcique philoſophi, ſimul & Latini cuncta hæc

inferiora vi cœleſtium *conſtringi* ac *firmari* dixerunt: nec immeritò quidem, nam quamvis hæc immenſa pars Univerſi, quam philoſophus noſter *Expanſum* vocat, tenuis ſit & mollis, ac quaſi diſſoluta natura, res omnes attamen, quas ambit, & diſtenſivo ſuo complexu ſtringit, quodam modo firmat.

Quocircà Septuaginta Sapientes, qui non *Expanſionis* habitum ac conſtitutionem tantùm, quantùm vires ejus, & admirandos effectus reſpiciebant, ſcitè & ſapienter illam *Firmamentum* nominârunt. Illud etenim nomen tam juſtè ſibi vendicat, ut ſemel atque iterùm celebranda ſit Omnipotentia Divina, quæ tam mirabiliter elucet in hoc tenui, ac (ut veteres loqui ſolent) *inani* Cœlo, quòd quanquam fluxa res ſit, facilliméque diſſipanda; nihilo tamen minùs haud ſolùm firmiter in habitu ſitúque ſuo perſiſtit; at omnes alias res, quas circumcingit, etiam firmat.

Ejus enim longulæ ac aliquantillùm latæ particulæ, quæ multum ſpatii, dum gyrantur occupant, (nunquam autem non gyrantur) quia multò numeroſiores exiſtunt, quàm quæ ſingulæ rotari poſſint, plures ab initio ſimul junctæ unam duntaxat orbitam conficiunt, quamvis illæ per diſtinctos circulos agi natæ fuerint: Hinc factum eſt, ut omnes, dum rotantur ſeſe pandere, atque parare ſibi ſpatia peculiaria quaſi contendant; eâque ratione comprimunt & coercent ea corpora, quæ circundant: Adeóque pro ſuo modo (qui diſcribitur in capite de Opere ſecundi diei) fortitèr inhibent ne Sol & Sydera; neve Terra vel Maria prodigè ſe diffundant: Speciatim videntur prohibere ne Maris aquæ, licèt illæ tumeant, & in altum, tanquam circino deſcriptæ, ſurgant; attamen intra terræ littora depreſſæ maneant. Ut mirandus iſte bractearum preſſus habeatur pro illo *vecte*, quem *Deus poſuit earum terminis*, quando dixit Mari, *hue uſque venies, & non procedes ultrà, & hic confringes tumentes fluctus tuos* [s].

[s] Job 38. 10. & 11.

Nec tantùm cavet hæc compreſſio conſtrictióve longularum particularum ne quando terrarum orbis, & Sydera conglobationis ſuæ modum verterent, aut è ſedibus ſuis exirent; ſed & ne quæque rerum ſpecies formæ figuræque ſuæ lineas excederet. Et ne vegetabilium ſuccus nimia vehementia, vel celeritate promoveretur, quò minùs iſte ſenſim, atque ordinatè poros tranſiret,

ut

ut ità in truncos, ramos, folia, floréſque pedetentim (prout naturæ lex eſt) formari poſſit. Id quod argumento fortiori de ſuccis animantium quoque dici poſſit.

Et quamvis expanſio bractearum (ſive longarum Cœli ſecundi particularum) ad omnem in mundo rarefactionem, atque fermentationem ſit neceſſaria, verùm nè nimis excedant, omninò requiritur ipſarum compreſſio: ſic ut harum bractearum perennis & ordinata motio, quà conſtringens eſt, tum ad rerum ſingularum, tum ad Univerſi conſervationem, mirè conducat.

Nec minùs inſerviunt præſervationi rerum omnium per ſuam motionem, quâ gyrant, & circùm centra ſua perpetuò vertunt: Nam quia nihil exiſtit in Cœlo vel Terra, quod immutabili natura gaudeat, nihil quod non omni ferè momento perdat aliquid ſui; nihil quod non indigeat vicino ſuo; ſic ut maxima ſemper à minimis; atque ſuprema ab infimis aliquo modo pendeant; optimè Sapientiæ Divinæ conſilio proviſum eſt, ut ea ſit Expanſi fabrica; quæ ſubtile illud quod exhalat de terra, per longula ſua corpuſcula (quorum ſingula circum centra ſua gyrant, alterúmque propellit id, quod unum priùs, adinſtar alarum, Ventimolæ, ſuſtulerat) tanquam per machinas ad Lunam & ad Solem, atque ad omnes Stellas elevare; ſimul & eâdem operâ Stellares ἀποῤῥοίας ad terram deferre valeat: Quo quaſi commercio ſibimetipſis omnia ſuccurrunt; & quæ invicem mutuantur, ſuo modo viciſſim reddunt.

Hujus etenim Cœli ſpatia, quanquam penitùs inania videantur & ferè vacua, ſunt ingens illud Emporium ad quod Mundanæ (verbo ſit venia) Corporationes omnes mittunt ſua mercimonia: In illo certè per ſuas aſpirationes aſſiduè negotiantur Aquæ & Terra, Luna ſimilitèr & Sol, omnéſque Stellæ. Hinc etenim habent alimenta ſua, quibus id quod expendunt, (nullo autem tempore non expendunt) quotidiè reparent. Hîc Sol & Luna cunctæque Stellæ cum terraqueo orbe, (velut in Templo Dei ϑυσιάϛηρι) ſua conjugia celebrant; & per coitiones ſuas generant eam inſignem atque fœcundam naturam, quæ vitam atque virtutem, variáſque dotes rebus inferioribus impertit.

Quamvis autem ſæpiùs in hoc tractatu dictum ſit, quòd Expanſi particulæ vel bracteæ, propter ſuum gyrantem atque extenſivum motum res omnes, quas circundant & complectuntur,

etiam conſtringant ; eâque ratione quodam modo firmant. Unde (prout anteà memoratur) appellatum ſit *Firmamentum :* Nihilominùs id ſolùm de magna atque ſubita rei cujuſque diſſipatione, vel à loco ſuo motione concipiendum eſt ; non autem de quâvis exilium partium per gradus inſenſibiles amiſſione. Cùm certum ſit ab initio rerum nihil unquam extitiſſe, quod non aliquantillum ſui noctes atque dies amiſit, per has ipſas Expanſi parculas abreptum.

Quamvis enim benè ſupponamus (ab illis, quæ perſentimus aſſiduè, capto argumento) bractearum, ſive longarum particularum, ſuperficies eſſe læves, (nam partes Aëris actione ſua propriâ ſenſui noſtro non videntur aſperæ) credamus attamen eas *inflexiles* eſſe ; & à philoſophis antiquis ità habitas : Cùm ipſe Ariſtoteles (à veteribus ſumptâ, ſed non intellectâ, notione) aërem dixerit ἄκαμπτον, i.e. *inflexibilem.*

Sin verò particulæ quæ propriæ ſunt Expanſioni, vel (ut loquuntur) Aëri , ſint inflexibiles atque rigidæ, ſimul & apices acutos habeant , rapidâque motione continuò gyrentur ; neceſſe eſt ut omnia, quæ cingunt & feriunt, minutatim terant; ità ut hoc ipſum, quod meritò nominatum eſt στερέωμα, *firmamentum*, rectiſſimè ſimul aut διαλυτικὸν, aut ἀναβρωτικὸν, aut σκεδαστικὸν appellari poſſit, nempe quod vel *diſſolvendi*, vel *corrodendi*, vel diſſipandi vim habet.

Non tamen ipſæ bracteæ, vel Expanſi particulæ ſuâ vi, quicquid ab Aëre perit, arrodere concipiantur, at ope ſalium, vel aëriorum liquorum, vel forſan humoris aquei, quos in inteſtinis ſuis gerunt : Exedentes etenim vires non acquirit expanſum, niſi in infima ſui parte, quæ dicta eſt *Aer* ; in eo enim redundare ſolent aëris exhalationes à terra, præſertim circà magnas urbes, ubi carbones exuſti, multæque res aliæ, regiones Aëris exedenti ſale replent.

Sed res omnes ſenſim terere , atque minutatim diſſipare totius Expanſionis actio eſt, quam conſtanter exercet in omnia corpora, quæcunque per ulnas, ut ita dicam, latitudinis ſuæ complectitur ; adeò ut ejus exilia corpuſcula (quæ concipiuntur eſſe longula) per ſuos acutos apices ; perque celerem ſuam motionem quotidie nonnihil haud ſolùm à concretis hiſce terraqueis, ſed & à cœleſtibus, ipſis etiam Stellis, pedetentim atque leniter arripiant.

Et

Et quamvis iſtæ contritiones corporum cœieſtinm, quæ per Expanſionem ſuperiorem gradatim fiunt, minùs ſint conſpicuæ, niſi quis mentis oculos ad eas obſervandas adhibeat; quæ tamen effectæ ſunt ab ejus inferiori parte, quæ dicitur Aër, omnibus obviæ exiſtunt planéque perceptæ: ut de illo quidem nemo dubitet, quin partim vi propriâ, partim mutuatitiâ, res omnes ſenſim atque leniter atterat; ocyùs autem liquida diſtrahat atque divellat. Ita ut *Aerem*, vir ingenioſiſſimus atque doctiſſimus, Hookius [h] haud ſine ratione, generale quoddam *Menſtruum* vel *Diſſolvens* appellet.

[h] Vid. ejus Micographiam.

Tanta eſt efficacitas Aëris, quem nec oculi noſtri vident; neque manus ſentiunt; quemque veteres ſapientes pro *inani* habebant.

CAPUT

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Aquis Chaoticis & Elementaribus.

Uanquam ſacer ille philoſophus Moſes, & longè antè illum Brachmanes atque Druidæ primum rerum omnium principium eſſe Aquam dixerint; & vetus itidem ſapiens Thales (qui primùs apud Græcos *phyſici* nomen obtinuit) Mundi materiam primam, ad exemplum Moſis, *aquam* eſſe doceret; omnia tamen accuratè perpendenti nihil magis conſentaneum videbitur, quàm quòd nec à Moſe, neque ab illis intellecta ſit *aqua* vera atque naturalis, ſed *metaphorica* tantùm; ſcilicèt iſta immenſa chaoticarum particularum multitudo, ex qua res omnes in initio factæ fuerunt: Quæ cùm motæ fuerint à Deo, quandam velut *aquarum* ſpeciem præ ſe ferebant: Nec aliud eſſe *naturam Aquæ*, philoſophicè loquendo, ſtatuamus (prout anteà dictum eſt) quàm *particularum rotundarum atque lævium, centra ſua propria nunquam non circueuntium, multitudinem.*

Argumenta rei conceptæ propoſitæque nec pauca ſunt, neque levia: *Primò* Moſes terram factam memorat, atque principales

terræ

terræ primæ conditiones exhibet. *Secundò*, Affirmat enim terram hanc esse *Tohu* & *Bohu*. Quippè certum est per ea vocabula notari id ipsum, quod non tantùm Græci, verùm & Ægyptii, Phœnices, Arabes, omnésque vetustissimi sapientes intellexerunt per Chaos suum, scilicet istam informem confusámque molem materiæ, quæ fuit principium, atque veluti semen, omnium. *Tertiò*, Moses ipse non priùs Mundi materiam vocabat *aquas*, quàm significâsset eam commotam fuisse per Dei spiritum. Cùm verò mota fuerit isthæc immensa corpusculorum multitudo, videretur induisse effigiem Aquarum; quia vix aliud requiri ad aquam producendam putemus, quàm ut læves atque rotundæ particulæ, sive globuli circà sua quique centra moveant & fluant. Ut valdè credibile sit Mosem, hanc materiam propter eam solummodò causam dixisse *Aquas*. *Quartò*, Verisimile est Thaletem, grandis hujusce viri exemplo, non ratione propriâ ductum fuisse, quandò primam materiam vocabat *Aquam*: Cujus imitatione similiter interroganti cuidam priorne fuerit Nox aut Dies? respondebat noctem fuisse priorem *Una die*. *Quintò*, Concludamus itidem Thaletis principium, non fuisse veram aquam, propterea quòd omnes Ionici philosophi, (qui fuerunt ejus discipuli, vel sequaces, fuit enim Thales caput Ionicorum) putabant Mundi materiam primam fuisse, non aquam, sed minutissima corpuscula; nam fuerunt Atomistæ. *Sextò*, Celebres isti viri, Poëtæ simul & Philosophi, Linus scilicet & Hesiodus (quos Græci prædicant tanquam vetustissimos) etiam *Aquam* aliquando pronuntiant esse rerum principium; certum est attamen eos ita locutos fuisse, non ex suo sensu, sed ex usu præcellentium quorundam philosophorum metaphorico: Nam Linus expressè in initio Cosmogoniæ suæ docet, *Tempus aliquando fuisse in quo mixta fuerunt omnia*, scilicèt in Chao confusa, donec *mens* (ut loquebantur Thales & Anaxagoras) ea separabat, & ex illis Mundum fecerat. Et Hesiodus, Poëticè philosophando, tradit omnia de Chao nata, atque terram priùs, quàm reliqua omnia, genitam fuisse. *Septimò*, Moses haud dubiè, si voluerit per eas naturas, quas *Aquas* appellat, elementares atque veras aquas intelligi, voluit etiam ut conciperemus *terram* in initio per istas aquas obrutam atque submersam fuisse; quià planè docet ipsas in unum congregatas fuisse, ut terra fieret *Arida*: sed minimè quidem cum sapientia Divina

congruere

congruere videtur, ut Deus terram *primò* cooperiret aquis (immò penitùs obrueret) quam *tertio die* ſiccam, plantis ac animantibus alendis aptam reddere deſignârat: cui etenim uſui fuerit? quo conſilio fieret? *Octavò*, Notum eſt Hebræos, atque vicinas etiam Gentes, ſolere multitudinem rei cujuſcunque per aquarum nomen exprimere; conſtat etiam ex uſu atque teſtimonio Græcorum philoſophorum, præcipuè Platonis, quòd antiquiſſimi ſapientes omnium rerum materiam primam, τὰ πολλὰ, id eſt, *multa* dixerint, propter multitudinem particularum, ex quibus ea conſtabat: ut eò faciliùs ex allatis argumentis atque firmiùs arbitremur, hîc à Moſe per aquarum nomen intellectam fuiſſe multitudinem particularum motarum, quæ Abyſſum, vel (quod idem fuit) Chaos conſtituebant. *Nonò*, Quoad rationem phyſicam non potuit Aqua dici principium rerum naturalium, quia *Principia rerum* (quod Ariſtoteles, & omnes alii phyſici liberè fatentur) *non ſunt ex aliis, neque ex ſe mutuò, ſed omnia ex illis fiunt, & in ea redeunt ultimò, quando corrumpuntur* [a]. Cuncta verò tandem per corruptionem reducuntur in pulverem: Et ipſa Aqua fiat ex aliis, atque omninò in terram verti poteſt, prout certâ experientiâ mihi dudum conſtitit. *Decimò*, Non difficulter ideò perſuadeant ſibi viri docti (niſi qui præjudiciis ſuis emancipati ſint) quòd veteres illi philoſophi per Orientalem partem Mundi, ſimul & per Occidentalem hanc partem celeberrimi, nempè Brachmanes atque Druidæ, non crederent veram Aquam fuiſſe rerum principium; ſed aliam quandam naturam, quæ propter inſignes rationes haud immeritò ſic dici potuit. Maximè cùm per vetuſtas etiam memorias id liqueat. Ità certè Brachmanas interpretatur Megaſthenes apud Strabonem [b] ait etiam eos exiſtimâſſe, ἀρχὰς τῶν συμπάντων ἑτέρας, τὸ δ' ὃ κοσμοποιίας τὸ ὕδωρ, i. e. *omnium principia fuiſſe alia, Coſmopœiæ verò, Aquam.* Veriſſimum eſt etenim, quòd inter ea principia vel elementa, quæ ad formationem Mundi proximè concurrebant, elementum aquæ fuit: ſed communia rerum omnium principia fuerunt alia, nimirùm corpora minutiſſima, quæ Chaos vel Abyſſum conflabant.

[a] Ariſtot. l. 1. phyſ. c. 5. & cap. 44. & c. 9. text. 82.

[b] Lib. 1.

Non ſum neſcius quòd hæc Abyſſus à multis interpretibus exiſtimata fuit res aquea; ſed eo diſcrimine quòd Hi putarent Abyſſum fuiſſe *immenſum orbem aquarum*, quæ primò circundabat terram, mox autem (tertio nempe die) in terram, per Dei manus excava-

excavatam, receptæ fuerunt; *partim* in ejus viſcera *partim* in canales per ipſius ſuperficiem ductos. Alii verò judicârent creatam materiam omnem fuiſſe iſtam Abyſſum, atque veram aquam exſtitiſſe. Talémque materiam cenſebant ad generationes omnes maximè idoneam fuiſſe, utpotè quam promptè rarefieri, & condenſari percipiebant; adeóque tum ad terram, tum ad cœlos efficiendos aptam natam credebant.

Sed cùm Moſes hanc Abyſſum ſive Mundi materiam tractet, priùs quàm aquam factam memorâſſet; & eam quoque palàm affirmet *Terram* eſſe, eique τῆς χάεος deſcriptionem tribuat; cúmque ipſa ratio *Principii* (prout dictum eſt) nullo modo congruere poſſit cum Aquæ natura; ſimul & alia argumenta jam ſuperiùs allata, ad eam, quam promoveo, ſententiam firmandam conſpirent, non video cur docti atque ſagaces viri, propter Aquarum mentionem in principio Geneſeos à Moſe factam ſolummodò, cenſerent aquam eſſe principium rerum omnium; niſi quòd ob imbecillitatem, dicam an ineptitudinem, philoſophiæ Peripateticæ (quam totis, ut aiunt, ulnis amplectuntur) haud aliâ ratione meliùs explicare Geneſeos hiſtoriam valerent.

Nec mirum eſt ſi multi Chriſtiani Doctores in hanc iverint ſententiam, cùm priùs Judæi (qui veterem Hebræorum philoſophiam penitùs amiſiſſent, & ſe totos Ariſtotelicæ doctrinæ devoviſſent) eandem omninò prædicaverint. Illi namque mox ab ætate Simeonis juſti (prout veriſimilè eſt) ſe penitùs addicebant Ariſtoteli, ſic ut illius quidditates, hæcceitates, omnéſque ſubtiles ejus affanias, quas avidè combibiſſent, arctè tenerent, obſtinatéque defenderent.

Juſtus hic Simeon videtur eſſe doctus, atque verendus ille Judæus, cum quo nonnunqnam verſatum fuiſſe Ariſtotelem, & ab illo rectiorem clariorémque de Deo atque divinis ſententiam hauſiſſe tradit Clearchus Peripateticus[c]; Et multa ſæpiùs inter hunc Judæum & Ariſtotelem rerum graviorum tum *naturalium* tum *divinarum* colloquia habita fuiſſe affirmat: Ut pluſquam verifimile ſit illo tempore mutuas inter ipſos extitiſſe communicationes doctrinæ; Stagyritam nempè Judæi theologiam; viciſſimque Judæum Stagyritæ philoſophiam protinùs imbibiſſe.

[c] In lib. de Somno; vide & Clem. Alexandr.

Hæc ergo phyſica, quam ſitientèr hauſiſſent Judæi, ſic illos inebriabat; ſic occupabat eorum ſenſus, mentiúmque palata ſic afficiebat, ut nihil omninò deguſtarent, nihil ſaperent, nihil intelligerent, niſi quod olebat ex Lycæo, vel Ariſtotelem ſonabat: Hujus autem philoſophia, cùm toto genere diſtaret ab illis principiis, quæ Moſes amplexatus fuit, & è quibus erigens ſibi notiones, hiſtoriam Creationis formabat, doctiſſimos etiam Judæos, ad iſtam narrationem percipiendam prorsùs inhabiles & impotentes reddebat. Alioqui certè Maimonides, doctus ille Judæus, minimè negâſſet Moſem per ſuam Geneſin veram perfectámque viſibilis hujuſce Mundi fabricationem, atque Orientis naturæ methodum generalem tradidiſſe; nec ille Lucem primigeniam vel aquas ſuperiores ratione phyſicâ minimè percipiendas aſſeruiſſet: Nec alii Judæi primitivas iſtas Aquas (abyſſinas vel chaoticas appellatas) veras eſſe aquas exiſtimâſſent; at omnibus intimè conſideratis, rectiùs intellexiſſent eas metaphoricè concipiendas fuiſſe; quatenùs illæ, pro genio phyſicæ quæ floruit ſeculo Moſaico, minutiſſimorum corpuſculorum *multitudinem* denotabant; & ea corpuſcula (ſimul atque Dei juſſu mota fuerint) rem fluidam conſtituebant; eâdemque ratione quandam velut aquarum ſimilitudinem præ ſe ferebant.

Ita quidem ſe res habuiſſe in initio veriſimillimum eſt; & eâ ratione ſapientes antiquiſſimos, ante Moſaica tempora, prima rerum principia dixiſſe *Multa*, ſimul & *Aquas* appellâſſe. Qui *multa* dixerunt, teſte Platone[d] fuerunt illi philoſophi, qui Diis (id eſt, *Semo*, *Chamo*, & *Japhetho*) proximè ſucceſſerunt: at qui ſtatuebant *aquas* eſſe rerum principia, fuerunt Druides, qui mox ab Abrahami tempore florebant in Occidente; & Brachmanes, qui celebres erant in Oriente: Inter Græcos eodem quoque principii phyſici nomine philoſophabantur Linus, Heſiodus, & Homerus, atque princeps Ionicorum philoſophorum Thales. Qui an à Moſe malè intellecto vel ab antiquiori traditione ſententiam ſuam de Aqua didiciſſet, an potiùs non veram aquam, ſed metaphoricam prædicâſſet, dubitari poſſit.

[d] In Philebo.

Equidem verò Thaletem reor illud metaphoricum nomen Aquæ potiùs accepiſſe à Moſis hiſtoria; quam Syriacè redditam legerat apud Babylonios: Nam traditum eſt Thaletem aliquando verſatum fuiſſe inter Babylonios; apud quos tunc temporis tanti

tanti æſtimata fuerunt Scripta Moſaica, ut ea in ſuam linguam verti curarent circà Olympiadem quinquageſimam, quæ fuit Thaletis ætas. Veriſimile eſt ergo Thaletem, propter famam atque celebritatem noſtri philoſophi Moſis, *Aquæ* nomen libentiùs, quàm quid aliud pro principio deſumpſiſſe; per illud attamen haud veras aquas intellexiſſe, quoniam, ipſius diſcipuli atque ſucceſſores omnes corpuſcularem philoſophiam tenebant docebantque.

Anaximander (haud inficior) qui Thaletis fuit diſcipulus & ſucceſſor proximus, Aquarum nomine (quod tralatitium fuit) repudiato, nomen ſimul & uſum Atomorum (quas infinitas eſſe docuit) in ſcholam ſuam inducebat; *tum* quoniam ab illis rem ipſam planiùs ac apertiùs indicari, quàm à Thaletis aqua; *tum* quòd eas auditoribus ſuis magis arriſuras eſſe crederet.

Non tamen in ipſa phyſica variari inter Anaximandrum atque Thaletem videtur, at principii nomine tantùm diſtingui; cùm rem eandem, quam Thales, per *infinitam* ſuam multitudinem ſignificaret.

Eóque firmiùs credi oportet Græcorum philoſophos antiquiſſimos indifferentèr uſos fuiſſe *aquarum* atque *atomorum* nomine, cum Phœnices (à quibus eruditi fuerunt Græci) promiſcuè & communiter iiſdem ad phyſicum ſuum principium notandum ſolerent uti: Quippè Phœnices (ut conſtat è reliquiis iſtius Gentis philoſophiæ) primam rerum omnium materiam, nunc rem aqueam, nunc minutiſſima corpora nuncupant: prout liquet ex illis inciſis hiſtoriæ Phœnicum à Philone Biblio ſic redditis Græcè, τὸ μὲν, τίνες φασὶν ἰλὺν, οἱ δ' ὑδαλώδους μίξεως σῆψιν, id eſt, *materiam rerum omnium, alii dicunt ilun; alii autem aquoſæ mixtionis putredinem*; vel planiùs atque ſignatiùs *materiam primam nonnulli vocant minutiſſima corpora; alii verò craſſam atque limoſam aquam.*

Quippè Phœnicum מוֹד *mod*, quod Philoni eſt Μὲν, *materiam* ſignificat; & Phœnicium illud vocabulum, quod ab eodem Græcè dicitur ἰλὺς, notat exiliſſima corpuſcula: (quod conquiſitis argumentis à me in primo capite prolatis illuſtratum cenſeo.) Phœnices autem benè concipiebant hanc materiam non eſſe *veram aquam*, ſed *aquoſam* quandam *mixtionem*, vel *limum*. Qualem (prout veriſimile eſt) Abyſſi particulæ à Deo commotæ referebant.

Nulla certè Gens, Hebræorum philoſophorum ſenſum novit meliùs quàm Phœnices; nec ullus antiquus philoſophus, aquas primas Moſaicas aptiùs expoſuit, quàm Phœnicius ille Sanconiathon verbis ſuprà citatis. Ut vix dubitem quin affirmarem, quòd Aquæ *Abyſſinæ*, quas *Chaoticas* dixi, fuerint exiliſſima corpuſcula commota, & eâ ratione adinſtar craſſioris aquæ, fluida: Et quòd Gentes antiquiſſimæ, partim quià non intelligebant vim verbi Moſaici, partim quia, licèt intelligerent, tanti philoſophi tamen exemplo ducti erant, generationis omnium initium *Aquam* eſſe dixerunt. Hactenùs de Aquis Abyſſinis, ſive Chaoticis.

Aquæ Elementares erant illæ concretiones, quæ ex aqueis particulis, in prima particularum ſimilium coitione conflatis, effectæ erant; & à craſſiori materia, partim primo, partim ſecundo, tertióve die, prout explicatum eſt antehac, ſeparatæ fuerunt.

Hujus aquæ particulas, ex quibus conſtat, appoſitè concipiant phyſici rotundas eſſe & verè ſphæricas; eâque ratione non differre ab igneis, niſi quoad magnitudinem, ſint majores; & quoad ſuperficiem ſuam magis læves; ſic & quoad ſecundam ſuam concretionem (quâ factæ ſunt aqueæ) minùs firmæ ac ſtabiles. Promptéque ſupponant hoſce globulos à lævitate atque rotunditate laxitateque ſuâ, ſic ad ſeparationem diſpoſitas fuiſſe, ut vix opinemur igneas illas primi diei particulas per abyſſi gyrationem, versùs ejus ſuperficiem devolvi potuiſſe; quin unà ſubtiliores ex illis aqueis ſecum raperent; adeóque ſimul cum illis Æthereum vel Empyræum Cœlum (pro ſumma Dei ſapientia) conſtituebant.

Quòd ſi quis hîc redarguat, meque *aquam igni miſcentem*, proverbii flagro laceret, ac ſi *undam cum flamma reduci poſſe in gratiam* ſtolidè putarem; ſciat Empyræum Cœlum vel Æthera nec undarum neque flammarum æſtu ferveſcere; quippè non neceſſe eſt ut concipiamus ignea corpuſcula iſtius Cœli tam conferta eſſe, ut flammam, vel ignem vehementem, ſicut fit in corpore Solari, pariant; quoniam permultos aqueos globulos intermiſtos habent, à quibus ardores moderari contigit.

Verùm eſto: concedatur ab actione iſtorum igniculorum multas aqueas particulas in diebus ſingulis atteri comminuique ſolere, & unà cum illis in expanſum tranſire; non tamen ideò credendum eſt Aquas Empyræi Cœli vel exhauſtas vel abſumptas unquam

quam fore, propterea quòd novæ continuò ſuppeditabuntur ab expanſo; cujus bracteæ ſive longulæ particulæ, conſtans illud commercium, quod eſt inter res Cœleſtes atque Terreſtres, ſuſtentant; omni elemento, per illarum motum verſorium, ſurſum & deorſum, ac ultrò citróque, lato.

Sed inter aquam & ignem iniri aliquam gratiam libentèr agnoſcent omnes experti philoſophi, qui benè ſciunt nullum eſſe in rerum natura ſimplex elementum, quod non cætera elementa plus aut minùs in ſe contineat; adeóque nullum eſſe ignem, qui non aquam eſſe inquilinum ſuum pacatè ferat; nec ullam aquam, quæ non ignem in viſceribus ſuis illæſa contineat.

Non hîc illæ *aquæ* ſunt omittendæ, quæ ab initio paſſim per Expanſionem, (nempè Cœlum ſecundum vel inferiùs) etiam diſperſæ erant. (Non poſſumus etenim non concipere longiuſculas iſtas ſecundi diei particulas, ita per gyrationem univerſæ materiæ ſeparatas fuiſſe, ut non multos aqueos etiam globulos exiliores ſecum ferrent.) Nec illæ reticendæ, quæ ab hoc globo terraqueo dies atque noctes expanſum conſcendunt.

Quæ primo atque ſecundo die (præſertim verò quæ primo) ſeparatæ fuerunt *aquæ*, ſunt illæ quas Moſes appellat *ſuperiores*: Has ille doctè ſcitéque docet ab aquis *inferioribus*, ſcilicet ab illis marium, fluviorum, fontiúmque, (forſan & ab illis, quæ natant in hoc cælo vel aëre) per expanſum diviſas eſſe.

Superiores aquas ſacer ille propheta atque philoſophus David appellat *aquas ſupra cœlos* non quòd exiſtant ſuprà utrúmque Cœlum; ſed quoniam Cœlum hoc inferius, quod dicitur expanſum, ab Hebræis ſolet etiam dici שמים *ſhamajim*, id eſt, *Cœli*. David autem planè intelligendus eſt de illis aquis, quæ ſparſim inter igniculos exiſtunt in ſuperiori Cœlo, quas alibi vocat *aquas ſupra expanſum*, & quas tanquam mirabiliores, expreſſiùs ad laudandum Deum provocat: De quibus exponendus eſt itidem, quandò ait, Pſalm. 104. 3. & 13. *Deum in aquis contignâſſe* עליותיו, id eſt, *cœnacula ſua*, nempè regiones cœleſtes ſuperiores, aut Cœlum æthereum vel empyruæm: Nam certum eſt Hebræos olim per vocabulum עליה notâſſe tum *cœnacula*, quæ erant in ſuperiori parte domuum ſuarum, tum προσευχήια, id eſt, *Precatoria ſua*, quæ ſimiliter in excelſioribus locis ædium atque templi fuerunt. Ut vix dubitandum ſit, quin David (maximè cum viſibilis hic mundus

dus ſit templum Dei) uſus ſit eo vocabulo tanquam aptâ ac eleganti metaphorâ, per quam monſtrâret aquas iſtas non eſſe aquas nubium, ſed altiſſimi Cœli, in quo præcipuè Creatorem laudabant; tum ob mirabilem ſuum ſitum; tum ob inſignes effectus, quos illinc edunt.

Hinc etenim Deus, haud ſolùm *rores* (qui in maximis æſtibus, ſicciſſimiſque regionibus decidunt) at id quod maximè *pretioſum* eſt in *pluviis* etiam demittere ſolet. Nec alio ſenſu videntur accipienda, quæ ſequuntur (in eodem Pſal.v.13.) *montes irrigat è cœnaculis ſuis*, id eſt, ut ſupra dictum eſt, *è ſuperioribus regionibus Cœli.*

Hinc itidem pluvias ingentes ad iram ſuam manifeſtandam immitti voluit Deus; ſic univerſali diluvio periit Mundus; ſic multæ regiones, atque civitates aliquando per violentos imbres (qui dicuntur ἐκπυρώσεις) & *per Cœli quaſi ruinam* ſunt obrutæ: cùm ſuperiores aquæ non adaugerent ſolummodò nubilas aquas, at illas etiam præcipites agerent.

Has autem ſuperiores aquas, etiamſi præclarus ille phyſicus Moſes ipſas aſſerat; eaſque inſigniri voluerit; multi nihilominùs, tum quia veram phyſicam neſciunt; tum quia res ante oculos exiſtentes haud advertunt, omni ratione phyſicâ prorsùs alienas exiſtimârunt. Et hujuſmodi duntaxat inconſiderantiæ, ſimul & experientiæ ſcientiæque defectui tribuendum eſt inſcium illud valdè celebrati Judæi Maimonidis enuntiatum, nempè *ſuperceleſtes aquas eſſe res abſurdiores, quàm ut apprehendi poſſint.* Cùm nec ille nec alii quicunque, vendibiliorem firmioremque rationem ſuæ temerariæ ſententiæ prætendere valerent, quàm *graviores eſſe aquas materiâ cœleſti, ipſoque aere; adeóque eas nullo modo in altiſſimo cœlo manere poſſe.*

At certum eſt gravius elementum in leviori, immò in leviſſimo ſuſpendi detineríque ſolere: id quod inviti concedere debent Ariſtotelici, qui cometas è terrenis exhalationibus inflammatis oriri affirmant; quippè non poſſunt non gravem illam materiam in tenuiſſimas leviſſimaſque regiones Cœli evectam, ibidémque retentam fateri; quia conſtat accuratiſſimis obſervationibus, quòd Cometæ aliquandò ſupra omnes planetas viſæ fuerint: Si Albumazarum audiamus, apparuerunt ſuprà Venerem; ſin Proclum, ſuprà Jovem; ſed ſi credamus Tychoni (qui multis argumentis

tis id probat [e] in altiſſimo Cœlo ſuprà Saturnum manſiones ſuas habeant.

[e] c.6. de Cometa An.1577.

Certum eſt Terram, licèt ea ſit natura ponderioſior, quàm Aqua, ſuper omnes aquæ partes diviſam natare ſolere ; nec dari ullam aquam naturali atque liberâ conditione fruentem, quæ non terræ pondera ſuſtineat, atque eam non niſi tardiſſimè demittat. Senſui patebit rei veritas ſi fierent experimenta per aquam fluviatilem vel fontanam vel pluvialem : Harum certè quælibet in vitro mundiſſimo ſepoſita terras ſuas ſubſidere permittet ; at ſenſim atque pedetentim, ità ut non niſi poſt menſes aut annos aliquot omnem iſtam molem terræ prodat, quæ priùs diſperſa ſuper ejus globulos equitabat. Sin deſtillatione res agatur, brevi tempore quantum terræ unumquodque vas aquæ limpidæ continuerat , id, quod relictum eſt in fundo ſtillatorii, manifeſtum reddet : ignorantis admirationi non contemnendum præbens argumentum

Hinc abundè liqueat corpora graviora in multùm ſublimiori loco, quàm qui proprius eſt & naturalis, & per leviora, tenuioríſque fili corpora tantùm ſuffulta, maneant : Quam quidem veritatem vel in culinis ſuis confirmatam vident mulierculæ, dum ſua decocta vel tincturas parant per aquam communem , cui vim & colorem, ponduſque duraturum, per res terreas incoctas infuſaſve, datum cernunt.

Et illuſtrior explicatio rei probatióque fieret, ſi in aqua communi coqueretur Hydrargyrum vel argentum vivum; quod quamvis ſit metallum graviſſimum, coctione tàmen atque agitatione bullientis aquæ, corpus illud atteri ; plurimas ipſius partes abſtrahi ; per totam aquam diſpergi ; atque longo certè tempore (forſitan annis aliquot) inter iſtius aquæ frigefactæ particulas ſive globulos detineri percipias; ſi modò velles experiri veritatem rei per iſtius aquæ deſtillationem : nam quamvis hæc aqua, cui incoctum fuit argentum vivum, limpidiſſima ſit, ac ſi nihil alieni in ſe contineret ; verùm tamen ſi deſtillaretur leni calore per cucurbitam vitream, magnam quantitatem argenti vivi in fundo iſtius Vaſis relinquet, quam priùs in minima diſpartitam , atque inter globulos ſuos fluitantem retinuerat :

Fortior

Fortior adhuc foret argumenti ratio, ſi partes argenti vivi per coctionem in ſpiritu vini ſubtiliſſimo ſeparatæ fuerint, & commiſcerentur cum iſto ſpiritu, atque detinerentur : Nam ſubtilitas iſtius ſpiritûs, ad aëris ferè tenuitatem redacti, non minùs admirabilem facit argenti vivi moram, quàm aquarum in æthere manſio videatur eſſe.

Nec mirum eſt argenti vivi partes à ſubtili ſpiritu ſuſpendi poſſe, cum ipſas in minutiſſima diviſas ab ipſo Aëre detineri probat, hoc quod ſequitur, experimentum. Cape quatuor aut quinque libras argenti vivi, & indantur phiolæ vel cucurbitæ vitreæ, luto benè loricatæ ad vim ignis ſuſtinendam; deindè in aperto aëre, atque in area, cujus ſolum pavimento vel lateritio vel lithoſtrato contectum fuerit ; ſimul & cucurbitâ perpendiculariter erectâ, deſtilletur , aut (uti loquuntur) ſublimetur argentum vivum, per fortiſſimum ignem , ſic videbis id omne ſuſtolli in aëra, & in eo detineri, ità ut nihil omninò recidat.

At ſi totum argentum vivum in minima divulſum, atque in ſublime vi ignis adactum, maneat in aëre , & ejus motui conforme reddatur, cur *aquas in Cœlo ſtantes*, (quibus nihil mirabilius exiſtimabat Plinius) ulteriùs mirareris? aut eas cum Maimonide non-ens eſſe crederes? Quippè ſi terram (quæ gravior eſt natura) immò argentum vivum (quæ eſt graviſſima) inter omnes aquæ partes hærere, & quaſi ſupernatare videas ; & ab aëre vel expanſo (corpore leviori tenuioríque) non aquæ & terræ ſolummodò, ſed & argenti vivi particulas ferri, circumrotari, diúque ſuſtentari rectè colligas ; cur non aquas in altiori cœlo manere poſſe, abſque omni difficultate, concedas?

Certè quidem ſi quis mente ſuâ recolat actiones naturæ, quas omni die conſpiciat; & mutuos amplexus elementorum, levitèr inquirentibus obvios, haud poſtmittat, facilè concipiet aquas, ſi ferantur in ſupremas regiones Cœli, ibidem detineri poſſe.

Et qui ſupponat accuratam eſſe rotunditatem atque lævitatem aqueorum corpuſculorum (quod congruenter agnoſcendis effectibus aquæ ſupponi debet) ille quidem non difficulter credat Abyſſi gyrationem primo die pœnè innumera corpuſcula aquea, (maximè quæ tenuiora fuerunt) unà cum particulis igneis ad oras extimas hujuſce mundi ſuſtuliſſe ; ibique *ſupremum cœlum* naturale

turale conſtituiſſe; plurima quòque ſecundo die ſimul cum longiuſculis in altum evexiſſe, ſcilicèt in eam regionem,quæ dicitur *expanſum* vel *cælum inferius* ; nec non & permulta deinceps, uſque ad hunc diem, ex hoc terraqueo orbe (jugiter exhalantibus aquis, & *expanſi* bractiis iſtas exhalationes evehentibus) in cœlum efferri ſolere: Et non ſine ratione concipiat, quòd aquæ veræ in ſupremo Cœlo jam conſiſtunt; & quomodò ad illud faſtigium Mundi conſcenderunt. Atque demùm credat aquas iſtas ſuperiores, quas expanſum dividit ab inferioribus, non aliquâ naturæ diverſitate ſeparatas atque diſtinctas eſſe ; ſed eſſe veras aquas, elementarium noſtrarum ſimiles; niſi forſan ab actione ac converſatione (ſi ſic loquar) igneorum corpuſculorum, ſublimiorem quandam facultatem nactæ fuerint.

Jam tandem, ut externam conſtitutionem, *aquæ* definiam, particulas ejus haud inſulsè vel inſcitè concipiamus eſſe *teretes atque rotundos globulos.* Eadem namque videtur eſſe ratio totius homogenei quæ eſt omnium ejus partium: Quamobrem quia videre eſt omnem conglomerationem aquarum eſſe ſphæricam; ac omnes aquæ guttas, (quibus non ſuppetit ea copia,ob quam diffluant) globulorum figuras induere ; Porrò quia notum eſt ipſum Mercurium vivum (quod fluidum eſt corpus) ſi diſpertiatur, in globulos extenuari; atque eandem,quod probabile eſt, humorum omnium conditionem eſſe, benè ſupponamus exiliſſimas *aquæ* particulas etiam teretes atque rotundas eſſe.

Cujus ſanè minima corpuſcula globulos eſſe, phyſicè conſiderantibus indicat eorum laxitas, & eximia tum per loca declivia; tum circùm ſua propria centra, volubilitas ; omnibus autem rei veritatem monſtrat aperitque ſanguinis circuitus, ubicunque motus ejus clarè cerni queat, ſcilicet in ea parte animalium, quæ tranſlucida eſt, & tranſparens ; ità ut minutiſſimæ liquoris ſanguinei particulæ curſim per exiliſſimos omnium venarum ramos itantes diſtinctè videri poſſint, ſi modò lectiſsima ad hanc obſervationem faciendam promoveantur microſcopia.

Quocircà quiſquis ità curioſus eſt atque diſcendi cupidus, ut nitatur per experimenta, (perfectiori microſcopio dioptrâve peracta) conquirere veritatem; rem ita ſe habere comperiet, quandò ſanguineum laticem per venas exiliſsimas animantium puſilliſsimarum celerrimè fluentem, adcóque in atomos, ab ipſa na-

tura pœnè redactum, globulos ſuos oſtendentem clarè videat.

Quod certò videbit quicunque rei veritatem per optima conſpicilia benè & ſolerter experietur in anguilla minutula, vel tenello gobio, vel in alio animalculo, cui vel totum corpus, vel aliqua pars ejus ſit tranſparens: Videbit utique ſanguineum laticem non eſſe, quod plurimi ſentiunt, uno veluti filo continuum, ſed per rotundas particulas, è quibus conſtat, innumeras ferè diſtinctum. Videbit etiam particulas iſtas, ſive globulos, quoad magnitudinem, adinſtar minimorum glandium ſclopetariorum; quoad colorem verò tanquam cryſtallinos & aqueos repræſentatos: etiamſi cognoſcat eos eſſe rubellos; & non multò majores atomis eſſe conjiciat: Quippè tam tenues & exiles ſunt extremi venarum atque arteriarum rami (quos iſtæ particulæ tranſeunt) ut eos in majoribus animalibus haudquaquam videat; in minimis antem vix mentis acie diſcernat: Quis enim in tenerrima vel *anguilla*, vel *apua*; vel in minutulo *fullone*, (quem dicunt *vermem auricularem*) multò minùs in *acaro*, quàm tenuia ſint iſta venarum filamenta, quæ ſanguis permeat, imaginari poteſt.

Certè quidem neceſſe eſt, ut horum omnium ſanguis in circuitu ſuo ſineret partes ſuas diſpartiri in minutias haud exprimendas, niſi diceres eas in atomos ferè verſas eſſe. Quas quia catoptræ noſtræ globoſas eſſe produnt, iſtam figuram partibus hiſce naturalem ac intimam eſſe meritò concipias. Et quod de ſanguine dictum eſt, de aqua pariter intelligi debet; ab eadem namque figura provenit utrique ſua volubilitas. Et ſi conſulatur experientia, compertum erit magnam partem liquorum omnium eſſe aquam; immò & totam ferè liquorum molem in aquam verti poſſe: Ut minimè dubitari debet, quin minimarum partium figuræ ſimiles omninò ſint, & liquori Sanguinis & Aquæ.

Profectò ſi minimæ fiſtulæ, quales ſunt illæ venarum capillarium, per artem parari poterint, & aqua per eas fluere cogeretur, optimè crederemus exiliſſimas iſtas aquæ particulas, quæ pertranſirent haſce fiſtulas, etiam globoſas eſſe viſuras, æquè ac particulas ſanguinis: Cujus quidem globulos, ad magnitudinem minimorum glandium ſclopetariorum, celeritèr & diſtinctè circumeuntes, mihi ſæpenumerò monſtrârunt inſignia quædam microſcopia, cunctorum (quæ mihi videre unquam licuit) accuratiſſima, quæ dædala manus ingenioſiſſimi Mathematicorum Inſtrumento-

rum

rum concinnatoris Edmundi Culpeperi [f] conſtruxit : Ea certè res omnes tam mirè auctas amplificatáſque viſui noſtro repræſentant, ut ſi vel *acarus*, vel illud animalculum quod cernitur aliquandò repens ſuper acari dorſum, tranſparens fuerit, facilè crederem, vel in eo quoque circulationem Sanguinis, ſimul & ejus globulos circueuntes (etiamſi fuerint ad exilitatem atomorum pœnè redacti) clarè per illa perſpici poſſe.

[f] Cujus officinam ad agros vulgò dictos *Morefields* ſitam, magnus ille dux & imperator Muſcoviæ dum velut *incognitus* inter Anglos degeret, propter ejus elegantes atque perfectas operas, inviſere ſæpe non dedignatus eſt.

Liceat & hoc addere (pro meritis viri ſagaciſſimi, qui non tantùm parat elegantiſſimè, ſed & ingenio ſuo commentus eſt catoptras, & magis commodas atque magis utiles ad omnia perſpicienda, quàm quas unquam vidi) ſi microſcopia Culpeperiana ſciviſſet Democritus, aut (qui mille annos ante illum diſſerebat de Atomis in Sidone) Moſchus, & eorum ope feciſſet experimenta ſua, prorsùs exiliiſſet ; ſeque viam videndi atomos inveniſſe proclamâſſet.

Ut rectè concludamus, hâc ratione internam atque intimam conſtructionem Aquæ dignoſci poſſe; nihilque veriùs in aquæ natura concipiendum eſſe, quàm ut læves atque rotundæ, tranſlucidæque particulæ circùm propria ſua centra moverent, atque adeò cuncta quæ ſolent aquæ tribui, perficere valerent.

Uſus aquarum, præter eos quos Vulgus obſervat quotidie, ſunt, *Primo*, ut per modum vehiculi transferant ea terreſtria ſulphura, quæ fluvii toto terrarum orbe ſparſi, ſimul & pluviæ, deferunt in maria, porróque ad oras centralis ignis; ut ei fovendo nutriendóque deſerviant. Nam quoniam ignis ille, ex inſtituto Creatoris, ſe quotidie diffundit atque diſſipat, ut halitus & calores ſubterraneos indeſinenter excitaret; neceſſe erit ut tandem deficeret, ni perennis quidam fomes, ei redintegrando deſtinatus, præſtò eſſet. *Secundò*, Ut per Expanſum diſperſæ cunctas aſpirationes cœleſtes in ſe reciperent; eaſque per *rores* aut *pluvias*; vel per *grandines* atque *nives* ſecum deportarent ad terrarum orbem,ut rebus omnibus, quæ in illo exiſtunt, vitam atque vigorem, ſecretáſque vires & proprietates impartirent.

Et præter eos effectus Aquarum, per quos Deus hominibus ſuam benevolentiam monſtrare ſolet ; alii perinſignes exiſtunt,in quibus ejus ira ſcelerum pœnas exigit:Omnes aquæ profectò,tam quæ

Superiores à Moſe dicuntur, quàm quæ ſunt *Inferiores*, juſtitiæ Divinæ manifeſtandæ palàm deſervierunt. Illæ nimirùm, quæ ſunt in Orbe terraqueo, vel in Nubibus (quippè inter inferiores annumerari poſſunt *aquæ nubilæ*) per violentos imbres, atque particulares inundationes; at *quæ ſunt ſuprà cælos*, conficiebant illud Univerſale Diluvium, quod Deus olim in terrarum orbem induxit,
[g] Gen. 6. 7. ut *deleret hominem de ſuperficie Terræ* [g].

Multi ſcio, talem Inundationem, qualem Moſes deſcribit eam *generalem* fuiſſe, à ſupra-cæleſtibus aquis fieri nullo modo potuiſſe credunt, quoniam, ut aiunt, id à Cœlorum natura ſubtiliſſima læviſſimáque ſemper abhorruit, ut aquarum pondera, ſuprà ſe ferrent, aut ſuſtinerent in ſe.

Quocircà, propterea quòd viderent nec à nubibus (*in quibus*
[h] Job 26. 8. *Deus ligat*, & pendulas facit *aquas* [h],) nec à ſubterraneis iſtis receptaculis (quæ S. S. nonnunquam vocant *Abyſſos*, & *Theſauros* aquarum) nec à marinis aquis, ſat aquarum ad obruendam terram pro narratione Moſaicâ ſuppeditari potuiſſe, cunctos ingeniorum ſuorum nervos intendebant, omnia navabant ſtudia, ut invenirent quoddam velut compendium Perditionis univerſæ, remque ſuam minori quantitate Aquæ peragerent: Quod tamen ut efficerent, talem ſibi finxerunt terreſtris hujuſce globi fabricam, quæ nullo modo, vel cum Coſmogonia Moſaica, vel cum phyſica ratione conveniat. Prout evidentibus argumentis alibi monſtratum eſt.

CAPUT

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De terra Chaotica & Elementari.

QUanquam divinus ille philoſophus Moſes per vocabulum ארץ *erets* terram communiter intelligat; attamen in principio Geneſeos (ubi dedit Coſmologi ſenſum, potiùs quàm hiſtorici) videatur per eam vocem materiam viſibilis hujuſce mundi denotâſſe: vel, ut ſanctus Auguſtinus optimè rem declaravit, omnium rerum, quæ mundum conſtituerant, ſemen.

Primò quidem conjugabat hoc verbum cum vocabulo שמים *Shamajim*, ſecundùm uſum Hebræorum, ut unà deſignaret univerſam illam materiam, ex qua Cœlum & Terra (ſimul & omnia quæ in illis exiſtunt) mirificè facta fuerunt: Mox autem, quia materia, quam tractabat, fuit craſſa atque immota particularum moles, (altero vocabulo, quod ei compar fuit, omiſſo) ipſam appellat *terram* ſolùmmodò, quam craſſa iſthæc congeries corpuſculorum, ſi quid aliud, maximè referebat.

Hanc idcircò materiam (quam Græci dixerunt Chaos) antiquiſſimi Sapientes aſſimilabant *limo*: (idque *tum* ob ipſius rei rationem,

tionem, quippè craſſa & immota erat; *tum* ob impoſitas appellationes, eam namque Moſes & *terram* dixiſſet & *aquas*) Undè Philo-Biblius, Græcus interpres Sanconiathonis, eam vocem Phœniciam, per quam Gens illa Mundi materiam primam nuncupabat, ἰλωὶ (quæ Græcis fuit *limus*) reddebat. Non quòd Phœnicium vocabulum, quod materiam primam notabat, *limum* quoque reverà ſignificaret: ſed quia Phœnicium illud nomen, Græcorum ἰλωὶ ferè ſonabat.

Nam veriſimile eſt Mundi materiam primam à Phœniciis (prout etiam ab Hebræis) philoſophis dictam fuiſſe חול *hhiul*, quod tamen apud eos, non *limum* ſignificabat, ſed *arenam*[a]. Sed Græcus interpres, cùm vellet illud nomen (prout aliàrum quoque Gentium verba tractare ſolent Græci) ad ſuæ linguæ formam atque ſonitum, quaſi tornando, vertere, reddebat ἰλωὶ, id eſt, *limum*: Dignúmque ſibi videretur iſtius verſionis argumentum habuiſſe, quia primam materiam tum à philoſophis Ægyptiis, Hebræis, Phœniciis; tum à veteribus etiam Græcis appellari *arenam*, *pulverem*, *terram*, nec non *aquam* vocari adverteret, ideóque illam non immeritò rem ἰλυώδη eſſe judicaret.

[a] Vid. cap. 4.

Probabile eſt etiam Syros & Ægyptios ad prædicandam rerum omnium materiam primam, vel idem omninò vocabulum cum Phœnicio *hhiul* חול, aut cum Arabico هيولي *hiule*, vel illis ſimile quoddam promovîſſe: Undè evenit, ut Græci Scriptores aſſerant tum Syros tum Ægyptios materiam primam dixiſſe ὕλω, *hylen*. Quod quamvis apud Græcos *materiam* in communi ſignificet, apud Ægyptios interim, atque Arabas & Syros & Hebræos atque Phœnicas, id quod formam vocabuli τῆς ὕλης ſuis interpretibus exhibuit, fuit vel ſimile vel cognatum quiddam prædictis, quod atomos, vel particulas exiliſſimas indicabat.

Interim verò manifeſtum eſt primam hanc materiam à philoſophis aliarum Gentium, (quibus vel hiſtoria Moſaica, vel traditio vetuſtior id indicaverat) *terram* fuiſſe dictum. Quippè non à recentioribus iſtis phyſicis Philolao atque Xenophane ſolummodò, ſed & à Coſmologis etiam vetuſtiſſimis id ipſum dicitur. Hoc ſatis liqueat ex illis verbis Orphei, Mundi principia tractantis, quæ citat Timotheus Chronographus: Ea etenim clarè probant eum putâſſe, quòd idem à Moſe intellectum fuerit per *Terram*,

cujus

cujus in initio Creationis fit mentio, quod per *aquas*, & per *Abyſſum*, ſupra quam caligo fuiſſe dicitur: Ità ſcilicèt expoſitè ſonant Orphei verba, ἡ γῆ ὑπὸ τῆς σκότους λῶ, ἀόρατος, τὸ ὃ φῶς ῥῆξαν τ' αἰθέρα ἐφώτισε πᾶσαν τ' κλίσιν, id eſt, *Terra* (ſcilicèt Abyſſina vel Chaotica) *præ tenebris erat inconſpicua, ſed lux æthera perrumpens atque dividens, totam illuminabat creationem.* Quod explicatè concipiendum eſt tunc factum fuiſſe, cùm Deus ignem ſimul & lucem juſſiſſet fieri; eo etenim tempore per Abyſſi (vel aquarum) motum, quem Dei ſpiritus excitaverat, ejus exiliſſimæ ſubtiliſſimæque particulæ (pro lege Totius motûs circularis) magnâ parte volvebantur ad ſuperficiem, atque extimo ſpatio Totius occupato, craſſioríque materiâ versùs Univerſi medium detrusâ, conſtituebant *orbem Empyræum*, vel (quod idem eſt) *æthera:* Qui cùm fuerit igneus, adeóque luminoſus, omnem creationem, ſaltem quoad ejus extima, protinùs illuminabat.

Hæ verò lucidæ particulæ ab Orpheo dicuntur æthera perrumpere, vel dividere, quatenùs illæ, diſcuſſâ materia craſſiori, atque versùs centrum adactâ, viderentur illud ſpatium, quod vocatur æthereum, rumpere & ab inferiori dividere.

Hanc ipſam quoque doctrinam, quæ fuit Orphei, tanquam generalem decantat Heſiodus, qui *terram* ante æthera, ante lucem, ante Oceanum, atque antè omnia fuiſſe memorat. Immò certè quia Moſes (ut Hebræi ſolent) *Cœlum* atque *Terram*, velut ἰσοδύναμα, *æquè potentia* (vel idem ſignificantia) conjunctim ſumit, & ad rerum Univerſitatem exprimendam promovit, Heſiodus inde, prout veriſimile eſt, ſumpto argumento, in ſua Coſmologia ſtatuit οὐρανὸν eſſe ἴσον γαῖᾳ, i. e. *cœlum eſſe compar*, vel *æquale terræ.*

Porrò quò manifeſtior ſit primus iſte uſus vocabuli *terræ*, Moſes ea ſubinde pronuntiat de hac terra, quæ rectè niſi de prima rerum omnium materia dici non poterant: ait enim terram eſſe *Tohu* & *Bohu*, id eſt, *rem informem* & *vacuum.* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet. Terra erat rudis ac indiſpoſita minutiſſimorum corpuſculorum moles, interſperſa vacuolis innumeris. Vide Caput de Rerum Principiis.

Huic antiquæ veritati perinſigne teſtimonium tulit Pherecydes Syrus, vel (ut Docti ſentiunt) Hebræus; qui *primam terram* (nam duplicem hanc agnoſcit, quam Moſes tam ſignatè prædicabat ter-

ram)

ram vocabat χθονίαν, eò quod confusa, vasta, atque horrenda res illa fuit: Quicquid enim vastum, informe ac horrendum fuit, veteres Græci χθόνιον appellabant.

Hæc ipsa terra, sive materia prima statim à philosopho nostro dicitur *Abyssus*: non quòd eâ voce, tanquam intento digito, rerum principium esse aquas monstraret, (ut multi putant) Undè & Ἄβυσσον etiam dixerunt πλῆθος ὕδατων *aquarum multitudinem*: sed ut rei magnitudinem atque profunditatem, simul & caliginem denotaret: Non sum nescius quòd vox Hebræa תהום *tehom* apud sacros Scriptores indicet aquas Maris, & omnes aquas profundas; interim, verò sciri oportet eandem, non secùs atque Græcam vocem ἄβυσσον, quâ LXX. interpretes hic utuntur, omnem profunditatem, sive sit Aquæ, sive Terræ, significare solere. Istamque vocis Hebrææ notationem confirmari per ista vocabula, quibus Arabica lingua (quæ est Hebrææ filia vel dialectus, & sæpiùs Hebræis vocibus interpretandis inservit) Hebræorum *tehom* vertit, nempè غمر & لج *Gamron* & *Logghon*; quæ materiæ multitudinem atque profunditatem notant. Græci ergò satis explicatè docent Ἄβυσσον, *abyssum* esse id quod διὰ τὸ πολὺ βάθος, id est, *præ immensa profunditate suâ* videatur fundo carere. Sed expressiùs enuntiant, quid per vocabulum *tehom* significabat philosophus, quando docent interpretando ἄβυσσον esse τὸ πολὺ βάθος τῆ πρώτη στοιχείε, *multam profunditatem primi elementi*; scilicèt *atomorum*, sive *particularum minutissimarum*, quæ non solùm à Democrito & Empedocle; sed & à Pythagora, à Moscho Sidonio, ac ab omnibus antiquissimæ philosophiæ magistris habebantur elementum rerum omnium, quatuor elementis prius.

Terram verò *secundam*, quæ est una ex elementis hujusce mundi perfecti, prædictus Pherecydes appellat χθῶ; *illudque nomen ait ei datum fuisse* à Deo, *posteaquam Deus ipsam decorâsset*; hæc enim sunt illius verba, χθονίᾳ δ' ὄνομα ἐγένετο γῆ ἐπειδὴ Ζεὺς αὐτῇ γέρας δίδοι, id est, *Chthoniæ nomen terræ imponabatur, postquam Jupiter* (i.e. *Jah pater*) *ipsi decus & honorem dedisset.*

Priorem terram, quam vocant, non propriè sic dictam fuisse constat ex ipso Mose, qui affirmat expressè terream hanc materiam, quam calcamus, non appellatam fuisse *terram*, priusquam separatis in suo ordine cæteris elementis, terrea corpuscula concreverant,

creverant, & *aridam* conſtituiſſent; Nam tunc primùm Deus hanc materiam vocabat terram (quam philoſophus noſter antèa metaphoricè tantùm ſic dixiſſet) eamque inſigniebat majori honore, quàm qui in cætera elementa collatus unquam fuit; Dignitas iſtius honoris partim à Moſe, partim ab authore libri de Jobo clarè profertur, æternæque mandatur memoriæ per ea quinque, proximè quæ ſequuntur, gloriæ monumenta. Quorum

Primum eſt. Cùm Deus, iacto quaſi lapide angulari, fundâſſet terram, (hoc eſt, quando juſſit terrea corpuſcula coire, & concreſcere in aridum globum, his verbis; *congregentur aquæ, quæ ſunt ſub cœlo in unum locum, & appareat arida*; Gen. 1. 9. quippe eâdem operâ, quâ convenerunt aquea, coibant etiam terrea corpuſcula) *canebant ſtellæ matutinæ, & omnes filii Dei jubilabant:* Job 38. 7. Filios Dei fuiſſe Angelos ſummâ conſpiratione docuerunt omnes ferè literati: Et non dubito quin ſtellas etiam matutinas (ſi modò calluiſſent eam philoſophiam, quam Moſes per notiones ſuas applicabat ad rerum Geneſin) explicatione declarâſſent fuiſſe lucida iſta corpuſcula, quæ (triduò ante quàm ſtellæ in expanſione Cœlorum factæ erant) primum mane conficiebant, prout à me, (ſed modeſtè) conceptum eſt in cap. de opere tertii diei. Nam ſi corpuſcula iſtæc ſubtilia (quæ primùm ſeparata fuerunt ab Abyſſo, atque primum Cœlum, primumque diem conſtituebant) prima luce fulgerent; & biduo poſt etiam *terram* fundatam colluſtrarent; (prout explicatum eſt in eodem capite) aptiſſimè dicerentur eſſe illæ matutinæ ſtellæ,quæ ſimul cum Angelis quaſi lætâ voce canebant,Deumque jubilantes laudabant, quando angularem ejus lapidem poſuiſſet.

Secundum eſt. Quòd Deus tertio Die ſic locârat fundâratque tellurem, ut Sol, & Luna, ſyderaque omnia, non modò lumen ſuum, ſed & benignas ſuas aſpirationes in illam, tanquam in centrum projicerent; eique promptiùs atque paratiùs ſemper inſervirent. Hanc ſedem in principio terræ datam fuiſſe, non tantùm à philoſopho noſtro concipitur; at etiam ab aliis hagiographis, qui *columnas & baſes*, ac *fundamenta* terræ celebrant; qui ejus orbem ita firmatum eſſe aſſerunt, ut non commoveretur, at in æternum ſtaret. Quique idcirco Deum, quem dicunt *obambulare cœlos, ſuper ambitum terræ ſedere* tradunt [b] nimirum ut quietem

[b] Iſai. c. 40. com. 22.

quietem terræ in loco ſuo ſignificarent. Quam ob cauſam quoque ſapientes Ethnici ſolebant *Opi* (ſic namque *terram* dixêre veteres) *ſacra* ſua *ſedentes* facere : Et cùm figuratè perhibuerint *Jovem*, cum ſole & cum cæteris diis Deabuſque, *curru ſuo Cœlum circumire*, *Veſtam* (quæ phyſicis, ut loquuntur, theologis eſt *terra*) ſolummodò *manere domi* fingant. [c]

[c] Vid Platonem in Phæd.

Nec deſunt rationes, quæ rei veritati conſentientem hanc doctrinam commonſtrent, (quas alibi dedimus) aut autoritates, quæ id ipſum perſuadeant : Nam præterquàm quòd Ariſtotelis & Ptolemæi ſenſus idem, eædemque de terræ ſitu traditiones fuerint ; & Pythagoras ipſe, (ob quem fruſtrà gloriantur Heraclidis Ponticì, vel Ecphanti ſectatores,) expreſsè doceat ✻ κίνεισθαι σφαιροειδῆ μέσην θέσιν ἔχειν τὴν γῆν, καὶ αὐτὴν σφαιροειδῆ ; καὶ περιέχεσθαι. *Mundum rotundum in medio ſuo continere terram, quæ & ipſam globoſam eſſe & circum habitatam.* [d] Illis multò vetuſtior, & qui ipſos Ægyptios inſtituebat aſtronomus, Abrahamus longè priùs Cœlum atque ſolem circà terram volvi docuit, prout ex antiquiſſimo Orphicorum Scriptore liquet [e]

[d] Diog. Laert. in ejus vita.

[e] Hunc citat Clem. Alex. ſtrom. V. & Euſeb. l. 13. c. xii. & ex Eſai. forte c. 51. 2. (vel ex Hecatæo qui ſcripſit Abrahami vitam) ſcriptor ille didicerat Abrahamum vocare Unigenitum.

Οὐ γάρ κεν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μοναρχούς τις ἀπρήκτου φύλας ἀνάσσει
Χαλδαίων. ἴδεις γὰρ ἕλιον ἄσχετο πορεύης
Καὶ σφαίρης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα εἰς θέσιν ἄλλην
Κυκλοτερὲς, ἐν ἴσῳ τε κατ' σφαῖραν κραδάαν.
Nemo illum novit mortalia cuncta regentem
Unicus ille niſi Chaldæo ſanguine cretus.
Novit enim ſolis quà ſe Aſtrum lege rotaret
Et circùm terram magnus ſe volveret orbis
Æqualiſque teresque intùs ſita circumplectens.

Quibus appareat hanc ipſam fuiſſe Abrahami doctrinam, vel ipſo longè vetuſtiorem, & quam didicerat ab Aſſyriis. Aſſyrii namque primi omnium à diluvio philoſophi fuerunt, & Aſtronomi primi ; ab Arphaxade primitùs eruditi : Illi autem terram in medio locabant ; & ſolem quoque circumferri docebant, unde inter Oracula Chaldaica legimus hæc effata,

[f] Vid. Stanl. hiſt. phil. Orientalis. l. 4. c. 6. & 8. & 19.

Ὅυεγὰς ἅρμα θεὸς ἀέιδιον ἐλάσσυσιν
Καὶ ταχὺς ἠέλιος ἀεὶ κέντρον ὅπως ἐθὰς ἔλθῃ.
Cœlum ut currat, curſum æternum trahèns
Et celer Sol circà centrum, ut aſſuetus veniat.

Hæc

Hæc ergo ſi Abrahami fuerit, & Aſſyriorum doctrina, meritò quidem Semi atque Noachi, cunctorumque veteris mundi Patriacharum quoque ſapientia cenſenda erit; adeòque (ſive eorum ſcientiam per diuturnas obſervationes acquiſitam, ſive per continuas ab Adamo traditiones acceptam ſpectemus) perfectior veriorque reputanda. Maximè cùm cæleſtia phœnomena omnia per motum ſolis, æquè ac per ipſius in centro mundi ſitum quietemve ſolvi poſſint. Sicut in Optica cuncta benè ſolent explicari, ſive ſpecies ab Objectis immitti, & in oculos imprimi; ſive radios oculorum ad objecta progredi, & viſionem per *extramiſſionem* (prout loquuntur) fieri concipias.

Tertium eſt, Quòd Deus in medio telluris *ſolem* quendam, nempe *centralem*, quem vocant, *ignem*, particulis eiſdem omninò, quibus cæleſtis ille, conſtantem ſic diſpoſuerat; ut in tertio die vegetationis opus elegantiſſimè perfectiſſiméque per ſuas influentias abſolveret, priuſquàm Deus unam atque alteram particulam ad condendum ſolem cæleſtem confluere juſſerat: Quamvis etenim Deus ſolem cæleſtem non ante quartum diem per accitas undique particulas igneas (tum ex iis, quæ cœlum empyræum conſtituebant, quàm quæ erant per expanſum diſperſæ) fecerat; attamen ad opes & ornamenta terreſtris hujuſce globi promovenda, terreſtrem hunc ſolem per ſimiles omninò, ſcilicet igneas atque ſubtiles particulas [g] in primo, vel ſaltem in ſecundo die coactas in meditullium, parabat: Ut poſteaquam terreſtria corpuſcula, per viam atque rationem prædictam [h] concreviſſent, & aquea in unum locum congregata confeciſſent *aridam*; centralis hic ignis ſive ſol per aſpirationes ſuas in plantas, ſeminibus adhuc incluſas, influeret; alendo proliceret; atque ad ſuperficiem terræ promoveret: Adeòque non modò per majeſtatem arborum montes ejus, antea ſublimes, excelſiores grandioreſque; ſed & ipſius valles & campos, per elegantiam florum atque fructuum, magis glorioſos redderet. Et omnia quæ ad terræ decus & honorem ſummè conducerent, anteà perficeret, quàm Deus ignea corpuſcula ad conſtruendum ſolem cæleſtem, convocari cogique voluit.

Quartum eſt. Quòd Deus terræ viſcera ditabat theſauris & opulentia mineralium atque metallorum, in quibus ſenſim ac pedetentim fabricandis, ſuam miſcebat operam centralis ignis: Quippe non in initio rerum creabantur metalla (de quibus ergo

[g] Vid. cap. de opere tertii & quarti diei.

[h] in cap. de opere tertii diei.

nulla mentio fit in hiſtoria creationis) nec (ut animantia ſimul & vegetabilia) de ſemine producebantur (quicquid in contrarium ſentiant dicantve ſapientes Hermetici) ſed è terra, per utroſque ſoles, tam terreſtrem, quàm cœleſtem, lenitèr atque ſenſim diſpoſitâ, atque apparatâ, gradatim facta fuerunt.

Quintum eſt, Quòd tellurem tanto honore conſpicuam; tali ornatu ſplendidam; tot etiam copiis inſtructam Deus implebat incolis inſigniſſimis; non illis ſolummodò, quæ mirificâ ſuâ fabricâ Dei benignitatem, ſapientiam atque omnipotentiam (quamvis inſenſilia ſint, & muta) quotidie celebrant atque decantant, at illis etiam, qui tam generalibus, tamque mirandis dotibus excellunt, ut eorum unuſquiſque Μικρόκοσμος id eſt *parvus mundus* appellari meritò poſſit, & ſoleat; & qui, non modò per Dei manus efficti, ſed & ad ejus ſimilitudinem formati fuerunt.

Hæc ea dignitas eſt & gloria, quam *Terræ*, memorante Pherecyde, Jupiter, id eſt, *Jah*, pater noſter, impertiebat.

Si theologicè prædicanda fuerit terræ dignitas & præcellentia, nihil potuit ampliùs, nihil elatiùs in ejus honorem proferri, quam quòd *Filius hominis*, qui Deus eſt, & cœlos atque terram fecit, ipſe ad terram deſcendere, & ſumptâ ſibi carne ex eodem luto, ex quo mortales omnes efficti ſunt, ibidem morari per plures annos haud dedignatus ſit: at at ſublimiores ſunt hujuſmodi rationes & theoriæ, quàm quæ nunc ad humi laudes ſummitti debeant; & ſatis antehâc ſuperque dictum eſt, quò minùs æquus æſtimator rerum tot dies inſumptos terræ adornandæ perficiendæque nequitèr invideret; (prout nonnullus mente temerariâ ſe invidere profitetur) aut eâ re prudentiam Moſaicam, Divinamque ſapientiam redargueret; aut ipſam terram tanquam rem miſellam & deſpicabilem, vel naturâ cœleſti viliorem cenſeret.

Certè non eſt in intimo Cœli corpore quid adeò præcellens (quanquam ſubtile ſit admodùm, atque per lumen ſuum quod ſpargit undique, perjucundum ac glorioſum corpus) ut ei natura terræ cedere debeat; cùm non differant à materia; ſed à particularum ſuarum tantùm magnitudine & figurâ: quibus quidque conſtitutionem, quam habet, acceptam refert. Quæ terram conflant particulæ, quia cohæreſcunt inter ſe, & aliæ alias apprehendentes continuantur, copioſam conſtituunt atque ſolidam naturam; Cœli verò tenuitas arguit paucitatem materiæ potiùs

quàm

quàm præſtantiam: at quæ terræ craſſitudo vocatur, denſa eſt ac conferta copia: Nec ei denſitas imputari debet, quamdiu omnes agnoſcunt phyſici, non minùs divitem eſſe eam tincturam, quæ lapidem *granatum* reddit craſſum & obſcurum, quàm quæ (multò paucior exiſtens) in *rubino* ſplendet.

Id quod in Sole cœloque celebrat, & quod pleno ore laudat, atque miratur populus, eſt eorum tenuitas & ſplendor, atque blandus calor; quæ tamen æqui ſagaceſque phyſici minimè perfectiori materiæ, ſed exilitati ſuarum partium, atque earum agilitati tribuunt. Et facultates illæ mirificæ, quas affatim habent, (quaſque liberè dies atque noctes circumquaque diſtribuunt) idcircò fruuntur, ut eo pleniùs perfectiúſque *telluri* ſervirent.

Ut eam ſcilicet illuminarent, & calefacerent, atque fœcundarent; ut ejus innatum calidum, ſimul & humidum illud, quod dicitur, radicale, foverent. Et ut omnes illas vires atque proprietates (uti loquuntur) ſpecificas, quas ſydera parant, & veluti cudunt in telluris uſum, ad ejus globum dimittant.

Ut non mirum ſit, quòd Deus ipſe, qui de perfectione operis ſecundi diei ſilet; ac opus primi diei, nec non & quarti, ſemel tantùm bonum eſſe pronuntiabat; Opus interim tertii diei, quo tellus adornabatur, bis profectò (repetitis elogiis) bonum eſſe declarabat.

Nec ulla exiſtat ratio cur Ἀστρόλατροι noſtri (quibus amore ſolis atque ſtellarum nimiùm flagrantibus exaruit ac veluti ſyderatur æqui judicii ratio) moleſtè ferrent; ac eâ re quoque Moſem redarguerent, quòd ille Cœlos atque ſolem, ad uſum atque ſervitium terræ natos doceret: Hoc tamen, ut eò ſonantiùs & expreſſiùs indicaret ſapientiſſimus ille philoſophus, ſolem ſemper שמש *ſhemes*, id eſt, *ſervum* vocat, quamvis alia tunc apud Hebræos fuerint nomina, *chammah* ſcilicèt & *cheres*, quibus ſol appellari ſolet.

Multi fortè minùs ad res phyſicas attinere iſtiuſmodi præconia judicent; ea tamen adhibenda cenſui: Et quod reliquum eſt officii vel muneris aſſumpti, ſpero me probè ſatis obiturum fore, ſi Terræ generalem naturam, nonnullaſque peculiares affectiones clarè & breviter explicarem: Quod ut præſtarem, Moſaicæ que doctrinæ veritatem, quoad ea, quæ ad terram ſpectant, elucidarem

cidarem ; neceſſe eſt, ut primæ vel (quod idem eſt) abyſſinæ materiæ ſtatum atque rationem, priuſquàm particulæ, per motum à ſpiritu Dei factum, aliæ ab aliis ſejungi ſepararique cœpiſſent, diſtinctiùs enarrarem : Sed cum rei conditio longiſſimè remota ſit, valdèque retruſa, magniſque ſilentii tenebris involuta, vix tentanda eſt ejus explicatio, niſi per fictas atque ſuppoſitas quaſdam notiones.

Quocircà non dubitem, quin Lectores facilè condonabunt mihi proferenti tres illas hypotheſes, *Primò*, materiam abyſſinam fuiſſe immenſam particularum omnigenarum congeriem ; ipſas utcunque particulas fuiſſe laxas, atque vacuolis interpoſitis, undique diſtinctas ; *Secundò*, præviam quandam fuiſſe diſpoſitionem iſtius materiæ ; *Tertiò*, ſimiliarium quoque particularum concretionem factam fuiſſe priuſquam ſingulæ particulæ ad elementa ſua propria conficienda concurrere potuiſſent. Hæc eò fidentiùs ità ſtatuenda concipiebam, quia tum philoſophus noſter Moſes, & alii Hebræi, tum veteres etiam Græci videntur ea ipſa ſuppoſuiſſe, nimirum *duplicem* fuiſſe *concretionem* materiæ primæ, prout ad alia Elementa, ſic etiam ad terram conſtituendam : *Simplicem* quidem, & *compoſitam.*

Simplicem voco illam, per quam Abyſſi particulæ (cùm fuerint à Deo commotæ, & hic illic variè concurſarent) ſimiles cum ſui ſimilibus ſe conjungebant, & aptè cohæreſcebant ; ità ut hæ particulæ, *ignea* ; illæ *aerea* ; aliæ, *aquea* ; aliæ, *terreſtria concreta* facerent : Hæc ſimplicia concreta, quamvis adhûc imperfecta, ad quatuor ea inſignia rerum omnium Elementa, conficienda ſic parata, beneque diſpoſita fuerunt : Simplicia vero dicuntur, utpotè quæ particulis omninò ſimilibus inter ſe conſtaſtabant :

Et facilè porrò concipiendum eſt hæc ſimilaria concreta, ſpeciminis ergò, *terreſtria* per motum ſuum continuatum, ſuamque concurſationem promptè coiiſſe, atque *terræ*, quod dicimus, *Elementum* conflâſſe : Quod pariliter etiam de *igneis*, *aeriis* ac *aqueis eſt dicendum :* Quæ eſt ea ſecunda Concretio, quam dixi *compoſitam.* Et pluſquam veriſimile eſt (quia doctrina corpuſcularis id efflagitare videtur) duplicem hanc materiæ primæ concretionem vetuſtiſſimæ ſapientiæ patronos, qui ex atomis omnia conficiebant, haud latuiſſe ; verùm potiùs ipſorum aſſertione probatam

probatam fuiſſe, communique præceptione phyſicâ divulgatam. Mihi certè vix ambigendum eſſe videtur, quin ſi eorum Scripta, veræve notiones phyſicæ, vel à temporis injuria, vel ab Ariſtotelis invidia ferè deletæ, recuperari poſſunt, ab omnibus haberemus eandem omninò de duplici concretione materiæ primæ ſententiam, quam ſapiens Anaxagoras exhibuit. Cujus ὁμοιομέρη quidem fuerunt ſimilares iſtæ particulæ, quas dixi *ſimplices* atque *primas concretiones*; Et ex mente iſtius philoſophi, non aliud præ ſe ferebant, quam quòd ignis, ex igneis; aer, ex aereis; aqua, ex aqueis; & terra, è terreis particulis in principio generata fuerit.

Satis aperta fuit mens Anaxagoræ, quanquam mirè pervertatur ab Ariſtotele; qui *ſimilarium* particularum doctrinam, ſenſu abſurdiſſimo indutam, riſui tradit, ità ut hunc philoſophum, (quem antiquorum omnium fuiſſe optimum declarâſſet) [i] vanum atque puſillum reddendo, ſeipſum porrò magnifaceret.

[i] Quippe Anaxagoram præfert aliis philoſophis tanquàm ſobrium ebriis.

Secundam concretionem materiæ primæ *compoſitam* vocavi, non quòd prima concretio non è multis particulis fieret (nam facta erat ex illa confuſa particularum multitudine, quæ fuit prima rerum omnium materia) ſed quòd multis elementis etiam conſtaret; quippe dum corpuſcula primæ concretionis, verbi gratiâ, terreſtria convenirent, & inter ſe cohæreſcerent, involvebant unà partes aliorum elementorum; quas huc uſque, magis aut minùs retinuerunt: adeò ut ab ipſa formatione rerum omnium, nullum omninò ſimplex extiterit elementum, quod non elementa cætera quoque participabat. Nec etiam nunc exſtat, prout certâ experientiâ compertum eſt.

Hanc Elementarem terram (ſive ſimplicem dicas, ſive compoſitam) nonnulli conſtare corpuſculis cubicis exiſtimârunt, ut terreæ naturæ ſegnitiem, vel firmam quietem notarent: Eamque opinionem aſcribunt Pythagoræ ac Platoni; [k] certum eſt autem Platonem figuras corporeas non niſi perfunctoriè tractâſſe: Qui cum mirè deamaret, pænèque deperiret Idearum doctrinam nunquam de corpuſculis ſeriò philoſophari potuit. Et vix dubitandum eſt quin Pythagoras, qui partim à Phænicibus, partim ab Hebræis, aut ab Arabibus (cum quibus diù verſatus fuit) aut ab Ionicis, per atomos & corpuſcula philoſophari didicerat, perindè ac earum Gentium philoſophi, non unum quoddam, ſed diverſa

[k] Vid. Plutarch de plac. Philoſ. l. 2. c. vi.

diverſa figurarum genera conſtitutionem terræ elementaris ingredi crederet ;

Omnes autem veteres Atomiſtæ concipiebant ad concretionem terreæ materiæ feciſſe non tantùm corpora variis modis angulata, ſed & ea, quæ facies (aut ſedes) planas habebant, quæ ad omnem concretionem neceſſaria videntur.

Nam quanquam concipiamus multa corpuſcula eſſe *vel* hamata, vel uncinulata, quibus velut inſtrumentis terreæ partes inter ſe connectantur, aut quieſcendo cohæreant ; *vel* ramoſa, quibus irretiantur invicem ; ac ità concreſcant : Illa tamen haud exiſtimanda ſunt eſſe minima corpuſcula, quæ erant prima materia, ſed quæ ex aliis, anteà concretis exiſtunt.

Primam verò concretionem non niſi per naturale quoddam cæmentum fieri cenſendum eſt ; & naturalis iſtius glutinis aut cæmenti vicem ſupplere planarum ſuperficierum contactum ; per quem tam firmiter adhærent corpuſcula, ut divelli non poſſint ullâ vi, niſi quâ franguntur, veritas opinionis abundè liquet ex adhæſione duorum planorum beneque lævigatorum marmorum, quæ ſi rectè ad ſe invicem admoveantur, ita figi videntur ac adunari, ut vix ullo modo ſeparari poſſint.

Firmum & pertinacem hunc contactum præſtant paucitas & exilitas interſtitiorum, quæ ſunt inter partes ſuperficierum, quæ ſe tangunt : Nam quò plures partes ſuperficierum ſeſe tangunt, eò firmior earum concretio ſit oportet ; ad compoſitionis etiam ſtabilitatem conducit exiguitas intervallorum vacuorum : Quia quò pauciores expanſi particulæ ſuperficieculas ità conjunctas interveniant, eò tardiùs atque difficiliùs iſtas, (aut ſuâ vi ſolâ, aut adjuvante actione aliquâ externâ) divellant ; remque ipſam diruant ; Quippè quamvis expanſum vel Aer totum orbem terrarum, quem ambit externè, per ſua corpuſcula diſpanſiva comprimat & conſtringat, adeòque in ſuo ſtatu continet, ac quodam modo firmat ; attamen illa ipſa corpuſcula, quotacunque poros ineunt, ipſius partes atterendo dirimere paulatim nata ſunt : Quorum motui actionique maximè tribuendi ſunt omnes omnium ferè concretionum caſus ac interitus, niſi qui per vermes fiunt.

At quamvis ab Aere præſertim fiat interitio rerum ; cuncta tamen elementa in ſe invicem agunt, mutuæque ruinæ ſuas veluti

luti manus præbent: Ut non tam ſtabilis & firma res ſit Terra, vel quodvis aliud elementum, quod non per agitationem atque vim aliorum elementorum ſenſim teri ac comminui; vel aliqua ratione mutari, ac in aliud verti ſolet.

Immò ſat manifeſtum eſt quotidinam naturæ operam nunc eſſe, ſemperque fuiſſe, ut unum cum alio commutaret: Ut veriſſimum ſit illud Dictatum Οὐδὲν οὕτως φιλεῖ ἡ πᾶσ ὅλων φύσις, ὡς τὸ τὰ πάντα μεταβάλλειν καὶ ποιεῖν νέα ὅμοια id eſt, *Natura Univerſi in nullo ſe delectat magis quàm in mutando omnia atque iterùm ſimilia faciendo.* Id quod in omnibus elementis etiam per artis induſtriam præſtari poteſt. Sic non modò Solaris ignis, (qui per radios undequaque diffuſus eſt) at etiam flamma ignis culinaris per naturam (ut & per artis opem) terra fiat: Hoc aduſtio laterculi in fornace laterario; nec non Antimonii calcinatio per radios ſolis evidenter indicat; Quatenùs utrumque per combuſtionem, (quanquàm multæ partes inter urendum per halitus atque fumos evolant) haud contemnendum augmentum atque pondus accipiunt; particulis igneis in ambuſta re detentis, adeóque in terreſtrem naturam verſis.

Neque ſcientiæ chemicæ peritos lateat hæc Solaris ignis in terram verſio, cùm varias res ſiccas ita parare ſolent, ut illæ magnetico ritu Solis radios, etiam ferventiſſimos, attrahant, atque retineant, ità ut pondus egregium ſiccumque lucrari poterint: Multòque minùs hermeticos ſapientes, qui magnam partem ſuæ tinctura phyſicæ, flammæ ignis acceptam referunt.

Terra ipſa, (priùs attamen in ſalem verſa) tota poteſt in aquam verti. Et aqua puriſſima per longiſſimam tædioſiſſimamque deſtillationem ſine ulla additione, vel ulla pænè diminutione fiat *Terra alba.* [1] Nec mihi dubium eſt quin aer etiam tum per alias vias, tum per agitationem violentam, partiumque ſuarum concuſſionem, (qualis eſt ea, quæ fit per tonitru, & quæ fit per exploſionem Bombardarum; præſertim illarum quæ ſolo aere mirè compreſſo implentur) ità frangatur comminuaturque, ut ejus fractæ minutiæ, vel ad ſeipſas poſteà, vel ad alias particulas adjunctæ & affixæ de novo conficiant, aut aqueas, aut igneas, aut terreas fortè concretiones. Quas, quia jam graviores exiſtunt, vis aeris elaſtica ad terram propellit.

[1] Vid. cap. de Aqu. Chaot.

Quippe vix concipiam terrea concreta ſuopte ingenio centrum petere, niſi pellantur; nec in eo reſidere, niſi impediantur, quò minùs procedant: Nam in Centro eſſe vim aliquam vel rei gravioris attractricem ſive retentricem; vel in re ipſa exiſtere affectionem neſcio quam centri petam nulla adhuc ratio nos coëgit, ut ſentiamus; præſertim quia generalis cujuſdam compreſſionis atque pulſus argumenta comparent: Ità ut rectè credi poſſit, non tantùm gravia per externam vim protruſa deſcendere; ſed & levia quæ videntur altum petere, non eò ſpontè tendere, ſed violentèr ferri ac ſuſtolli, per elaſticam, prout loquuntur, aeris aut expanſi vim propulſa.

Quanta autem pars mundi ſit expanſi regio; quibus ea particulis conſtat; & quo Motu cientur iſtæ particulæ in cap. de Opere ſecundi Diei, & in cap. de Cœlo inferiori ſatis explicatè dictum. Ubi fictione quadam phyſicâ ſtatuo particulas iſtius Cœli cunctas eſſe *longas*; omneſque circùm propria ſua centra continuò gyrari; adeóque peramplum ſibi ſpatium requirere, quo ſe diſpandant; eodemque opere (quo ſe diſpandunt) omnia quæ circundant, tam cœleſtia corpora, quam terreſtria, conſtringere; ſimul & omnia, quæ incidunt in orbitas ſuæ motionis, aut ſurſùm pellere, vel deorſum trudere ſoleant: taleſque veluti machinas efficere, dum gyrantur, ut per eas, hæc ad ſydera levent, alia interim deprimant; haud ſecùs ac per extremitates alarum *ventimolæ* fit. Vide fig. ſecundam.

Hæ longæ particulæ, quæ conſtituunt tenuem atque raram naturam, quam Moſes *Expanſum* vocat (& quæ ſibi vendicat omne illud ſpatium, quod eſt inter terram & cœlum Empyræum vel æthereum) *tum* ſydera omnia quæ circumcingunt, vi ſuâ diſtendenti conſtringunt, ac intra limites ſuos continent; tum terraqueum hunc orbem comprimunt, ejuſque partes omnes circunquaque verſus centrum detrudunt; ipſumque prout veriſimile videatur, in loco ſuo, quem tenet ad Mundi centrum, detinent atque ſiſtunt.

Immò certe credibile eſt inſignem illam vim & compreſſionem, quam in hunc globum nunquam non exerunt expanſi particulæ, fortitèr ab initio prohibuiſſe, ne *centralis* iſte *ignis*, quem Phyſici non ſine magna ratione prædicant atque decantant, clauſtra ſua perrumperet, ſe diſſiparet, totiuſque terræ compagem turbaret.

Ignis

Ignis hujuſce mediterranei (ſi ità loquar) doctrina niti videtur haud vanâ fictione, ſed *tum* Moſis ipſius autoritate, qui docet, quòd tertio die *cum nondum pluerat ſuper terram, vapores exſurgebant de terra, ac irrigabant totam ſuperficiem terræ:* Quæ ſatis manifeſtò ſignificant ingentem quendam calorem vel ignem ſubeſſe, qui id quod fluidum, fuit in terræ viſceribus, agitaret, attenuaret, indéque vapores excitaret: *Tum* naturali ratione, quia Foſſores intra terræ penetralia reperiunt fumantes vapores; & quo profundiùs effodiunt, eò calidiores eſſe iſtos vapores ſentiunt.

Eruptiones ignis è terra, quæ multis in locis accidunt; ſive montes ignivomi, vel fontes calidiſſimi, quæ frequentes exiſtunt, (haud infiteor) nihil argumenti ad veritatem centralis iſtius foci demonſtrandam ferunt; quia compertum eſt cunctos iſtiuſmodi calores igneſve de terra prorumpentes, à ſulphurum atque ſalium quorundam coitione conflictuque oriri ſolere. Verùm tamen illuſtre indicium centralis iſtius ignis capiat philoſophus à calidis iſtis halitibus, quos illi ſentiunt, qui altè fodiunt terram; maximè quoniam (prout dictum eſt) quò profundiùs effoſſa fuerit tellus, eò calidiores halitus fodientibus exhibeat.

Obj. Sin hæc redarguat aliquis aſſerendo vigilem atque perennem hunc ignem, quem vehemenaer ardere in meditullio quidam ſomniant, diu in eo loco ſubſiſtere non potuiſſe, *tum* præ defectu ſpiraculorum, quæ admitterent aerem ad flammæ quaſi vitam fovendam: *tum* ob inopiam materiæ quæ illum ignem, exſpiratione perpetuâ decreſcentem, continuò reſtitueret.

Reſp. Promptum erit omnia benè conſideranti reſpondere, ſatis eſſe rimarum per terræ profundiſſima diſperſarum, ſatque pororum apertorum, qui aerem excipiunt, à quo centralis ignis ſpiritum ducat, & ſufflari poſſit: Nec deſunt inſignes effectus, qui Aeris in regiones terræ profundiſſimas ingreſſum probant; Quippè tam neceſſarius eſt ingreſſus Aeris ad omnem fermentationem atque motum ferveſcentem, ut abſque illo, non modò centralis ignis extingueretur, ſed & omnes ignes caloreſque ſubterranei quicunque ſint, propediem reſtinguerentur; halitus omnes ilicò languerent, atque deficerent; & nulla unquam vel mineralium vel metallorum generatio fieret.

Multis adhæc animalibus ſua domicilia præbent inteſtina telluris, quibus obtecta, & velut altè ſepulta, degunt: Immò nonnunquam reperiuntur viva animantia in ſaxis omni terra communi longè compactioribus incluſa, ubi plures annos vixerunt.

Ipſe audivi à viris fide dignis, qui rem factam ſe vidiſſe affirmabant, ſcilicèt è meditullio magni ſaxi, de quadam lapidicina villæ Hedingtonenſis dictæ (quæ propè abeſt ab Oxonio) foſſi, & per ferram diviſi, Bufonem vivam concluſam, in cella non multùm majori corpore bufonis, apparuiſſe: Saxum illud aſſerebant eſſe integrum, nec niſi poris, quos habent omnia ſaxa, pervium:

Veriſimile eſt iſtam bufonem ſe immerſiſſe in hanc terram, priùs quàm ſaxeam duritiem contraxerat; ibique per multos annos, forſitan ætates, ſepultam manſiſſe: Quod tamen abſque aere hauſto vix credendum; niſi quis ſupponat, foramen aliquod in Corde iſtius bufonis exſtitiſſe, per quod ſanguineus liquor circulum ſuum ad munia vivifica præſtanda, ſine inſpirato aere, perpetuaret. Hoc autem ut exiſtimemus non neceſſe eſt, cùm videamus haud pauca animantia terreſtria ſe communiter in terram ingerere, atque in ea, profundiſſimis quaſi foſſis, obruere; diuque vivacia latere; ea attamen è latebris ſuis eruta, atque inditas Antliæ aereæ, quamprimùm ab illis abſtrahatur aer, ilicò mori.

Quæ manifeſta ſunt indicia terram aeri perviam eſſe, ejuſque ſtrata denſiſſima compactiſſimaque ab illo penetrari ſolere. Ut minimè dubitandum ſit, quin ad ignem quoque centralem pertingat aer; eumque ſuo flatu ſuſtentet: maximè cum ſubtilis iſtiûs ignis naturæ fovendæ, ſubtiliores partes aeris ſufficiant.

Sed quia, prout aliis omnibus, ità, & huic igni Centrali ſuſtinendo, non aer tantùm, ſed alimentum quoque ſulphureum requiritur, opus eſt ut indicetur illud promptuarium, undè ſua tanquam demenſa quotidiana recipiat iſte ignis. Quod quidem ſatis planè videtur eſſe *mare*; per cujus aquas abundè proviſum eſt à Deo, ne deſit ei fomes idoneus dies noctesque ſuppeditandus.

Nam quià Marinæ aquæ magnâ ſalis atque ſulphuris etiam copiâ redundant; ſuàque naturâ tendunt versùs fundum, quem pondere ſuo, longè magis quàm littus premunt, & quia per ipſius

ſius rei naturam comparatum eſt, ut quod ſulphureum eſt in marinis aquis, magnâ parte ſubſideret, aut fundum peteret, erit ſemper in vicinia atque in promptu, congruens, ac copioſum pabulum, quod *tum* per illud ſepimentum craſſæ materiæ, (quo vallari centralem ignem concipio) *tum* per ſabulum quoddam vivum, quod nonnulli Quellem vocant, tranſmitti ad centralem ignem ſolet.

Quippe non ſine magnâ ratione credi poſſit, quod ab ultimâ antiquitate ſuppoſuerunt phyſici, qui diu in mineris inveſtigandis occupati fuere, nempe profundiores regiones terræ abundare immensâ quantitate *Sabuli* (quod vivum dicunt) aquis immixti; Cujus ingens quoddam pelagus exiſtere credunt non procul a Centro terræ: nec non aliquibus in locis ejuſdem quaſi rivulos uſque ad ſuperficiem terræ protenſos inveniri.

Hoc ego *Sabulum* non poſſum non exiſtimare ſemper fuiſſe conſtans illud atque perpetuum cribrum, quo natura ſub fundo Maris ſecernit Sulphureos humores, quos ad centrum demittit, ut ignem iſtius loci foveret. Quanquam partes aliæ telluris etiam ſoleant aquarum marinarum Salia percolare, atque dulces aquas ad ſuperficiem pro fontibus excitandis conſervandiſque remittere.

CAPUT

CAPUT DECIMUM NOVUM.

De Iſraelitis Ægyptiacis.

Syllabus. I. *Iſraëlitas Ægyptiacos* alii *calumniantur tanquam rudem ignarum atque tantùm non brutum Populum, ut religionem Moſaicam derideant*; alii, *ut ejus philoſophiam, quam tantummodò rudibus Iſraëlitis accommodatam putant*; *excuſatam faciant.* II. *Probabile eſt Iſraëlitas Ægyptiacos fuiſſe Gentem docilem atque doctam.* III. *Abrahami ſapientiam & diſciplinam talem atque tantam fuiſſe, ut ſeros etiam nepotes attingeret.* IV. *Ipſamque non tantùm religionem & bonos mores, at ſcientias etiam propagâſſe.* V. *Idem feciſſe Iſaaci diſciplinam.* VI. *Et Jacobi.* VII. *Et aliorum filiorum Abrahami*; *qui videntur diu tenaces fuiſſe diſciplinæ traditæ.* VIII. *Jacobum non tantùm in terra Chananæa, ſed & in Ægypto (quamdiu vixit) inſtitutionis ſuæ veteriſque diſciplinæ curam habuiſſe.* IX. *Inſignes effectus iſtius diſciplinæ manifeſtè cernis in ſapientia Joſephi.* X. *In Iſacharæorum ſcientia.* XI. *In magna ſapientia quatuor filiorum Zerachi.* XII. *In egregiis artificiis omnigenis tam fœminarum quàm marium Iſraëliticorum, exeuntium ex Ægypto.* XIII. *In tota Gente Iſraëlitica comparata cum vicinis & cognatis ſuis, quos eadem ferè documenta formaverant.* XIV. *Plebem Iſraëliticam in Ægypto ſic inſtructam fuiſſe, ut mundi geneſim meliùs, quam Rabbini poſteà, ſcirent.* XV. *Exprobrationem Iſraelitarum Ægyptiacorum eſſe atheam quandam rationem diffamandi religionem.* XVI. *Servitutem Ægyptiacam facultates Iſraëlitaram delere non potuiſſe.* XVII. *Servitus Ægyptiaca, quâ ratione gravis habebatur.* XVIII. *Quâ non.* XIX. *Servitus illa vix inducta fuit ante Mariam natam.* XX. *Quid induxit eam.* XXI. *Non diu ſæviit.* XXII. *Plebis Iſraëliticæ conditio*

(*exceptâ*

(exceptâ trucidatione maſculorum infantum, quæ tamen haud diu perſtabat) non pejor fuit illâ vulgi Ægyptiaci. XXIII. *Veriſimile eſt Iſraëlitas habuiſſe ſacerdotes, in ipſa ſervitute, liberos.* XXIV. *Et templum vel ſacras ædes.* XXV. *Iſraelitarum ſervilia opera ante reditum Moſis, in Ægyptum fuiſſe levia.* XXVI. *Quos Pharao tanquam ſubditos ſuos, ſic tractabat, ut ipſi Iſraëlitæ ſe benè habuiſſe in Ægypto ſentirent.* XXVII. *Magnam igitur eſſe eorum vel ignorantiam vel malitiam, qui cunctis Iſraëlitis Ægyptiacis inſcitiam atque ſtupiditatem communiter exprobant.* XXVIII. *Cùm certum ſit illos fuiſſe gentem ingenioſam, variis artibus & ſcientiis, haud minùs quàm ipſi Ægypti, vel aliæ Nationes, eminentèr inſtructam.* XXIX. *E quibus ſumma defenſionis ſuſceptæ pro Iſraëlitis Ægyptiacis uno aſpectu cernitur.*

I. Quamvis iniquiſſimi Judices haud infiteantur Moſen (modò non ſint vitæ ſapientiæque Moſaicæ penitùs ignari) perhabilem & idoneum fuiſſe, qui rerum initia deſcriberet; utpote quem magnis ingenii viribus ornatum, ſummiſque, prout aliarum artium, ſic etiam Phyſiologiæ notitiis inſtructum fuiſſe non dubitent; interim tamèn haud agnoſcent eum in ſuâ Geneſi concipiendâ digerendâque, vel minimam habuiſſe Naturæ conſiderationem; nec tenuiſſe rerum in initio productarum ordinem; verùm neglectis omninò Philoſophiæ regulis, ſemet & ſuas notiones omnes ſubmiſsè humili atque perhebeti ſenſui iſtius rudis, & (ut nequitèr & inſcitè loquuntur Athei) tantùm non bruti populi, quem ducebat; ut eò meliùs in eorum animos influeret: Hoc ſecretò ſuggerunt; hoc palàm pronuntiant; hoc in conviviis, in popinis, & in ambulacris ſuis inculcant; atque optimâ, quâ poſſunt, argumentorum ſpecie, cunctiſque nervis eloquentiæ probare contendunt: Id quod non Athei ac profligati duntaxàt homines ex ſuâ perditâ nequitiâ blaterant & obganniunt; ſed & (quod maximè dolendum eſt) nonnulli quidem docti probique viri per falſam atque vanam ſuam philoſophandi rationem (magiſtro Ariſtotele ſeducti) tanquam rem veram libentèr agnoſcere videntur.

Nam quia Generationem mundi, quam deſcripſit Moſes, hi boni viri nequibant ſic explicare juxtà doctrinam Philoſophiæ Peripateticæ, ut ipſam cum naturâ rerum, & cum rectâ ratione con-

concordem redderent; Moſen putabant, vel aliquid aliud, quàm quod literæ præ ſe ferunt, intellexiſſe; vel docuiſſe, quod ipſe nullo modò vel rei veræ, vel rectæ rationi conſentaneum judicaret; ſed quod ſuo populo, cujus fidem & obſervantiam captabat, veriſimilius eſſe viſurum crederet: Eum namque populum, quem tanquam ſtipitem & truncum deſpiciebant, optimé duci cenſebant illis argumentis, quibus obtuſi ſenſus amant palpari; non autem quibus acutæ mentes paſci atque moveri ſolent.

Nec aliter unquam purgari Moſem; neque crimen inſignis iſtius ἀθεωείας καὶ ἀφιλοσοφίας, quas imputant ejus Hiſtoriæ naturali, penitùs abſtergi poſſe affirmant, niſi per quandam quaſi συγκαθάβασιν *demiſſionem*, quâ Moſes, ut aiunt, humili animo (repugnante licèt altitudine clariorum ſuarum notionum) quaſi deſcendebat ad eam miſellam Gentem; Phyſicamque ſuam ad modulum tenuiſſimæ capacitatis illiûs accommodabat.

Eadem ferè commentari videntur & urgere prudentiores Athei, ſed diſſimili plané conſilio; nimirùm ut Moſen eò ſecretiùs atque ſecuriùs arrodant atque pungant; ipſamque religionem per ejus etiam latera penitiſſimè transfigant: Quià tantùm abeſt, ut Moſem ob iſtiuſmodi rationes excuſatum habeant; ut illum potiùs de vanitate ſuæ Phyſicæ Religioniſq; traditæ poſtularent; & ut profusè deriderent eam Philoſophiam, quam ſola inſipientium palata ſapiunt; ſpernerentque Deum, qui populum rudem atque ſtolidum præ cunctis habet ſibi pro *Dilecto*; & *tantùm non brutum* pro *Peculio*. Hinc argumenta ſibi deſumunt, hinc arma ſua Giganteia contra Deum cudunt homines impii.

Quamobrem, quia Philoſophi noſtri Moſis ſapientia phyſica apud ignorantes atque malevolos homines malè audit, ac ſi tantùm ad inſulſa auſcultantium palata, propter auditorum ſuorum ſtupidos ſenſus, itemque rudes & hebetes animos (ut obloquuntur) accommodata fuiſſet: Et quia Dei Majeſtas inter impios in contemptum venire ſolet ob ſtolidos (uti calumniantur) atque brutos ſuos cultores (nam probrosè tractant Iſraëlitas Ægyptiacos, tanquam *gentem inſulſam, ſtupidam, omni doctrinâ, ſenſu, atque intelligentiâ, omnique pænè humanitate vacuam, & tantùm non brutam*) operæ pretium erit (quod & Hiſtorici, ſimul & Theologi munus & officium eſt) diligentèr inquirere, num fuerit juſta occaſio, quam nonnulli tanquam anſam arripuerunt diffamandi,

diffamandi, vilemque reddendi populum iſtum, Deo peculiarem.

Hunc autem populum, quem ſacræ literæ de parentibus ingenioſis atque doctis ortum, perpetuiſque familiarum ſibi ſuccedentium memoriis ac diſciplinis eruditum, ſatis apertè ſignificant; quem Moſes ipſe variis artibus inſigniter inſtructum affirmat: quemque Gentium doctæ recordationes etiam Mathematicis artibus & Aſtronomiâ particulatim; cunctiſque reverà ſcientiis (quibus Græcia poſtea floruit) ornatum memorant; [a] cui etiam, dum viveret Moſes, artes Mathematicæ vulgares erant; & vetuſtiſſima Philoſophia benè nota; [b] quemque demùm naturâ ſuâ Philoſophum eſſe docti quidam viri multas abhinc ætates celebrati ſenſerunt. [c] Hunc inquam, Populum jam à nonnullis hominibus, nullo pudoris aut Juſtitiæ fræno coercitis, omnibus infamiæ ſimul & inſcitiæ nominibus oneratum eſſe, ſuperâſſet omnem fidem, niſi palàm ſcriptis atque ſermonibus, extrà omnem dubitationem poſitum fuiſſet.

[a] Vide Megaſthenis verba quæ citat Clem. Alex. Stromat.

[b] Vide Philonem in L. Euæſt & Clem. Alexan. Strom. p. 306.

[c] Vide Prophyrii L. de Abſtinentia ab animalibus.

II. Quicunque certè mente ſuâ recolet, quales Iſraelitarum Progenitores fuerint; & æquâ judicii lance perpendet omnia naturæ ſimul & Artis Educationiſque momenta, quæ grandem hanc familiam, dicam an Gentem, circumſtabant, ab Abrahamo uſque ad ejus exitum ex Ægypto; facilè credet nullam fuiſſe in eâ ætate Nationem, cui Patrum doctrinis inſtituendæ, plùs quàm Iſraeliticæ, conſuleretur: Neque porrò conſtabit, per ullas ante, vel aliquot ſæcula poſt Moſem ſcriptas, vel traditas ore memorias, quin ea Gens, illo ipſo tempore, quo illam nonnulli tanquam ſtupidam, & inſulſam, atque omnibus numeris imperitam ſugillant, cùm vicinis gentibns Arabibus utique vel Idumæis atque Phœniciis, & indole, & ingenio, ſimul & eruditione ſuâ belliſſimè concertaret.

Mon dubitandum eſt quin Iſraëlitarum multi fuerunt rudes & hebetes: Nec ulla natio tantâ unquam felicitate frueretur, ut nullas haberet *ſues*, quod aiunt, *Bœoticas*; cùm in ipſis Athenis non defuerint homines adeò craſſæ Minervæ, ut in aere Bœotico nati viderentur: Raro tamen accidit, ut generoſi parentes haud alti, vel ſaltem præſtantis ingenii prolem relinquant; maximè quando, præter dotes & inſtrumenta Naturæ, ſolers ac prudens Diſciplina paritèr acceſſerat: ob quam quidem nulla Gens apud antiquos Iſraeliticâ beatior unquam fuit.

III. Abrahami ſapientiam atque Doctrinam nulla ætas non agnovit; nulla non celebravit; nec poteſt ipſius accuratiſſima diſciplina, vel negari à quopiam vel in dubium vocari; cùm Deus ipſe de illâ tam ſublime teſtimonium ferre dignatus ſit. *Novi eum* dixit Dominus, *quod præcipiet filiis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Jehovæ; & ut faciant juſtitiam acque judicium.*

Notum eſt poſteros omnes Iſraëlis appellatos fuiſſe *filios*, atque *domum Iſraëlis*, eâdemque ratione Poſteros Abrahami, domum atque filios ipſius extitiſſe, quibus præcipiebat poſt ſe, ut cuſtodirent viam Jehovæ: Via autem Jehovæ eſt *trames ſapientiæ; quæ eſt rerum divinarum atque humanarum, cauſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia.* Quocirca non immeritò credamus Abrahamum (qui tum Divinâ, tum morali, tum naturali ſcientia prædítus fuit) non modò religionem, & bonos mores, ſed & Phyſicam (forſitan aliarum quoque bonarum ſcientiarum vias) edocuiſſe. Quod certum eſt hunc Patriarcham, tum in filii ſuis, tum in familiis inſtituendis egregiè præſtitiſſe.

Cum verò patris Abrahami præcepta plena atque præclara fuerint; & ſummâ ratione ſuavitateque dicendi (quâ condiri ſolent verba magni illius Patriarchæ) promota, penitiſſimè protinus in omnium animos influebant; atque per diligentem cultum fotumque Patriarchæ, fixas in illis radices agebant. Concipiendum eſt igitur, eam eruditionem atquè Diſciplinam, quas inſtituebat Abrahamus, haud fuiſſe unius hominis, aut atatis utilitatem ac gloriam; ſed inſignem quandam vivendi, diſcendi, docendique rationem, per aliquot ſæcula deinceps inter filios atque nepotes, tum filiorum, tum ſervorum ſuorum, vigentem florentemque: Nec aliquid minùs aut exiliùs indicant ea præcepta, quæ pater Abrahamus (ipſius Dei teſtimonio) dabat *familiæ ſuæ poſt ſe.*

At ſi Patriarcharum mores & inſtituta, necnon artes atque Doctrinæ ſeros ſuos nepotes attingerent, (præſertim cùm patris ingenium, mentiſque vires & habitudo ad filium, non minùs quam diſciplinæ derivari ſolent) non erit ulla fortè promptior, aut veriſimilior ratio dijudicandi facultates Iſraelitarum, qùam retroſpiciendo ad ingenium, ſolertiam, atque ſagacitatem ſuorum Progenitorum.

IV. Quo-

IV. Quocirca, Benigne Lector, non mihi difficultèr, utì ſpero, condonabis hanc digreſſionem quam facio, dum miſſis Iſraëlitis, Ægyptoque relictâ, *Mamren* adeam, ut pauliſper inviſam magni iſtius Patriarchæ familiam, dicam, an urbem, ipſiuſque præclaram eruditionem, ac Diſciplinam, quæ illius gravis, ingenioſi, ſapientiſque populi fundamentum fuit.

Inſtitutio paucorum, licèt eximia ſit (modo, quòd plerumque fit, in pejus ruat, aut deficiat) caduca erit & brevis ævi; ſed quæ multitudines & Gentes inſtruit, ætates durat. Que certè felicitas Abrahami fuit, qui per numerum familiarum, quas erudiit atque formavit, diſciplinam ſuam (quâdam quaſi traditione lampadis) transferebat ad familias longè per aliquot ſecula diſſitas.

Familias dixi, quia per domum Abrahami non poſſum non intelligere plures domos atque familias; quippe quod ingens iſte ſervorum famulantium numerus, qui penès hunc Patriarcham fuit, tot habitacula poſcebat, quot certè meritò non exiguæ civitatis ſpeciem nobis exhibeant: Et non dubitandum eſt, quin Hebræum בית *Beth*, quo vocabulo Moſes utitur, hîc notet non ſolem *Domum* pro *Domeſticis*; ſed & *unam* pro *pluribus*, immò pro *totâ gente* ſive *populo*; ut alibi *Domus Iſraëlis* atque *Jacobi* deſignat *omnes Iſraëlitas.*

Certum eſt Abrahamum, cùm è Charris exiret, tanto ſervorum numero ſtipatum veniſſe in Chananæam, ut in priſcis Hiſtoriis dicatur eduxiſſe exercitnm. Unde illud Nicolai Damaſceni a Citante Joſepho Antiq. l. 1. c. 8.

a Ἀβεάμης inquit ille, ἐβασίλευσε Δαμασκῦ ἐπήλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης, &c. id eſt *Abrames in Damaſco regnavit; qui Advena cum exercitu illûc venerat ex eas regione quæ ſupra Babylonem ſita Chaldæorum dicitur. At non multo poſt tempore cum ſuo populo etiam hinc emigrans pervenit in terram, quæ tunc Chananæa vocabatur, nunc autem Judæa dicitur; ubi & illi habitârunt, qui ab illo multiplicati ſunt. Abramæ autem in Damaſcenâ regione etiam nunc celebre eſt nomen, atque monſtratur vicus, qui ab illo dicitur Abramæ habitaculum.*

Nec dubitandum eſt, quin Abrahamus vir ille magnus e intra decem annos poſt ipſius ingreſſum in Chananæam, ſic auxerat bona ſua, ſic ampliârat familiam, comitatumque ſervilem, ut præter mnltos ſervos, quos vel emptos pecuniâ, vel conductos

e Ita à Berosо vocatur.

habuit, trecentos & octodecim vernas domi in tractandis armis inſtructos educeret; quibus ille quatuor Reges devicit adeòque terram, quam priùs Dei promiſſione tenuerat, jure victoriæ promerebatur. His ſi jungantur per recenſionem, Paſtores, Camelarii, Bubulci, Aſinarii, rebus emendis, vendendiſque Præfecti, ſimul & Diſpenſatores, Promicondi; ſeneſcalli atque alii Miniſtratores, quos œconomia tantæ multitudinis efflagitabat: Necnon varii generis Artifices (quippe non credible eſt, quòd tanta familia, quæ toties ſolum vertebat, non ſuos etiam ſibi proprios Artifices haberet) Porrò etiam ſi fæminæ cum puellis omnibus accenſerentur numero, tantam prorsùs hominum frequentiam congregatam cernemus, quanta ſatis magnam civitatem conflabat. Cùm verò tanta fuerit Abrahamo ſervorum turbâ, cui benè & fideliter inſtituendæ gnaviter incubuit, concipiendum eſt hanc rem agi non potuiſſe tantùm per privata documenta, vel per umbratilem duntaxàt eruditionem, ſed per Lecturas publicas in Scholâ ſuâ habitas (nam ut Semi, & Heberi, ſic & Abrahami Scholam prædicant antiqui) in quâ benè concipiamus hunc Prophetam regium, non modò populum ſuum, ſed & Cananæos, Amorrhæos alioſque foris adventantes edocuiſſe: Quâ de re vix ambigi poſſit, cùm per ipſa verba, quibus Moſes utitur, ad hanc Hiſtoriam pronuntiandam ſatis apertè monſtrata videtur Abrahami publica prædicatio; & conſtat ipſum adeò flagrâſſe Proſelytos adipiſcendi deſiderio, ut enixè conatus ſit omnes ferè terræ partes, ad quas acceſſerat, Deo dicare, & fidei ſuæ odore quaſi perfundere.

Nam quoties Abrahamus dicitur invocâſſe nomen Jehovæ, toties intelligatur prædicâſſe, vel publicè profeſſum eſſe verum Dei cultum. Quia verbum Hebræum קרא *kara* quod à Moſe adhibetur ad invocationem denotandam (unde ficta eſt Græca vox κηρυξ *præco* & *prædicator*; & κηρύτλειν *prædicare*) non eſt tantùm *invocare* & *clamare*, ſed & *proclamare*, & ſolenni more *prædicare*. Quo ſenſu Moſes & alii Prophetæ ſæpiùs induunt illud vocabulum, vide Exod. 33. 19. & 34. 8. Deut. 6. 13. Iſ. 40. & Joel 3. 8. Et nomen Jehovæ frequentèr apud Hagiographos notat cultum atque celebrationem Domini, unde (1 Reg. 3. 2, 3, 4.) populus omnis, & ipſe Solomon dicitur immolâſſe in excelſis, quia nondum ſtructum erat Templum nomini Jehovæ,

hovæ, id eſt, *cultui Jehovæ:* (et Iſ. 18. 7.) Mons Sion dicitur locus *nominis Jehovæ*, locus ſcilicet ubi preces & ſacrificia ſolenni ritu ſolent offerri.

Quocircà *Juſtus* ille, quanquam ſemper omnique loco Deum coleret & prædicaret, ſuamque familiam tum pietate, tum bonis moribus imbuere per prælectiones aſſiduè conaretur; verum tamen ubi migrâſſet à Bethele cum totâ ſuâ familiâ, & in *agro quercino*, vel *Elone* (qui propè abeſt ab urbe *Mamre)* tetendiſſet ſua tabernacula; non dicitur ibi proclamâſſe, vel invocâſſe nomen Dei; propterea quòd in eo loco non tam publicè, neque tam vehementer, uti ſolet, in Idololatras invectus ſit; actus, ut veriſimile eſt, eâ ratione, quòd Amorrhæi, qui urbem atque regionem Mamreanam tenebant, adhuc verum Deum profitebantur, & adorabant; non tamen omiſſam fuiſſe concipiamus eam Diſciplinam, quâ populum ſuum intra limites fidei, cæremoniaſque ab ipſo receptas detineret.

Nec opinandum eſt Abrahamum ſolummodò rectæ religionis authorem fuiſſe, aſſiduumque prædicatorem; ſed & Artium atque ſcientiarum Doctorem: Quem ſanè tanquam virum apprimè doctum, cunctâque Doctrinâ Chaldæorum (cum primis Aſtronomiâ) ſummè ornatum celebravit omnis Antiquitas: Quemque Veterum memoriæ primùm Ægyptios erudiiſſe ferunt; nimirùm quandò graviùs urgente fame in Cananæâ, deſcendiſſet in Ægyptum; atque in eâ ad quartum annum uſquè commoratus eſſet.

Id quod aſſertum habemus Eupolemi teſtimonio, (ab Euſebio, in Præpar. Evangel. citati) qui per autoritatem veterum memoriarum tradit Abrahamum familiariſſimè verſatum fuiſſe cum Sacerdotibus Heliopolitanis in Ægypto, atque ipſos edocuiſſe ſcientias, quas attulerat è Chaldæa: particulatìm verò ſcientiam cœleſtem, quam vocat Aſtrologiam.

Sin ipſius Charitas & benevolentia tanta fuerit, ut exteros & alienos, apud quos aliaqumdiu tantùm peregrinari contigiſſet, in ſcientiis inſtrueret; multò magis ipſum domeſticos ſuos artibus atque ſcientiis informâſſe, erudiiſſe, atque expoliiſſe credendum eſt.

V. Et porro concipiendum eſt inſignem íſtum uſum Abrahami, atque aſſiduam conſuetudinem præcipiendi familiæ ſuæ, certò

tò traductam fuiſſe ad filios atque nepotes ſuos; qui rectam Religionem atque Doctrinas vel Scripto, vel ore, traditas iiſdem quoque pietatis charitatiſque Muniis ad poſteros ſuos transferri curabant.

Ornatur Iſaacus hoc illuſtri Pietatis ac Phyſicæ contemplationis indicio, quod egrediebatur, ut ſolebat, ad meditandum atque ad orandum in Agro (Gen. 24. 63.) *Dei Templo peramplo atque Magnifico.* Quod veteres ei in more quotidiano fuiſſe tradunt: Et Paraphraſis Hieroſolymitana notat eum ſolitum adire Scholam magni Patriarchæ *Semi*, qui tunc temporis in vivis fuit. Aſt utrum id docendi vel audiendi tantùm causâ fieret ex Moſis Hiſtoriâ non liquet. Sed quia Moſes admodùm brevis eſt in memoriis ſuis, ità ut uno vel altero verbo totam ſæpiùs Hiſtoriam (quaſi tacitè) comprehendat, æquum eſt ut quicquid verbum Hebræum שוח i. e. *Suahh*, Gen. 24. 63. per quod Moſes Iſaaci exercitia quotidiana denotari voluit, amplitudine ſuâ nativâ complectatur, pro ſignificato veniat: atque idcircò quicquid per preces atque Meditationes, quicquid etiam per ſtudia contemplativa vel per exercitia colloquiave philoſophica ſubindicari poſſit, id omne ad Iſaaci laudes & encomia proferri debet.

Sed pluſquam veriſimile eſt Iſaacum, prout paternæ *benedictionis* atque *rei* poſſeſſorem, ſic & ejus item doctrinæ Diſciplinæque fuiſſe hæredem; atque familiam ſuam docuiſſe non tantùm privato & umbratili more; ſed & publicâ celebrique ratione, ac modo, ad exemplum patris ſui: Et elucere videtur Iſaaci pitas (per quam filios atque familiam formabat ad veram Religionem) & planè diſcerni ex eo, quòd Jacobus ſoleret ſanctè jurare *per timorem Partis ſui Iſaaci.* Unde, cum Labanus genero ſuo Jacobo propoſuerat Juramenti formulam, nempe *per Deum Nachoris*, qui fuit Idololatra; noluit Jacobus jurare niſi *per timorem patris ſui Iſaac* (Nam Deus eſt Timor populi ſui, Pſ. 76. 12.) per illum certè, quem à parte ſuo didicerat verum eſſe Deum; quem Iſaacus timebat & reverebatur; & filiis atque familiæ ſuæ prædicabat. Iſaaci quoque diſciplina atque doctrina (quanquam de illis ſileat Moſes, ut ſæpè ſolet multa inſignia præ ſtudio brevitatis) liqueat ex ea literatura, quâ diu floruit illa Gens (ſcilicet Idumæa) quam ejus filius Eſavus poſt ſe reliquit.

VI. Lauda-

VI. Laudatur eo etiam nomine Jacobus ab Hiſtorico noſtro, quòd fuerit *vir perfectus, & habitans in Tabernaculis*, id eſt, qui multùm dòmi manere ſolet contemplationis otio deditus; non ut deſes in tentorio jaceret, atque torperet inter cineres; aſt ut dòmi liberiùs ſe virtutis atque doctrinæ ſtudio devoveret. Unde Chaldaica Paraphraſis ipſum vocat *Miniſtrum Domûs Doctrinæ:* Et Interpretes Græci dicunt illum frequentâſſe *Scholas Heberi* atque *Melchiſedeci:* forſitan & (quod veriſimile eſt) ipſius Abrahami; eoque nomine dicatur habitâſſe in Tabernaculis.

Videtur certè Jacobus fuiſſe vir doctus atque ſtudioſus; ut aliarum Artium, ſic etiam Phyſicæ: Nam quamvis Moſes alia iſtius rei indicia præ miro brevitatis ſtudio prætereat, non leve tamen eſt illud Argumentum; quod ſumatur ab iſto egregio artificio naturali, quo Jacobus ingentem ſibi pecudum multitudinem, magnaſque divitias acquirebat (Gen. 30. 43.) quippe ni peritus fuiſſet Naturæ, benèque calluiſſet Imaginationis excitandæ roborandæque rationes; ni ſecretam itidem virgularum, quibus uſus eſt, vim atque proprietatem ſciviſſet; ſimul & aſtrorum virtutes, atque apta tempora ſcitè conſiderâſſet (quæ niſi à Philoſopho benè conſiderari nullo modo potuerunt) minimè ſibi procurâſſet *parvam pecudem punctulis reſperſam; & latis maculis interſtinctam; & punctulis reſperſam inter capras* (*quæ ſolæ fuerunt* ſuæ merces) tanto numero, tamque frequentèr ingenerari. Hoc, inquam, ſine Philoſophiâ peragi non potuit; tanti fuit ei Philoſophia! ut non ineptè poſſit huc afferri dictum illud Ciceronis: *Eſt in Philoſophi potentiâ dives fieri.*

VII. Obiter hic notari debet alios Abrahami ſimul & Iſaaci filios, omni Doctrinarum genere præditos fuiſſe; Quod ut facilè credamus, faciunt illæ artes & ſcientiæ, quæ longè ante Moſaica tempora maximè florebant in illis nationibus quas illi poſſederant: in Arabia ſcilicèt, in Idumæa, & Madiana: Quarum tum divina tum naturalis ſcientia ſacris atque profanis etiam memoriis celebratur: Et ex Hiſtoria Jobi ſatis claret. Cujus item cum Eliphaze colloquio docemur, qua religione, quantâ curâ & ſolicitudine ſemper ea gens (uſque ad Moſis ætatem) Patrum ſuorum præceptiones atque documenta ſervabant.

Sin Abrahami paritèr & Iſaaci filii nepoteſque fuerint ſcientes & eruditi; & pro Patrum Diſciplina præceptioneque porrò traducenda

ducenda ſoliciti ſemper extiterint; (prout ex Hiſtoria Jobi conſtat) qui concipiamus? quâ ratione fingamus Jacobi filios atque nepotes, haud eandem familias ſuas erudiendi curam ac diligentiam tenuiſſe? Cùm Jacobus ipſe vir bonus & eruditus fuerit; & quem Dei timor atque Literarum ſtudia ſic affecerant, ut non potuiſſet in familia ſua docenda atque optimâ Diſciplinæ ratione formanda, perindè ac ipſius Majores, tam in Ægypto, quàm in Cananæa non officioſus, & ſedulus, atque ſolicitus eſſe.

VIII. Ad hæc ſi Jacobus (ut per ſacra monumenta conſtet) ab ejus in Ægyptum deſcenſu ſeptendecim annos in eâ vixerit; extra omnem ferè dubitationis aleam poni debet, quòd toto hoc tempore propemodùm ſic præcipiebat, ſic agebat, & omnia ſic per conſilia ſtataſque rationes ordinabat, ut piam atque prudentem filiorum atque nepotum ſuorum diſciplinam, laudabilemque populi totius inſtitutionem à Majoribus acceptam, curæ ac adminiſtrationi eorum, quorum ea ex parte intererat; firmâ ſpe atque fidentiâ, committeret commendaretque.

Quod pro votis iſtius Patriarchæ, ſaltèm quoad artes & ſcientias, benè & feliciter eveniſſe credendum eſt, eò quod aliqua pars ſuorum filiorum atque Nepotum, qui cum illo deſcendiſſent è Terrâ Chanaan; quique pleniùs & clariùs ab ipſo fonte ſacræ ſimul & humanæ ſapientiæ latices imbibiſſent, longè poſt centum annos à morte Jacobi ſuperſtes exſtabat; &, prout veriſimile eſt mori ac conſuetudini Patris ſui ſervandæ religioſiùs invigilabat.

Non tamen exiſtimandum eſt, quòd boni Jacobi cura, vel diligentiſſima diſciplina quamdiù vixit in Ægypto, ità in omnibus filiis atque nepotibus ſuis inclinationes voluntatum refrænare, vel pravitates naturæ corrigere valebat, ut omnes bonos efficeret; ſicuti nec in Chanaana terra potuit: Credibile eſt autem continuam iſtam inſtitutionem, præcipiendique rationem, quæ viguit in Iſraëlis familia, cunctos ferè ſcitos ac artificioſos, aut ſolertes & dociles, traditionumque tenaces atque memores reddidiſſe.

Quod ad Jacobi filios atque nepotes attinet, etiamſi Moſes (qui ſtudens ſummæ brevitati, cuncta ferè tranſiit, vel leviſſimè tetigit, quæ ad ſuam intentionem præcipuam non ſpectabant) ſilentio

lentio prætereat eorum artes atque Doctrinas, quibus inſigniti fuerunt; haud tamen exindè concludendum eſt, illos artium atque ſcientiarum fuiſſe expertes, maximè cùm non deſint alia teſtimonia ſacra, quæ ſcitas Iſraëlitarum facultates indicant.

IX. Joſephum quidem Moſes celebrat tanquam *ſomniatorem divinitùs inſpiratum*; *atquè ut juvenem inſigni caſtitate præditum*; ſed ejus ſapientiam generalem tacet; quam tamen aliûs Hagiographi teſtimonia tantam fuiſſe pronuntiant, ut aulam *Pharaonis erudiret, & ſapientiam quoque ſenatoribus ejus inſtillaret.* (Pſalm. 105. 22.) quod quidem variæ, ſummæque ſcientiæ demonſtrationem fuiſſe non dubitabit, quicunque non ignorat quantum artis & eruditionis in ſe complectebatur Ægyptiorum ſapientia; & quod Hebræum vocabulum חכמה *Hhacmah* tàm humanam quàm divinam ſapientiam denotet.

Hinc idem ille Regius encomiaſtes, (Pſal. 105. 17.) ſacro carmine deſignans ejus venditionem atque deportationem in Ægyptum, affirmat Deum illuc miſiſſe איש *iſh*, i. e. *virum perfectum & ſapientem. iſh* vel *iſch* (à quâ vocabulum Græcùm ἰσχὺς) *virum fortem & nobilem* ſignificat; & communiter notat vires corporis, hic verò dotes animi potiùs indigitat, unde illam Chaldaica Paraphraſis optimè *ſapientem* reddit.

Quo velut indicio ſciendum eſt Joſephum non in Ægypto ſuam, quam habuit, ſapientiam (vel inter heri ſui miniſteria, vel inter Ergaſtuli timores atque ſervitia) didiciſſe; verùm in Cananæa per patris ſui diſciplinam ſapientem inſtitutum fuiſſe; adeò ut quanquam tunc Juvenis fuerit, verè tamen dicatur in Ægyptum *miſſus ſapiens.* Quatenus iſtæ radices ſapientiæ, quas in paterno ſolo, cultuque ſui patris egiſſet, tam citò creſcebant, atque matureſcebant, ut Ægyptii, vel paucis annis, ex eo fructus ſapientiæ carperent.

X. Nec dubium eſt de cæteris filiis Jacobi, quin illos etiam patris ſui doctrina, ac ſtudioſa diligentia; nec non *Abrahami diſciplina perpetua* doctos atque ſagaces effecerat: Certum eſt Iſſacharæos fuiſſe, tribum doctam atque ſapientem. Nec id Rabbinorum tantùm opinio eſt, ſed quod Sacræ literæ ſatis expreſsè claréque docuerunt. De illis nempe *multos* extitiſſe *viros eruditos, qui norunt ſingula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Iſrael.* [f] Ubi Eſdras, ſacri iſtius libri ſcriptor, haud tantùm ge-

[f] Paralip. 12. 22.

neralî præconio Tribûs hujuſce doctrinam laudat, ſed & ejus eximiam Aſtrologiam ſpeciatìm celebrat. Quos adeò callidos in illâ arte judicabat, ut non ſolùm valerent indicare ea omnia, quæ prædici ſolent ab illis, qui Ephemerides apud nos conficiunt; & qui ſtata per annum feſta deſcribunt, (ſimul ordinatis neomeniis, &, cùm opus fuerit, Emboliſmali menſe intercalario) & docerent, quibus temporibus annuatim ad Montem ſanctum ad offerenda ſolennia ſacrificia; atque ad immolandas victimas Juſtitiæ conveniendum erat; hoc enim fuit tacitè invitare & *vocare ad Montem*, quod Moſes, qui novit optimè facultates ejus Aſtrologicas, prædicabat illam Tribum acturam eſſe. [g] Et per inſignes hujuſce Tribûs notitias è libro Cœli ductas, audactèr animatos fuiſſe Iſraëlitas ad ſecedendum à Saulo ſeque adjungendum Davidi, ut *averterent regnum Saulis ad Davidem*, utpotè quæ felicem eventum, quatenùs eum per aſtra ſignificari voluit Deus, illis annuntiaret. [h]

[g] Deut. 33. 19.

[h] 1 Paral. 12. 32.

Hæc tamen haud ità intelligenda ſunt, ac ſi Iſſacharæorum ſapientia fuerit ſera, & non niſi poſt aliquot ætates acquiſita; cùm veriſimillimum ſit Iſſacharum à juventute ſuâ ſtudiis hiſce deditum fuiſſe, Eâque re vitam quietam ſcientiis addiſcendis aptiſſimam ſemper affectâſſe. Quod Jacobus ipſe de Iſſacharo filio ſuo videtur obſervâſſe, quando moriturus erat in Ægypto. [i] Ubi in illis ſtudiis proficiebat Iſſacharus, ita ut Moſes in Deſerto poſteà notaret Iſſacharæos, tanquam tribum doctam atque ſapientem; eorumque vitam quietam ac ſtudioſam commendaret. [k]

[i] Gen. 49.

[k] Deut. 33. 18. & 19.

XI. Nec de ſapientiâ quatuor filiorum Zerachi, ſcilicèt & Ethanis, Hemanis, Calcolis & Dardæ (qui erant nepotes Patriarchæ Judæ) quicquam profert Moſes, etiamſi pereximia fuerit, & à poſteris ſuis multùm celebrata; ità nimirùm ut eam, ſacer ille Scriptor, quicunque fuit Autor Libri Regum, ad magnifaciendam Salomonis Sapientiam aſſimulando adhibeat; ubi affirmat quòd Salomon fuit omnibus hominibus (ſcilicet Iſraeliticis) immò vel Ethane, Hemane, Calcole, atque Dardaho ſapientior. Quorum tres (equidem ſcio) à Scriptore lib. Regum dicuntur filii Maholis: non quòd non fuerint, filii Zerachi, ſed quià Muſicâ & cantu præſtantes fuerunt: Mahol enim (prout Hebræi cenſent) non fuit nomen proprium, ſed cognomen, a cantu, quo præcellebant, additum; & fuerunt (ut veriſimile eſt)

egregii

egregii cantores laudum Dei, ab ejus actionibus operibuſque deſumptarum; quas nemo rectè cantu, & carminibus exprimeret, niſi qui doctiſſimus fuit; atque ſapientiſſimus : Hos inquam ſimul & alios, quos ea Gens affatim habuit, ſapientes, ne minimo quidem verbo memorat Hiſtoricus noſter, non quia non exſtiterunt, ſed (prout opinor) quia ſuâ non intereſſe multùm putaret, ut innoteſcerent.

XII. Cùm verò ſapientes illi fuerint Iſraëlitæ Ægyptiaci, & in Ægypto, dum flagrabat ſervitudo, viverent: Cúmque in eâ multitudine, quæ exibat ex Ægypto cum Moſe, magnus fuit Artificum peritiſſimorum numerus (tam ex fæminis quàm ex viris ſeligendus) qui callebant omnia propemodùm opificia; atque ad ea quæ vel ad uſum atque ſplendorem ſacerdotii, vel ad ornatum atque gloriam Tabernaculi requirebantur, opere elegantiſſimo maximoque artificio concinnanda, paratiſſimus exſtiterit; quod ex Moſis Hiſtoriâ clarè liquet :

XIII. Adhæc cùm Gens ea parentibus inſigni ingenio prædita orta, hoc à nativitate ſuâ privilegium ſibi vindicet, ut nec hebes, nec inſipiens audiret, cùm liberi, ferè parentes ſuos referant. Et demùm quia non eſt cur putemus filios Abrahami, quos genuit ex Hagara, vel Ketura, vel nepotes Iſaaci ex Eſavo, patris ſui Diſciplinas atque ſcientias pleniùs imbibiſſe, vel tenaciùs aſſervâſſe, quàm quos Jacobus habuit; atque ideò cùm Gentes illæ, quas filii vel Hagaræ, vel Keturæ, vel Eſavi, condebant, (Madianitæ, Arabes & Idumæi) facultates & ingenia Progenitorum ſuorum multùm retulerint; eorumque Scientias & Diſciplinas uſque ad Moſis ætatem pœnè retinebant; Cur non credamus Iſraelis etiam filios atque nepotes eoúſque ſibi ſimiles eſſe, ſuaſque traditiones tam diu ſaltem retinuiſſe.

XIV. Illa certè vis ingenii, quam pater Abrahamus inſerebat filiis ſuis; aut vigor eſſe diſciplinæ, quem *domui ſuæ poſt ſe* relinquebat, in poſteris ſuis haud ſtatim marcuit atque defecit; ſed plures ætates durabat : tanta quidem fuit traditionum, maximè coſmologicarum, à teneris uniuſcujuſque ferè ſenſibus atque animis hauſtarum conſtantia, ut Theophraſtus apud Porphyrium [1] diceret, Judæos (reverà Iſraëlitas Ægyptiacos, quos Græci Scriptores ſæpiùs appellant Judæos) *naturâ Philoſophos eſſe.* Cùm ſic à juventute ſua fuerint inſtructi; ut *ſolerent, aſtronomiæ ſtu-*

[1] Lib. de abſtin. ab animal.

dioſi, noctu ſtellas aſpicere ; interdiu verò frequentiſſimè de deo atque de creatione rerum verba facere. Nec abſonum erit, aut abſurdum credere plebem Iſraëliticam, quæ fuit in Ægypto, propter rationes antehàc à me prolatas, multò meliùs omnem rationem creationis à Moſe deſcriptam, quàm doctiſſimi Rabbini poſterioribus ſeculis, intellexiſſe.

Hebræi namque, poſteaquàm reliquiſſent Ægyptum ; multiſque poſteà ſeculis, vel in quærendis ſedibus, vel in conſervandis occupati, vel ſervitute ſæpiùs oppreſſi fuerint, phyſicas ſuas notiones omnes tandem miſſas faciebant : Immò certè prout obſervat Gregorius Abul-pharaijus [m] *Eò quòd à reliquis Gentibus ſeparati fuerunt, pro illicito haberent philoſophiam colere, continentes ſe intrà ſapientiam legum ſuarum, traditionumque propheticarum.* Sic ut poſt unam vel alteram ætatem cunctas eas notitias ſcientiæ naturalis, quas in Ægypto per conſtantes traditiones diſciplinaſque veteres accepiſſent, ſensìm perdiderant. Hinc evenit tandem, ut doctiſſimi Judæi mentem Creationis, itèmque Generationis Univerſæ Methodum atque modum minùs atque praviùs intelligerent, quàm apud Iſraëlitas Ægyptiacos olim plebs ipſa.

[m] Hiſt. Dynaſt.

Facile concedamus, circà tempus Alexandri magni, Judæorum animos haud leviter incaluiſſe Philoſophiæ deſiderio ; & ad eam diſcendam ab Ariſtotele prorſus accenſos fuiſſe : Ità ut, poſtquàm celebris ille philoſophus habuiſſet conſuetudinem cum doctis quibuſdam Judæis (nam conſtat Ariſtotelis olim cum Judæis converſatio per teſtimonium Clearchi Peripatetici, qui tradit Ariſtotelem faſſum eſſe, multa ſe à docto quodam Judæo, veriùs quàm anteà didiciſſe de Deo, atque de religione ; atque ab illo doctiorem rediiſſe) Judæi invicem ab Ariſtotele (prælectiones illius auſcultando) phyſicas illius doctrinas, cum ſuis *quidditatibus*, *hæcceitatibus*, aliiſque ſimilibus affaniis, deglutiebant tam voraci gula, ut eorum ingenia confeſtìm nihil ſaperent aut olerent, niſi quod Ariſtotolicum fuerit.

Verùm autem hæc philoſophia propterèa quòd δὶς διὰ πασῶν (ut eſt in proverbio) differebat à Moſaica, ſcilicèt ab ea, ad quam Moſes omnes ſuas notiones Coſmopœiticas efformârat, brevi tales ideas atque perceptiones in Judæorum animis effingebat, ut eam partem Geneſeos, quæ eſt de mundi fabricatione

rectè

rectè interpretari nequirent: Immò quidem, nec ipſe Maimonides, Judæorum facilè doctiſſimus (qui præ defectu veræ philoſophiæ, judicabat Aquas ſuperiores (quas Moſes inſigniebat) ab omni ratione penitùs alienas eſſe) Moſem in ea re non tam benè, ac unus è πλινθοφόροις *laterum bajulatoribus*, Iſraëliticis in Ægypto, mente ſua caperet.

XV. Quocircà vetat ratio; vetant omnes memoriæ, ne cenſeremus eos ante exitum ſuum ex Ægypto veteris ſuæ diſciplinæ penitùs ignaros, aut omnis eruditionis oblitos fuiſſe; multò *minùs ſtipites, aut tantùm non brutos evaſiſſe.*

Obj. At me redarguat Irriſorum cohors affirmando duram Iſraëlitarum longamque ſervitutem, cunctas eruditionis iſtius priſtinæ reliquias, ipſamque humanitatem pœnè deleviſſe; vel ſaltèm Iſraëlitas tam ſtupidos effeciſſe, ut viderentur ſtipites & trunci potiùs, quàm homines Philoſophiæ capaces; atque idcircò Moſes dum rerum origines ſcriberet neceſſe habuit veræ Philoſophiæ principia, rationiſque rectæ præſcriptiones omninò miſſas facere; ut ſe ad obtuſos iſtius miſelli populi ſenſus accommodaret, quaſi deſcendendo ad capacitates ejus infimas.

Reſp. Qui non verentur Iſraelem (Dei filium & Primogenitum, quem Deus miraculosè redemit è ſervitute; quemque per deſerta duxit interdiu in columna nubis; noctu verò in columna ignis, ut ei illuceret (Exod. 13. 21.) quemque frumento cœlorum, atque Angelorum pane cibavit; populum, qui fuit Dei peculium) ſine omni ratione atque modeſtia dedignari, vituperare, & vilem reddere; næ illi videntur avidè voluiſſe, non tam filios Iſraëlis, quàm Deum Hebræorum deſpectui ſubjicere; & ejus Hiſtoricum atque legiſlatorem Moſem ſummo ludibrio tradere.

Allatrant quidem Moſis Phyſicam, ſed ut eò plauſibiliùs ipſius Theologiam vellicarent deriderentque: Nam facilè contemni poſſe putant Deum, qui non niſi ſtolidos atque brutos homines ſui cultores habet: atque minimè venerandam cenſent eſſe eam religionem, quam ad imbecillem iſtius exulis (ut amant loqui) & vagabundæ nationis intelligentiam fingi, atque accommodari credunt: Id quod inſtillare in omnium animos enituntur *Irriſores* iſti, qui per apertum contemptum Dei, nomen *Virtuoſorum* captant: magni id eſſe animi, ſagaciſque ſimul ingenii ducentes, religionem omnem ſpernere.

Ut

Ut non poſſim ſatis mirari cur boni doctique viri tam diù, tamque negligenter ac inconſideratè defererent, vel ſuſque deque haberent, & impiis hominibus quaſi dederent hoc argumentum; per ſe quidem vanum atque ſubventaneum. Quod prout opinor ex illis, quæ ſequuntur, rationibus apparebit.

XVI. Sed quia vix credibile eſt tam degenerem, prout multi concipiunt, prolem ab ingenioſis hominibus, atque magnâ mente, veteriſque ſuæ diſciplinæ tenaci, quales Iſraëlitæ Ægyptiaci videntur, ortam fuiſſe, ni pateret cauſa, ob quam dignè credatur iſtam gentem vires ingenii ſui vel amiſiſſe penitùs, vel inquinâſſe. Porrò quia ſub exprobratione ſtupiditatis Iſraëliticæ deliteſcit impia, non tantùm Philoſophiæ, ſed religionis etiam Moſaicæ diffamandæ ratio: Cúmque hanc inſcitiam atque ſtupiditatem, quas in ignominiam populi ſatis acuti ſapientiſque ſuggerunt (ne viderentur obtrectatores iniquiſſimi) ſervituti Ægyptiacæ aſcribunt, ſpero me tum famæ noſtri Philoſophi, tum læſæ æſtimationi Gentis Iſraëliticæ benè conſulturum, ſi planiùs oſtendero, qualis ea ſervitudo fuerit, qua Rex Ægypti filios Iſraëlis oppreſſit; & cui miram illam inſcitiam atque ſtupiditatem, quas Iſraëlitis exprobrant, meritò attribui poſſe putant.

XVII. Grave quidem fuit, nec inficiendum eſt, illud ſervitium: utpotè quod impoſitum fuit ea ſævitia, ut illis, aſſerente Moſe, amara fuerit ipſorum vita, Exod. 1. 18. & ut Moſes Ægyptum meritò vocet *domum ſervitutis* Exod. 13. 3. & 14. & Iſraëlitas ex ea tanquam è fornace ferreâ deductos aſſerat (Deut. 4. v. 20.)

Sed eò gravior iſti Populo videbatur ea ſervitudo, *Primò*, quià ſummis à Deo promiſſionibus antehàc Abrahamo factis animatus à leviſſima ſervitute penitùs abhorrebat: *Secundò*, quia, cùm intrabat Ægyptum, caviſſet ne vinculo ſervitutis obſtringeretur à Pharaone, propterea quòd tantùm ut hoſpes & peregrinus admitti peteret; adeóque per ſervitutem ſuam jus hoſpitale violatum meritò conquerebatur. *Tertiò*, Quia fructum voluptatemque terræ Goſſenicæ, quæ valdè fertilis fuit, pluſquam centum annos, ſine ullo vectigale, vel opere ſervili impoſito, liberè lætéque percepiſſet: eâque de cauſa contraxiſſet tam tenerum ſenſum libertatis, tamque delicatas atque molles cervices induiſſet, ut ne minima quidem ſervitutis onera ferre poterat.

Iſtæ

Iſtæ inquam, immunitates, & privilegia, benignæque tractationes quibus indulgente Pharaone diù potiti fuiſſent Iſraëlitæ, fecerunt, ut omne vectigal ac ſervitium, licèt otioſum, durum videretur atque ſævum; maximè quandò ad ſervitutem jungebatur immanis ea crudelitas, quæ cunctos infantes maſculos interimi juſſit; ità enim morientibus viris abſque ſpe ſobolis, neceſſe fuit, ut paulò poſt deficeret & nomen & genus Abrahami, cunctæque Dei promiſſiones ad nihilum reciderent. Dira ſanè conſideratio, quæ non modò percelleret anhelantes Iſraëlitas, at etiam pænè ſtupefaceret:

Nam quanquam (deſævienti Pharaonis iracundia, vel evaneſcente metu)non diu perſeveraret feritas iſtius inhumani edicti, quàm diu tamen ea ſervitudo (per ſe non admodùm gravis) durabat, non potuit non Iſraelitas affligere diris quibuſdam tormentis, eò quòd, propter illud odium, quo proſequebantur eos Ægyptii, metus erat ne denuò fureret atque baccharetur iſta crudelitas: Qua ratione ſervitus hæc Iſraelitis meritò videretur peramara, ſic ut illos vitæ ſuæ tæderet. Et Moſes eos tanquam de fornace ferrea detractos jure affirmet. Deut. 5. 20. quanquàm reverà ſervitus ipſa talis erat, ut ipſi Iſraelitæ poſteà, cùm liberi fuerint, apertè faterentur benè ſibi fuiſſe in Ægypto. Num. 11. 18.

XVIII. Quocircà, ſi recta ſervitutis iſtius ratio nobis ineatur, benéque pendantur omnia, quæ tum rem ipſam, tum populum illum circumſtabant, facilè percipiamns onera ſervitutis Ægyptiacæ non tam gravia, tam ſæva, tam continua, tamque generalia fuiſſe, ut Iſraelitas omni remiſſione corporis, animique laxamento privaret; aut eos penitùs exueret omnibus ſuis notionibus, quas vel inſtitutione Patrum, vel propriâ experientiâ & conſideratione conquiſiverant; multò minùs ut eos omni prorſus intelligentiâ (prout quidam animo malo tradunt) ſenſuque deſpoliaret.

Iſraëlitas autem, qui ſequebantur Moſen ex Ægypto, non modò non inſulſam, hebetem, rudem atque tantùm non brutum populum fuiſſe; verùm potiùs ingenioſam, ſeduliter educatam, doctamque generali ſaltem Phyſicâ; methodo ſcilicet atque modo generationis omnium ex Abyſſo, plùs aut minùs, inſtructam Nationem fuiſſe probant hæc Argnmenta: *Primò*, Nati

ti fuerunt è parentibus ingenioſis doctis & ſapientibus. *Secundò*, ab illis optimâ Diſciplinâ conſtanter educati, & *Tertiò*, veteri traditione, Coſmologicâ præſertim, ſemper inſtructi: *Quartâ*, Eadem ratio diſciplinæ, atque prima opera mirabilia tradendi Religio, quæ filios ab initio permovit, & nepotum quoque diligentiam ſemper exercuit. *Quintò*, Artes & induſtriam Iſraelitarum non potuit non accendere quædam flagrans æmulatio, ne ſcilicèt Ægyptiis, aut vicinis, & cognatis ſuis Idumæis cederent. *Sextò*, Scientiarum peritis in Ægypto magnus ſemper honos exſtitit, ergóque Medicis, Mathematicis, Aſtronomis, perindè ac ſacerdotibus habebatur. *Septimò*, Nulla compareant Argumenta cur non Jacobi genius, ejuſque diſciplina doctrinaque, ſi non & multò diutiùs, æquè ſaltèm diu perſiſteret in poſteris ſuis; ac Eſavi in ſuis manſerunt: *Octavò*, Neque cibus in Ægypto retunderet Iſraëlitarum ingenia, nec eorum corpora multùm debilitarent opera, quanta fuerint, ſervilia; vel ipſorum tradiones priſtinaſque diſciplinas ipſis ex animis eruerent. At cibi, quo ſolent veſci, ratio potiùs acueret eorum mentes, corporeaſque vires augeret operandi modus, qui (prout ex ſequentibus appareat) non tam continuò vehementerque premebat Iſraëlitas, ut non ſatis otii ad neceſſaria diſcenda concederet.

Vis argumentorum magnâ ſui parte rationibus antehac exhibitis enituit; quæ ſupereſt ſubſidiaria per ſequentes apparebit. Nam ſi quis mentem ſuam referret ad Iſraëlitarum patres, ita ut ſentiret, quales viri fuerint; quanta habuerint ingenia; quàm ſedulæ curioſæque diſciplinæ muneribus excolere filios ſuos atque formare ſolent; quantùmque in tradendâ lampade ſuâ (quod aiunt) ſtudium ſemper oſtenderint; ille horum filios in Ægypto ſtolidos, bardos, ſtipites, & truncos, imò brutos fieri vix credet.

Si tanta poterit ingeniis Univerſæ Gentis accidere mutatio tantaque labefactio, certè illa (nec infiteor) per ſervitutis ærumnas fieret: At ut hæc eveniſſe putaremus per Ægyptiacam ſervitudinem, fingendum eſt priùs tanta cervicibus iſtius populi impoſita fuiſſe onera, quanta nec Atlas ipſe (ſi tunc viviſſet in Ægypto) ferre potuit: immò certè neceſſarium erit, ut quicquid terribile ac truculentum eſt aſpectui; quicquid horrendum auditu,

auditu, quicquid toleratu dirum atque ærumnoſum fuerit in eâ perſecutione conciperemus; ſimulque ſupponeremus ea omnia quæ non ſolùm vires corporis enervare atque proſternere, ſed & habitudines animi facultateſque mentis immutare, peſſundare, delereque valerent: Hæc inquam omnia jugitèr accumulari in iſtâ ſervitute, & expleri credamus, priuſquam ab illâ cordatus hic, ſagax expertuſque populus omninò fatiſcere, atque rudis fatuus ſtultuſqe fieri potuit. Ultrà igitur exquirendum eſt, quid in iſtâ ſervitute reverà comparuit, quod homines animis ſuis ita exueret: ante oculos exhibitâ brevi Perſecutionis Hiſtoriâ.

XIX. Vix cæpta eſt ſervitus Iſraëlitica ante Mariam natam (cui nomen ab ortâ vel miniſatâ ſaltem perſecutione datum videtur, cùm ab amaritudine dicta ſit) Quippè ante mortem Joſephi, & ejus fratrum totiuſque generationis iſtius, res Iſraeliticæ quietæ fuerunt, & liberæ feliceſque: Nam conſcius adhuc ſibi Rex Ægypti fuit de magnitudine meritorum Joſephi; benéque ſciebat quanto emolumento Reipublicæ futurus erat ſagax & induſtrius iſte populus.

At poſtquam præteriiſſet omnis *ætas illa*, quæ primò peregrinatum veniſſet in Ægyptum, (quod tamen, ante mortem Caathi, qui filius fuit Levi, & eo ipſo anno mortuus eſt, quo nata erat Maria, non acciderat) & in immenſum creverat Iſraëlitica multitudo; novus quidam Rex (vel Aſſyrius vel Arabs) Ægypti ſolium nactus eſt; qui tandem aliquandò cum Ægyptiis, de minuendo Iſraëlitarum numero, vel atterendo robore conſulebat; metuens ſcilicèt ab hiſce peregrinis; 1mo, ne quando viribus ſuis ſiſi conſpirarent, atque ipſos Indigenas opprimerent. 2do, Ne pro re natâ ſe adjungerent hoſtibus; 3^tio, Vel exitum ex Ægypto vi ſuâ quærerent.

Credebant quidem Iſraelitæ tempus affore quo relictâ Egypto in Cananæam *terram fluentem lacte ac melle*, regreſſuri erant; & hoc Ægyptii quoque non potuerunt non intelligere, *vel* per communem ſermonem Iſraëlitarum, qui id ab Abrahamo traditione recepiſſent; *vel* à ſolenni benedictione Jacobi morientis, quâ benedixit Joſepho, cùm diceret. *Erit Deus vobiſcum & reducet vos in regionem Patrum veſtrorum* (Gen. 48. 21.) *vel* à Joſephi morituri notitiâ, quâ id ipſum promittitur (Gen. c. 50. v. 24.)

XX. Hoc, inquam, metuebat Pharao, ne populus Iſraëliticus, qui jam multus fuit, res novas aliquando moliretur ; vel cogitaret aſcenſum ex Egypto, maximè ſi laſciviret otio, vel nimiùm diteſcetet : Quamobrem Pharao cogebat Iſraëlitas tum ad pendenda gravia tributa ; tum ad operas ſerviles obeundas ; occupans eos in exſtruendis urbibus, & in conficiendo cæmento, & lateribus, ac in omni opere agreſti, non ſine ſævitiâ.

Prætereà, nec longum videtur fuiſſe temporis intervallum, priuſquam tyrannicus ille Rex ad acerbitatem laboris, atque vectigalium, ſuperaddebat crudelitatem ſanguinis effuſi, crudeliter imperando, ut omnis Maſculus Iſraëliticus occideretur, aut in rivum projiceretur, ut primùm natus fuerit : Et occaſio quam, tanquam anſam patrandi facinoris iſtius immanis arripiebat iſte Tyrannus, fuit (ut refert Joſephus in Hiſtoriâ) prædictio cujuſdam vatis Ægyptiaci, denuntiantis brevì naſciturum eſſe Hebræum, qui multùm affligeret Ægyptios ; res Hebræorum verò majores melioreſque redderet.

Hæc perſecutionis Iſraëliticæ quam paucis perſtrinxit Moſes, ſumma ratio fuit : Quâ benè conſideratâ videamus an eò proceſſit diritas atque ſævitia Pharaonis, ut Iſraëlitas non tantùm debiles & anxios, at etiam rudes, hebetes, ſtolidos atque brutos efficeret.

Terruit aliquandiu Pharaonem Vaticinii facies, adeò ut cupiens hunc Hebræum de medio tollere, cunctos Hebræorum maſculos infantes mox ab ortu ſuo trucidari juberet. Mandatum certè truculentiſſimum diriſſimumque. Quod Iſraëlitas non tantùm percellere poterat ob metum filiorum ſuorum, ſed & obſtupefacere propter timorem, ne virile genus Iſraëliticum radicitùs extirparetur. Iſta namque, ſi, pro juſſu Pharaonis, ſucceſſerat internecio, atque perſtitiſſet ; neceſſe eſſet, ut virile genus Iſraëlitarum ſine ulla ſpe ſobolis interiiſſet ; adeóque nomen & genus Abrahæ paucis annis intercidiſſet ; ingenteſque Dei promiſſiones, quas Iſraëlitæ diu fervidiſſimis animis anhelârant, exinanitæ fuiſſent.

Horrifica certè formido ! Et quæ, ſiquid aliud, Iſraëlitas omnes animis ſuis exuiſſet. Sed mihi vix dubitandum eſſe videtur, quin brevi tempore crudelis iſta, quæ pueris Hebræis intentabatur cædes, omninò ceſſaret ; & metus ille qui perculerat Phara-

Pharaonem prorsùs evaneſceret, alioqui ſanè Rex iſte nullo modo permiſiſſet Filiam ſuam nutrire Hebræum infantem expoſitum (præſertim cùm puellus fuerit, qui magni quiddam præ ſe ferebat) ipſumque in Aula Ægyptiaca ſolicitè ac eleganter educare.

XXI. At videtur iſte Tyrannus omnem abjeciſſe timorem, vel quia ſpernebat vatem atque vaticinium; vel quòd abhorreret à diritate rei, maximè cùm debaccharetur in ſuos nativos ſubditos nullius flagitii reos; ſuoque regno ſummè in poſterum profuturos: Nam talis internecio vix magis inhumana fuit, quàm ſtulta; cùm veriſſimum ſit quod à ſapientiſſimo Rege Solomone (Prov. 14. 28.) profertur enuntiatum, *In multitudine populi eſt decor Regis, at defectu nationis, contritio dominationis advenit.*

Stetit attamen Iſraelitarum ſervitus, & magis aut minùs uſque ad eorum exitum ex Ægypto duravit; at multò remiſſior quàm in initio; & ſemper, ut exiſtimo, tolerabilior, quàm ipſorum Ægyptiorum fuit, quando illos omnes Joſephus Pharaonis ſervos reddiderat. Quippe quòd Iſraëlitæ per omne tempus aſperrimæ ſervitutis ſuæ pinguibus & opimis agris atque poſſionibus ſuis uti, ſuiſque pecoribus atque jumentis frui permitterentur. In quo deterior extitit Ægyptiorum conditio, quia tranſlati fuerunt *ad urbes ab extremitate termini Ægypti ad extremitatem ejus*, (Gen. 21. 47.) Quæ quidem fuit acerbiſſima tranſportatio, per quam non ſolùm ab avitis ſuis poſſeſſionibus, atque à natali ſolo remoti; ſed & inter ſe cognati, atque benè noti longiſſimè ſeparati fuerunt & longùm divulſi.

XXII. Verum eſt, magnam partem Iſraelitarum ſæpiùs à privatis ſuis rebus atque negotiis abſtractam fuiſſe, compulſamque vel perexiguâ vel nullâ ſtipe Regios agros colere; vel munitas urbes conſtruere, vel alia opera publica moliri. Nec melior ex illa parte fuit plebis Ægyptiacæ conditio; illa namque ſæpiùs & importuniùs impellebatur ad ingentes foſſas effodiendas: Et illis tam familiaria, tamque ferè perpetua fuerunt iſtiuſmodi opera ſervilia, ut Ægyptii dicerentur, communi apud Græcos Proverbio, ὀχθοφόροι id eſt, *operarii appoſiti ad ferenda onera* & πλινθοφόροι id eſt, *laterum bajuli.* Omnia opera ſervilia ab illis ipſis Ægyptiis etiam tam duritèr exigebantur, ut (teſte Herodoto) lib.

11. c. 158.) in unicâ foſsâ à Nilo ad ſinum Arabicum effodienda duodecim myriades Ægyptiorum perempti fuerint.

At Iſraliëtaram multitudinem, vel per labores exantlatos attritam, vel crudeli manu deletam nec Hiſtoricus noſter, nec alii, memorant. Nec hujuſmodi ſanè deſtructionem fuiſſe unquam factam credi ſinebat ingens Iſraëlitarum ex Egypto prodeuntium numerus.

Non deſunt equidem ſcio, nonnulli, qui vel unius ſcriptoris audaci conjecturâ, vel alterius amplificatione Rhetoricâ decepti; filios Iſraëlis onerant eâ mole ſervili; quam nunquam ferebant. Gravis admodùm fuit, haud infiteor ea Lex & ratio ſerviendi, quam Pharao juſſit illis imponi; ſed multò gravior habebatur, ob rationes antehac allatas, quàm reipſa fuit. Ut manifeſtum erit expendenti momenta ſequentia.

Primò, Iſraelitæ toto ſervitutis ſuæ ſpatio ſive curriculo tenebant ſedes atque poſſeſſiones ſuas, in optimâ parte Terræ Egyptiacæ collocatas, (Gen. 4. 6.) & fruebantur pecore valdè copioſo, atque omnibus aliis armentis ſuis omnis generis.

Secundò, Benè paſti fuerunt; nam *veſcebantur*, ut ipſi agnoſcebant *piſce copiosâ* (Num. 11. 5.) & *ſedebant juxta ollas carnium & comedebant panem in ſaturitate*, (Exod. 16. 3.) Inter eſculenta ſua recenſebant Porros & cæpas ac allia, non quòd illis veſci talibus oleribus in Ægypto neceſſe erat; ſed quia volupe: Nam cæpæ Ægyptiacæ (quæ delicatæ fuerunt, eſuque pergratæ) tantùm noſtris præferendæ erant, quantùm poma petitia macianis anteponenda ſunt. (quod & de alliis eſt dicendum) Undè cùm in memoriam venerint Iſraëlitis in deſerto, ſic illis ſalivam movebant, ut ob illas Mannam, *frumentum Cæli, & panem Angelorum*, Pſal. 18. 24, & 25. ſtomachi faſtidio, repudiarent.

Nec veriſimile eſt Iſraëlitas (quibus ad victum nihil opſonii, neque piſcis, neque caro, neque panis, aut fructus deerat) multùm de iſtis oleribus frequentèr, veſci ſolere, ob gravedines atque dolores capitis, & alia pariter incommoda atque detrimenta ſalutis, quæ plenior atque liberior uſus iſtius eſculenti certò invexiſſet. Quæ tamen & rarior atque parcior eorum uſus non inducebat, at illis ſummæ jucunditati ſimul & utilitati fuerunt; utpotè quæ procurabant claritatem ſenſuum, necnon intellectûs acumen; & ſpiritum quoque liberiorem vegetioremque reddebant;

bant; præſertim quidem illis, quorum aſſidui labores faciliùs attenuabant quicquid in eâ eſcâ craſſum fuit aut viſcidum: Ut ſervos Egyptiacos, quos diurnus labor exercebat, ob condimenta ciborum ex cæpis & alliis apparata (nam quibus carnium piſciumque magna copia fuit, cæpa duntaxat inſtar condimenti fuere) multò magis ingenioſos atque dociles extitiſſe credendum ſit. Quod velim ut illi advertant, qui periniquè ſimul & inſipientèr objectant Iſraëlitis ſuas cæpas, ſimul ac ſuam ſtoliditatem.

Tertiò, Neque labores aut ullæ contentiones corporis, quæ violentæ non erant, Iſraëlitarum vires facilè frangere potuerunt, quamdiu ſalutaris cibus abundè ſuppeteret, & intermiſſio laboris aliquandò fieret. Verùm & eorum corporibus ſimul & animis vigorem ſaniratemque potiùs afferre ſolent. Quippè perutilis ac neceſſarius utriſque fuit, haud paſcendi tantùm, ſed etiam laborandi circulus: Quem ſapientiſſimus ille vir Pythagoras ſemper obſervandum præcepit eo axiomate. Σίτ⊖; γυμνάσιον, γυμνάσιον, σίτον; Cibus, exercitationem; exercitatio, cibum poſtulat.

Et ſi forſitan operæ obeundæ neceſſitas aliquando tam vehemens & importuna fuerit, ut edendi tempora denegarent; aut ciborum copiam deſideratam præſtò eſſe non ſinerent, minimè tamen ambigendum eſt, quin ad exantlandos ſuos labores vireſque ſuſtendandas, quantum neceſſe erat, ſemper à Præfectis ſuppeditatum fuit; nam certum eſt ſatis eduliorum fuiſſe inter Iſraëlitas. Interim ſcimus naturam, exiguo contentam, & *ventrem eſſe ingenii largitorem*: ut facilè credamus Iſraëlitas à ſervitute ſuâ minimè ſtolidos aut hebetes evaſiſſe, verùm &, ob id ipſum vivendi genus, exacutis eorum ſenſibus & ingeniis, eò frequentiùs & traditiones ſuas in memoriam revocâſſe, penitiúſque ſacerdotum parentumque præceptiones doctrinaſque recepiſſe: Cùm pinguiores exhalationes à ventriculo cerebra ſic infarciant, ut novas inſtructiones tardiùs admitterent; priores autem vix reminiſci vel advertere valerent. Juxtà illud Proverbiale dictum

Παχεῖα γαστὴς λεπτὸν ὐ τίκτει νόον.
Tenuia ſenſa non dat abdomen grave.

Quartò, Cùm ſervitus Iſraëlitica *partìm* conſtaret in magno vectigali penſitando; (quo priùs filii Iſraëlis omninò liberi fuerunt & exempti) *partìm* in labore ſervili perferendo; cúmque

Iſra-

Iſraëlitæ in varios gradus & ordines diſpertiti fuerint; quorum hi divites, illi autem egeni vel pauperiores extiterunt; hi ad vectigalia pendenda ſatis habiles; illi ad labores exantlandos ſatis apti: minimè concipiendum eſt hunc ſervilem ſtatum æquè omnes omninò conditiones hominum affeciſſe. Id etenim neque ad decus, neque ad utilitatem Reipublicæ conduxiſſet; cùm nervos ipſos regni, vectigalia nempe, præſcidiſſet.

Quippe metus iſte, vel à multiplicantibus Iſraëlitis, *vel* à conſpirantibus ad inſurrectiones; *aut* ab exeuntibus ex Ægypto, quem Pharao præ ſe ferebat, brevì prorsùs evaneſcebat (ut claris argumentis eſt probatum) Quocircà tam immenſam multitudinem hominum (quorum pars maxima *vel* ad res civiles adminiſtrandas, *vel* ad ſcientias evehendas, *vel* ad exercendas artes, aut artificia concinnanda, ſe egregiè dederit) ad operas ſerviles atque infimas tanquam flagriones æqualiter adigere, atque damnare, neque ſaluti Reipublicæ, nec utilitati, nec honeſtati fuiſſet.

Hinc ergo magis veriſimile eſt Pharaonem (ut ſapienter ſe gereret & omnes affligeret) ſuperioris ſortis homines onerâſſe ingenti vectigali; ſed inferiores ſolummodò ad opera infima atque ſervilia coegiſſe.

XXIII. Veriſimile eſt ſacerdotes etiam quotquot inter Iſraëlitas extiterunt, (veriſimile eſt enim nonnullos exſtitiſſe) omnes in Ægypto habitos fuiſſe, tum à cenſu, tum ab opere, liberos & exemptos; quippe nullo modo dubitandum eſt quin Ægyptus jam ſacerdotes Iſraëliticos eodem honore ac privilegio quo ſuos ornaret, maximè cùm præterquam quòd naturales Ægyptii fuerint; eandem quoque religionem, quam Ægyptii, tunc temporis amplexati fuerint; quatenus jam *fornicabantur cum ipſorum Diis.*

Obj. Cùm inter Iſraëlitas ante legem in unaquâque familiâ ſoli primogeniti nativitatis ſuæ privilegio ſacerdotum munere fungerentur, alitèr ac inter Ægyptios fieri ſolet; nullo modo credendum eſt Ægyptios, vel eundem honorem, vel ſimilem ſacerdotibus Hebræis quem ſuis, unquam detuliſſe; ſed eos potiùs, ut nullius ordinis & cæremoniæ ſacrificulos, deſpexiſſe.

Reſp. Non

Reſp. Non infiteor, quòd inter Hebræos olim, priuſquam Lex à Deo lata fuit Primogeniti ſacrificare, ſacerdotumque munere fungi ſolerent, non autem privilegio nativitatis ſuæ, ſed communi jure, cùm id ipſum agere natu minoribus etiam liceret. Hoc ab initio mundi ſic fieri ſolet; quippe Abel, etiam vivo atque vidente Caino, licitè Sacrificabat; & Moſes ipſe licèt Aarone fratre ſuo junior fuerit, ſacerdos attamen conſtitit *apud Deum precibus ſuis omnium potentiſſimus*; Immo quidem, Philone teſte [m] *in feſto Paſchatis tota gens Hebræa, jubente lege, ſacrificabat; dum pro ſe quiſque propriis manibus afferebat hoſtiam.*

[m] in L. de Vita Moſ.

Primogenitorum prærogativæ erant principatus & duplex portio, non verò ſacerdotium: Nec à Moſe conſecrati fuerunt ad ſacerdotium; ſed ad miniſterium, quod ad Levitas poſteà tranſlatum fuit. Interim tamen haud apparet eos primogenitos, quos Moſes Deo conſecrabat unquam ſacrificâſſe. Nam quod dictum eſt (Exod. 24. 5.) de juvenibus filiorum Iſralis, quòd juſſu Moſis *offerebant holocauſta, & ſacrificabant ſacrificia Euchariſtica*; vix intelligi poſſit de primogenitis, ſed de victimariis, qui hoſtias ligabant; omnia, quæ ſacris erant neceſſaria, parabant, atque ſuis manibus hoſtias mactabant; non ut ſacerdotes, ſed ut miniſtri Moſis; qui tanquam ſacerdos (id namque ſacerdotis fuit munus) ſanguinem ſpargebat: Ita ut vocabula *offerre* (vel adducere) & *Sacrificare* in illo loco ſumantur laxè, pro id agere quod victimarii ſolent: alioquin ſi Moſes uti voluiſſet ſacrificulis propriè ſic dictis, certè ad id opus obeundum miſiſſet potiùs Iſraëliticos ſacerdotes, quorum priùs (ibid. 19. 22. & 24.) expreſſa mentio ſemel atque iterùm facta eſt: eos ipſos nimirum, quos antea in Ægypto ſacrificia feciſſe, reſque omnes ſacerdotales egiſſe veriſimile eſt: Nihil enim videatur rationi magis conſentaneum, quàm ut credamus multos inter Iſraëlitas Ægyptiacos, qui tot animos Dei timore tactos enumerabant, ſacerdotes extitiſſe.

Solebat Abrahamus, ut & Iſaacus atque Jacobus pro filiis atque pro totâ ſua familiâ offerre ſacrificia; piumque hunc morem viguiſſe, diúque permanſiſſe inter Abrahami filios atque nepotes, optimè colligi poteſt ex Hiſtoriâ Jobi c. 1. 5. Ut non dubitandum ſit, quin Jacobus ubi terram Goſſenis, atque Rameſem, Pharaonis indulgentiâ, poſſidendam receperat, ſolenniter, atque

que pro re natâ, ſæpiùs adoleret; pròut alii quoque Patres familâs ſolent. Probabile eſt igitur hunc Patriarcham, cùm valdè multiplicatum videret nepotum ſervorumque ſuorum numerum, Dei cultui piè conſulentem, ſacerdotem unum, vel plures (anteaquàm de vivis excefſerit) ordinâſſe, qui tantæ multitudini morem gererent, atque ſacris muniis obeundis ſufficeret.

Ad hæc tempora, & ad hanc ipſam rem, prout opinor, applicari debet id, quod Deus per virum Dei (1 Sam. 2. 27.) exprobrat Heli ſummo ſacerdoti; *An ideò planè meipſum revelavi domui patris tui, cùm eſſent in Ægypto, in domo Pharaonis; & elegi illum ex omnibus tribubus Iſraëlis mihi in ſacerdotem ad offerendum ſuper Altare meum, ad adolendum ſuffitum, & ad geſtandum amiculum coram me?* Hoc etenim, ne de Aarone poſſit intelligi vetant ea verba nempe, *cùm eſſent in Ægypto, in domo Pharaonis*: quæ manifeſtiùs indicant virum quendam tunc in Ægypto degentem, quando Joſephus *alebat fratres ſuos omnemque domum patris ſui, præbens cibaria ſingulis* (Gen. 47. 12.) quod verè fuit *eſſe in domo Pharaonis*: Vel ſaltem quamdiu, vivente adhuc Joſepho, ſub ejus auſpiciis Iſraëlitæ florebant; & per eum, magnis à Pharaone beneficiis aſſiduè fruerentur: adeò ut in perſonâ Joſephi (*quem Pharao conſtituerat Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ* (Pſal. 105. 21.) cuncti Iſraëlitæ, vel tota domus Iſraëlis, fuit veluti *Pharaonis domeſtica.*

Hinc neceſſe eſt ut ille, quem Deus ex omnibus tribubus elegerat ſibi in ſacerdotem fuerit de tribu Levi, à quo deſcenderat ſummus ille ſacerdos Heli. Et veriſimile eſt illum (quicunque fuit) à Jacobo, priuſquam moriebatur, conſecratum fuiſſe: Non tamen ipſum Levi unquam conſecratum fuiſſe (quem pater ejus ob iniquitatem & crudelitatem ſuam maledictum ſentiebat) ſed *Kohathum* potiùs; cui per Amramum, Aaron & Heli; & per Irrarim, Samuel ortum ſuum referebat: prout notavit doctiſſimus ille commentator Jacobus Bolducus.

At ſive Kohathus fuerit, aut alius ex iſtâ tribu (quem Deus elegerat in ſacerdotem, & cui ſeipſum revelaverat) veriſimile eſt illum poſt mortem Jacobi, quoties opus fuerit ab aucta multitudine, ſacerdotes alios ex eâdem tribu ſelectos inſtituiſſe, qui fratribus ſuis Iſraëlitis etiam dum in Ægypto degerent, ſacra

miniſteria

miniſteria præſtarent. Certè quidem Moſes non minùs ſacerdotes ac ſeniores Iſraëliticos, tanquam ordinem hominum veterem atque notum ante legem datam, atque unctum Aaronem memorat. (*Exod.* 19. 22, & 24. *Num.* 11. 16.) Et ſanctus Paulus (*Heb.* 7. 11.) aſſeruit *Iſraëlitas accepiſſe legem ſub ſacerdotio Levitico.*

Notandum eſt ergò regem Ægypti non ſuos ſacerdotes Iſraëlitis, tanquam vanos & irritos objeciſſe; neque ſacrificia, quæ vellent offerre Jehovæ Deo ſuo, tanquam res novas, aut vetitas arguiſſe; ſed triduanam ſeceſſionem ſolummodò, quam Moſes urgebat, ut feſtum diem celebrarent Jehovæ in Deſerto, tanquam plenam ſuſpicionis (atque reverà defectionis ſuæ ſtudium) damnâſſe, eamque pertinaciùs inhibuiſſe.

Verùm ſi debeamus Iſraëliticos ſacerdotes in Ægypto tanquam viros eruditos æſtimare, prout omnia rectè reputantes oportet; ipſoſque ferè ducentos annos ibidem ſacro ſuo munere feliciter, & quietè functos fuiſſe; atque aliquando cum cæteris Ægyptiis per nativitatem ſuam, conterraneos; per Idololatriam, ſymmyſtas; & per matrimonia ſua, cognatos etiam factos intelligamus; illos haud immeritò non tantùm dignè habitos à regibus Ægypti, ſed & privilegiis iiſdem, atque Ægyptios ſacerdotes affectos fuiſſe credamus.

XXIV. Quòd ſi gratia Lectoris mihi condonabit hanc nimis longam digreſſionem, ſperem ne mihi valdè ſuccenſeret divertenti à ſacerdotibus, ad Iſraëlitarum templum, vel ſacras ædes, quas in Ægypto condiderunt. Nam perquàm veriſimile videtur mihi conſideranti pietatem atque Religionem diſciplinamque Jacobi, quòd ſacer ille Patriarcha (qui dum viveret in Cananæâ commorari ſolebat in *tabernaculis*, quæ Chaldæus interpres appellat *domos doctrinæ*; alii verò *ſacras ædes* aut *ſcholas*, quales Semus & Heber, & quod probabile eſt, Abrahamus etiam tenuit, & in illis Dei timorem, atque virtutem docuit) ubi terram Goſſen incolendam gratiâ Pharaonis acceperat, non ſolùm altare propediëm ſtrui in quo ſolitas victimas immolaret; ſed & *Tabernaculum* ſive *Templum* fabricari curabat, in quo Dei nomen publicè atque ſolenniter invocaret.

Quod quanquam Moſes haud commemorat, credamus attamen Iſraelitas multò ante ſervitutem ſuam templa vel ædes ſacras

extruxiſſe, ipſoſque ad id agendum perſuaſos fuiſſe tum Rei ſuæ publicæ firmitate (quippe non ampliùs ſibi videbantur ambulatorii) tum Ægyptiorum, (inter quos degebant) ſimul & Idumæorum (qui vicini & cognati fuerunt) uſu & exemplo : quippè ante illud tempus populus uterque templa vel ædes ſacras habuit, in quibus verum Deum colebat. De Idumæis id conſtare videtur ex Hiſtoriâ Jobi : Nec de Ægyptiis eſt ambigendum, quin illis præter illud, quod in urbe *Oniorum* fuit, alia etiam templa ſuppeterent.

Joſephi quidem tempore nulla in Ægypto comparuerunt Idololatriæ veſtigia, ut meritò concipiamus Ægyptios eâ ætate (quanquam fortè vanas quaſdam notitias imbibiſſent) verum Deum cœli ac Terræ creatorem coluiſſe ; adeóque eorum templa (tam illud quod in urbe *Oniorum* fuit, quàm quod in urbe Regiâ *Tanes* dictâ) religioſè à Joſepho frequentata fuiſſe. Et abſque omni ferè dubitatione credamus Joſephum, *qui erudiebat principes Ægypti ſicut ſeipſum*; *ejuſque ſeniores informabat* (Pſ. 108. 22.) Semper in Iſraelitarum pietate atque Religione conſervandâ promovendâque ſolicitum fuiſſe ; adeóque, multitudinis auctæ ratione habitâ, plures inter ipſos ædes ſacras erexiſſe.

Porrò quoque ſatis probabile eſt Iſraëlitas aliquando poſteaquàm divites & opulenti fierent ; & ad immenſum numerum creverint, de publico Jehovæ Dei ſui cultu ſplendidiùs exponendo conſuluiſſe, atque in eum finem primarium quoddam Templum condidiſſe. Et hoc Templum credo fuiſſe illam *domum*, quam Deus innuebat ſe habitâſſe ante aſcenſum filiorum Iſraelis ex Ægypto, 2. Sam. 7. 6.

Nec abſurdus erit, ut opinor, qui conciperet hanc ſacram domum, non fuiſſe tabernaculum cilicium (quale Patriarchis in Terrâ Cananæâ degentibus in uſu fuit) ſed ædificium vel è ſaxis vel è lateribus exſtructum : ductis in exemplum templis Ægyptiorum, ſimul & ipſius Abrahami facto ; qui quamvis in Terrâ Chanaan tentoria ſolummodò tanquam peregrinus incoleret, attamen in regione Damaſcenâ, ubi ſedem jure gladii ſibi conquiſiverat Domum ſtabilem atque firmam, vel è lignis vel è Lapidibus atque cæmentis erectam habuit : in argumentum trahatur duratio iſtius ædis, quæ uſque ad Auguſti tempora perſtabat. Ut affirmat Nicolaus Damaſcenus, qui tunc vivebat atque florebat. (*n*)

(*n*) Vide Joſeph. Antiq. Hiſtor. l. 1. c. 8. & 4.

Et

Et non mirandum eſt, ſi filii Iſraëlis aliquando poſt mortem Jacobi ſacras ædes ad Ægyptiorum exempla conſtruxerint, cùm ad imitationem eorundem poſteà ſibi falſos Deos aſſumpſerint; nam cùm Ægyptii corrupiſſent vias ſuas, & neſcio quos Deos ſtercoreos ſibi finxiſſent, Iſraëlitæ tandem malis his exemplis ducti, cultum ſuum mutabant, & *cum diis Ægyptiorum fornicari* cæperunt. Atque hæc illis prima atque præcipua cauſa ſervitutis ſuæ fuit.

Nam priuſquam ſervile jugum cervicibus Iſraëlitarum imponeretur ab Ægyptiis, filii Iſraelis avitâ Religione corruptâ Diis Ægypti ſtercoreis ſe polluiſſent (Ezech. 28. 7. 8.) quamobrem Deus mutabat cor Ægyptiorum, ut odio haberent populum ſuum; & dolum machinarentur contra ſervos ſuos (Pſal. 10. 25.) hoc eſt, Deus effecit, ut Rex Ægypti callidum conſilium iniret contra Iſraëlitas propter eorum Idololatriam, atque ipſos affligeret oneribus, ac durâ ſervitute.

Cùm verò ſacerdotes Iſraelitici nati in Ægypto fuerint, Ægyptique Deos atque Religionem colerent, & amplexarentur; & matrimonia ſimiliter inirent cum Ægyptiis (Levit. 24. 10. Exod. 12. 28.) æquum eſt ut eos, perinde ac alios ſacerdotes Ægyptiorum, fuiſſe liberos; item & honore privilegioque donatos exiſtimemus. Nam ſacerdotes ſuos Ægyptus haud ſolùm ab omni vectigali cenſu que liberos, ſed & ſummâ dignitate ſemper ornatos habuit (Diod. Sic.)

Hoc etiam notari debet, quòd apud Ægyptios illi omnes comprehendi ſolent *ſacerdotum* nomine, qui vel *Aſtrologiæ*, vel *Medicinæ*, vel *rerum naturalium* ſcientiæ, necnon *menſurariæ*, *numerariæ*, vel *Hiſtoriis* operam dabant; (v. Diod. Sic.) ut non ineptè cenſeamus eos omnes, quotquot inter Iſraelitas iiſdem ſcientiis & artibus imbuti fuerint, ſimili pænè conceſſu beneficioque potitos fuiſſe; niſi quòd fortè magna vectigalia pendere coacti fuerint.

Porrò quia placuit Ægypti regibus, ut Iſraëlitis in ipſo ſervitutis ſuæ tempore, certi quidam gradus & ordines exiſterent; ſuuſque ſibi ſenatus & inſpectores nunquam non præſiderent; hos itidem ab omni abjecto famulatu penitùs immunes fuiſſe probabile eſt.

Quin & varios inter Iſraëlitas Artifices extitiſſe credendum eſt, qui cùm Reipublicæ Ægyptiacæ ſummæ utilitati fuerint, ab

omni, prout opinari liceat, operario labore, ſaltem ab ejus vili ac ſeverâ conditione, ob quam peſſimè audiebat ſervitus Ægyptiaca, liberati erant; præterquàm quòd fraternitatem ſuam graviori cenſu luerent.

Ad hæc quia Rex Ægypti ſinebat filios Iſraelis ſuis agris, ſuarumque gregum, quantis quantis, emolumentis frui; non dubitandum eſt, quin ut degerent & vectigalia ſolvere valerent, libenter Paſtores permiſerint, & armentorum Dominos, gregum ſuarum (quæ multæ fuerunt & magnæ) curam gerere, & res ſuas, & per ſe, & per ſervos ſuos agere.

Quæ cùm ità ſe res haberent, haud temerè ſtatuamus magnam partem Iſraëlitarum, eamque ſapientiorem, dum vel exaceſceret acies ſervitutis, ſui juris fuiſſe; excepto vectigalis onere, ità ut res ſuas publicas adminiſtrare, fratrum ſuorum diſciplinæ conſulere, ipſorumque notiones atque peritiam tueri promovereque poterint.

XXV. Demùm, quià ſervitutis opera fuerunt, vel munitas urbes exſtruere; vel agros regios exarare, & colere; vel bajulare ac lateres efficere; Moſes autem duas urbes tantùm Iſraëlitarum operâ conſtructas memorat; & ipſa ratio perſuadeat, quòd nulli prorſus agri, præter Regios, eorum curæ cultuique mandati fuerint; (abhorruiſſet etenim à Civili prudentiâ Regis Ægyptiaci naturales ſuos ſubditos, alios aliorum privatorum ſervitio, ſine ullo Reipublicæ commodo ſubjicere velle) Operæque ad illos elaborandos colendoſque neceſſariæ (cùm tota agrorum cultura in Ægypto mirâ facilitate perageretur) paucorum manibus abſolvi ſoleant. Ut teſtatum, Plin. l. 18. c. 18. & Diod. Sic. l. 1.

Denique bajulantium munia neque tot, neque tanta extiterunt, quin à plebe (cujus immenſa fuit multitudo) ſat benè perfici poterant; atque ab illâ ſic completa fuerunt, ut nec quoad vires ſuas fracta, nec quoad numerum trita ac diminuta fuerit; proinde non neceſſe eſt, ut quis omnes Iſraëlitas (cujuscunque fuerint ordinis, aut ſcientiæ vel artis) ad iſtiuſmodi vilia ac ſordida officia depreſſos ſentiat.

Sed prout credibile eſt, non omnes Iſraëlitas æquè ad ſerviles labores adigi ſolere; ità nullos omninò duris ſemper urgeri. Primò, quia demenſum operis non magnum & conſtans fuit; ut

ut non illis aliquid otii nonnunquam vel laxamenti concederetur. Deinde, quia ſolet populus Ægyptiacus omni tempore, quo exundat Nilus (exundat autem certis temporibus atque longo tempore) operibus exolvi; & ad animi relaxationem converti; *perpetuò epulans, omnibuſque ad voluptatem facientibus ſine impedimento fruens*, Diod. Sic. l. 1. p. 33.

Probabile eſt etiam quòd Iſraëlitæ non carebant aliquâ vacatione ſive remiſſione, quâ corpora menteſque reficerentur (ſive id defectu operis, ſive præfectorum vel exactorum lenitate fieret) argumento ſumpto à verbis Pharaonis ad Moſen & ad præfectos filiorum Iſraelis; *otioſi eſtis* (inquiebat ille) *otioſi eſtis*; videtur enim Pharao, facta inquiſitione, comperiſſe, quòd opera filiis Iſraëlis injuncta tam levia fuerunt, ut illis certè nimis otii relinqueretur; hinc Septuaginta Interpretes Pharaonem inducunt iſta dicentem, *ne ceſſationem illis demus ab operibus*, nimirùm ne vacarent fabulis, atque mendaciis, & res novas meditarentur, ut ſolent otioſi. Et videtur illis hoc ipſo tempore ab actione ſuâ ſervili remiſſionem contribuiſſe rerum agendarum paucitas. Quâ re, cùm præſcriptum demenſum laterum ducendorum non tantum fuerit, ut neceſſe eſſet Iſraëlitis in eo omnem operam navare, decernebat Pharao, quò pleniùs occuparentur, ut per totam Ægyptum ad colligendam ſtipulam curſitarent. Et Iſraëlitas aut multum otii ſæpiùs habuiſſe, vel parum laboris, abundè liquet ex eo, quod cùm exirent ex Ægypto, *non erat in tribubus, qui præ debilitate corrueret*, Pſal. 105. 35.

Porrò jam, propterea quòd omnes Iſraëlitæ nati fuerint in Ægypto, atque Deos Ægypti (neglecto, vel poſtpoſito Hebræorum Deo) ſibi colendos aſſumpſerant, pluſquam veriſimile eſt eam duritiem ſervitutis, quæ primò ſæviebat, aliquanto remiſiſſe tandemque leniorem evaſiſſe. Quippè Reges Ægyptii nunc ſpectabant Iſraëlitas tanquam nativos ſuos ſubditos: Unde eos vocabant *populum Terræ* ſcilicèt Ægyptiacæ, ipſoſque (ante reditum Moſis in Ægyptum, ejuſque legationem Pharaoni renuntiatam) ſatis fideles atque fixos eſſe, judicabant; idque ſanè meritò: Quia non potuit ſeriò credere vel ſuſpicari, tàm præcipitem tamque inſulſum eſſe iſtum populum, ut ſuum natale ſolum (quod opimus fuit & optimus Ægypti tractus) & in quo omnia ad benè, & feliciter agendum, ſuo ipſius etiam teſtimonio

(Num.

(Num. 11. 18.) ſuppetebant) temerè deſererent, ut per deſerta vagantes, fortes & bellicoſas gentes adorirentur, ut novas ſedes obtinerent; quæ, præterquàm quòd non tam fertiles exſtiterint, *ſanguine*, ut ajunt, & *ſudore*, maximiſque periculis accquirendæ erant. Adde quòd Pharao jam confidentiùs ſperaret Iſraëlitas ideò, quia Deos Ægyptiorum ſibi delegiſſent, nunquam dehinc de Terrâ Chanaan repetendâ εἰς ἐν ὀνείρῳ cogitaturos eſſe, ut harum causâ, de beatis ſuis ſedibus ſponte & periculosè decederent.

XXVI. Septimo. Propterea, prout colligere eſt ex Hiſtoriâ; Rex Ægypti de ſubditis ſuis in Terrâ Goſſenis ità loqui ſolet, ut Iſraëlitæ non infenſum ſibi Pharaonem putarent, donec legatio Moſis & Aaronis excitâſſet illam diù ſopitam Ægyptiorum ſuſpicionem, quòd Iſraëlitæ Ægypti relinquendæ conſilia iniiſſent. Hoc igitur filii Iſraëlis exprobrabant Moſi & Aaroni, dicentes, *Videat Jehovah ſuper vos, & judicet, qui fætere feciſtis odorem noſtrum in oculis Pharaonis & in oculis ſervorum ejus, tradendo gladiùm in manum illorum ad occidendum nos.* (Exod. 5. 21.) Quod perinde eſt ac ſi dixiſſent, antehac Pharao viſus eſt bonam de nobis opinionem habuiſſe, noſque inter fixos atque fideles ſuos ſubditos annumerâſſe; jam verò nos & ipſi, & ſervis ejus inviſos effeciſtis, atque occaſionem dediſtis, ut nos rerum novarum ſuſpectos haberent: eâque re ſervitutem noſtram multò duriorem redderent.

Octavo. Demùm ut certò ſciamus Iſraëlitarum conditionem in Ægypto non tam afflictam atque miſeram fuiſſe, prout vulgò credi ſolet; habemus ipſos uno ore communiter agnoſcentes *benè ſibi fuiſſe in Ægypto*, Num. 11. 18. Hæc qui dicerent, ego illos profectò duriſſimâ ſervitute longùm vexatos haud credam. Non tamen addubitem quin ſervilem, quam patiebantur, conditionem graviſſimè ſemper & ægerrimè ferre viſi fuerint. Tum (prout dictum eſt antea) quoniam ſe viderent perindignè privatos eâ libertate, ac privilegio, quibus pluſquam centum annos potiti erant; tum quia cordatiores (ſaltem avitæ ſuæ religionis etiam tenaciores) ſe dejectos cenſebant ab illâ ſpe (in quâ ſemper à teneris annis enutriti eſſent) fruendi ſcilicet opimis, atque beatis illis poſſeſſionibus, quas ipſis Deus Abrahami Iſaaci & Jacobi promiſerat. Et reor Moſem ſervitutis hujuſce duritiem

duritiem ſemper ampliare velle, potiùs quàm diminuere, ut Iſraelitas ſuæ manumiſſionis eò magis memores efficeret.

XXVII. Quocirca ſpero me jam tandem metam attigiſſe, ad quam collimavit hæc diſſertatio, nimirùm probâſſe, quòd ſervitus Ægyptiaca non tam rigida & dira vel continua fuit, ut Iſraëlitas, haud ſolùm debiles & enerves efficeret; ſed & eos omni ſenſu atque intelligentiâ ſpoliaret, ac tantùm non fungos, ſtipites, truncos ac brutos redderet; prout nonnulli vel impiè, vel ignoranter, aut inconſideratè tradunt.

Iſraëlitas etenim vilibus hiſce ſtupiditatis & inſcientiæ notis inuſſerunt homines impii, ut per eorum latera transfoderent Theologiam ſimul & Phyſicam Moſaicam; nimirùm ut utramque non ad rationem, vel ad naturam rei, ſed ad puſillam iſtius miſelli populi capacitatem fictam traducerent: Nam ſic ex impuro ore ſpumant ſuam nequitiam.

Hæc verò quâ malitiâ, quantâque prorsùs inſcitiâ tentârunt, illi benè ſciunt, qui lectis antiquorum monumentis accuratiùs obſervant illud acumen, quod Iſraëlitarum ingenia à majoribus ſuis acceptum referunt; quique notârunt eam diſciplinam, quâ Patres Hebræi familias ſuas aſſiduè & conſtanter per multas ætates erudire ſolent: Vel qui conſiderant ea tempora remiſſionis ac otii, quæ principes ac magiſtri familiarum ad iſta officia præſtanda per omne ſervitutis ſuæ ſpatium nacti ſunt: Vel denique ſecum reputant eximiam iſtam curam, & charitatem Philoſophi noſtri Moſis pro fratribus ſuis in Ægypto docendis, atque informandis, dùm ipſe exul in Madianâ degebat.

Nam vetus eſt, & ab ipſius ferè temporibus accepta doctorum quorundam opinio, Moſen, dum moratus fuerit in Madianâ, (ubi vixit quadraginta annos, niſi quibus, inveſtigatione veri commotus, in Phœniciam migrabat) παιδείσον Jobi librum de linguâ Syro-Arabicâ tranſtuliſſe in Hebræam, atque ipſum miſiſſe ad Iſraëlitas fratres ſuos in Ægypto ſervientes, non ad conſolationem ſolummodò, ſed & ad ipſorum eruditionem ampliandam præſervandamque.

Novit enim Moſes, quod libri iſtius Philoſophia, quam præter alia ſcientiarum genera complectitur, illos ad naturalem Geneſeos Hiſtoriam intelligendam, quodam modo diſponere, atque præparare poterat.

Id

Id quod non ſine magno conſilio factum videatur, ſi modò verum ſit, quod multi doctiſſimi viri ſentiunt, Moſem paritèr in Madianâ ſcripſiſſe librum Geneſeos; illumque ad Iſraëlitas unà miſiſſe. Ut enarrando mirabilia Creatoris opera (principia ſcilicèt ea quæ de nihilo confecta fuerunt; & de quibus omnia juſſu Dei prodierunt.) Et explicando methodum atque modum formandi pulcherrimam hanc univerſæ materiæ fabricam, quam *Mundum* dicimus, Iſraëlitarum pietatem (quam tum collapſam corruptamque perceperat) ergà verum Deum ſuſcitaret; eamque ſartam tectam, quà fieri potuit, inter Ægypti corruptelas ſervaret, aut reſtitueret, necnon, ut illis in memoriam revocaret promiſſa Dei Abrahamo dudum facta, quibus intimè conceptis, fidentes ſperarent ſe aliquando de ſervitute ſuâ liberandos; & in terram Cananæam, terram promiſſionis, introducendos eſſe.

Et certum eſt Moſem ità prudentem fuiſſe, & charitate atque benevolentiâ erga fratres ſuos in Ægypto ſic affectum, ut non miſiſſet hiſtoriam Geneſeos (primam ſaltem partem ejus, quæ eſt de creatione rerum) ſi non ipſam communi paſſim notioni, receptæque inter omnes doctrinæ congruentem ſciviſſet; & non putâſſet fratres ſuos Iſraëlitas idoneos fore lectores iſtius libri de Jobo ſcripti, niſi benè cognoviſſet eos eſſe homines boni ſensûs & intelligentiæ, ſimulque dociles, ſuæque Philoſophiæ capaces.

Suam autem voco Philoſophiam, non quòd ea principia, quæ Generationis Hiſtoria præ ſe fert, à Moſe novitèr inventa crederem, ſed in eo ſæculo paſſim nota, à Noacho & ejus filiis de manu ad manum tradita, atque igitur, (ut probabile eſt) ab ipſo Adamo priùs accepta.

Quippè quià pium ac ardens illud Patriarcharum ſtudium, videlicèt expoliendi atque ad bonas ſcientias informandi filios ſuos (quo flagravit olim quiſque Paterfamiliâs) in illis præcipuè documentis enituit, per quæ Creatoris opera magnifica concelebrari, atque ejus nomen ſummis laudibus efferri decantarique poſſet; ità ut audactèr aſſeram, quòd iſta admiranda opificia Dei (quæ comprehendunt ea omnia, quæ *naturalia* dicimus) filiis Adami vulgò nota fuerint. Quibus Adamus (ei namque Deus omnia revelârat) haud rem factam ſolummodò, ſed & fabricationis modum atque methodum clarâ explanatione patefaciebat:

faciebat : Et hi ſimiliter omnia filios atque nepotes ſuos clarâ explanatione docebant. Id quod procul omni dubio Noachus, & ejus filii quoque præſtabant.

Propterèà quòd in aureis, ac verè heroicis illis temporibus, omnes eo inprimis conſilio ſtudebant naturali ſcientiæ, ut Deum omnium rerum Artificem prædicarent; ipſumque per opera ſua magnifica declaratum, in omnium fide ac veneratione collocarent. Tum profectò nihil celatum fuit; nihil obſcuriùs expoſitum; ſed omnia quæ de ortu naturæ, rerumve origine ſciri potuerunt, omnibus aperto ſermone tradita, & promulgata fuerunt. Aliter ac in ſequioribus ſæculis à Chaldæis, Ægyptiis, Græcis atque aliis eſt factitatum. Qui cùm non Cæli ac Terræ conditoris, at ſuam ipſorum gloriam ſolummodò captabant, ſecreta Naturæ tegere ac velare pro virili ſolebant; ut eo majorem auditoribus ſuis, (quibuſcum parcè ſtrictéque myſteria ſua communicabant) famam atque reverentiam ſibi conciliarent.

At ea illuſtris atque literalis expoſitio naturæ (quæ fuit altioris ac melioris ſæculi pietas; & ad proprium ſuum finem, creatoris certè laudem, referrebatur) uſque ad Moſis ætatem obtinuit; & Iſraëlitis iſtius ævi, tam liberè tàmque planè tradebantur notitiæ ſcientiæque priſcorum temporum (præſertim quæ ad Mundi creationem dilucidandam facerent) ut illa generalia principia naturæ, quæ nobis prima capita Geneſeos exhibuerunt, ipſis utique non difficilia comparerent, at ſatis plana. Licet illa poſteris ſæculis, nec ab Academiâ, nec à Lycæo, vel ab ullis aliis Ethnicæ Philoſophiæ ſcholis intelligi poterant.

Hanc, inquam, Iſraëlitarum notionem atque intelligentiam ſuſtentabat hactenus, atque promovebat conſtans ea per familias ſuas cura atque Religio communicandi patrum ſuorum memorias; illas autem præcipuè, quæ de ortu & pulchritudine mundi, ad Dei gloriam, proferri tradive poterant. Ille idem mos etiam (qui confirmat illud inter Iſraëlitas ingenium) conſtans atque perpetuus fuit inter Idumæos atque Arabas, & ſtabilis extitit ea diſciplina, per quam recordationes Antiquitatis, quaſi per traditionem lampadis, (ut fit in Lampadephoriis) ad filios, atque ſeros nepotes transferri ſolent.

Habuerunt Iſraëlitæ ſibi vicinos ſimul & affinitate quâdam junctos Idumæos; & ad utroſque jugi traditione pervenerunt

Abrahami exempla præceptionis & diſciplinæ: Ut non dubitandum ſit, quin à filiis Iſraëlis pari ſaltem curâ & reverentiâ conſervaretur hæc eruditio, ac à filiis Eſavi ſolet: Idumæorum verò doctrinas atque diſciplinam confirmat luculentum illud teſtimonium, quod primogenitus Eſavi, atque reverendæ canitiei doctrinæque ſenex, Eliphaz Themanites, pro ſe ac gente ſuâ perhibuit, dum ille in colloquio ſuo cum Jobo curiosè memorat, quâ Religione, quantâ curâ & ſolicitudine patrum ſuorum traditiones atque doctrinas cuſtodiebant. Hæc appellabat ſemper; hæc urgebat Eliphaz, Jobum ſeriò monens, ut ea diligentiùs obſervaret, quæ ſapientes indicârunt, & non celârunt accepta ab antiquis ſuis Patribus, illis nimirùm, *quibus ſolis data fuit Terra.* Ac. ſi dixiſſet ego nihil dixi, niſi quod didici à patre meo Eſavo, qui illud accepit ab Iſaaco, & ab Hebero, & ab ejus abavo Semo, qui erat unus ex illis, *quibus ſolis Terra à Deo data fuit.* (Job 15. 19.) Noam intelligens, & tres ejus filios. *Nam ab his diviſæ ſunt gentes in terrâ poſt Diluvium,* (Gen. 10. 32.)

Idumæorum ſapientia diù valdè celebris fuit, ut colligi poteſt è Prophetis (Jerem. v. 7, Abdi 28. & Baru. 3. 22.) At ut tanto tempore duraret, haud aliam fuiſſe rationem judicandum eſt, quàm quæ priùs ſcientias & Diſciplinas in Cananæâ ſparſerat; ipſaſque tam diuturnas reddiderat, utriſque prorſus iidem fontes ſapientiæ fuerunt; eademque rivos ſibi deducendi via. Nam diù floruerunt in Terrâ Cananæâ ſcholæ Semi ac Heberi, atque divino teſtimonio celebrata claruit Abrahami diſciplina & eruditio. Quæ quidem ſunt luculentæ rationes cur olim Terra Cananæa variis ſcientiarum generibus exculta fuerit, & tam diu literis ornaretur. Chananæorum ſapientiam priſtinam notât Propheta Barucus (3. 20.) à quo ſapientia terræ Themanææ vel Idumææ, confertur cum Sapientiâ terræ Cananææ ſive Palæſtinæ, in qua Eliphazi Themanæi tempeſtate (atque multis ſæculis poſtea) florebant Academiæ: Quarum una videtur fuiſſe *Debir* à libris dicta *Kariath Sepher.* Hanc idcircò Septuaginta Interpretes appellabant πόλιν γεγαμμάτων id eſt *urbem literarum,* ut non immeritò quidam vetus Poeta Græcus (qui Thebaica verſibus edidit) Palæſtinam vocet λόγιον, id eſt, *eloquentem,* vel *literatam.* Qui de Cadmo verba faciens hæc habet.

Ὧδε Παλαισίνης μὲν ἀπὸ χθονὸς ἔλθεν Ἀχαιοῖς
Ἰδμοσύνη; φοῖνιξ δὲ μὲν Ἕλλαδι Καδμῷ ὀπάσσε
Θρεφθεὶς ἐν λογίοισι Παλαισίνης περάτεσσι.
Sic Palæſtinâ à Terrâ venit Achivis
Scientia; Phœnix verò hanc Græciæ Cadmus dedit
Educatus in eruditis Palæſtinæ finibus.

Nec mirum eſt hanc regionem fuiſſe per multa ſæcula pænè literatam, ac ſtudiis doctriniſque deditam, quæ tantos habuit Magiſtros; tantos omnium & humanarum divinarumque ſcientiarum Doctores: Hîc Noachus, (ut veriſimile eſt) hîc Semus, & Heberus, & Abrahamus erudiendis hominibus incubuerunt. Nec dubium eſt, quin Iſaacus atque Jacobus (quorum uterque ſtudioſus & doctus, atque tum Theologiæ tum Phyſicæ peritus fuit) ſua veluti ſymbola ad hanc terram inſigniendam liberè contulerunt.

XXIII. Iſaacus adeò pius & divinus fuit, ut Deus diceretur Iſaaci *Timor*; Jacobus ità expertus & callidus in ſecretis naturæ, ut facilè probaret veritatem iſtius dicti; quod Cicero non veritus eſt proferre, ſcilicet, *eſſe in poteſtate Philoſophi, ut dives fieret*, ipſe namque per ſecreta Naturæ magnas ſibi divitias accumulabat. Uterque ſanè filios ſuos ità inſtituebat, ut conarentur eos ſimul & bonos & ſapientes efficere; & ut credibile eſt, efficiebat eos ſaltem ſcientes, nam quanquam parùm aut nihil à Moſe dictum ſit de arte ac ſapientiâ duodecim Patriarcharum, non dubitari tamen debet, quin eos omnes (hos autem plus, minùs illos) ſcientes effecerit. Quippe quia non potuit Jacobus (vir bonus & ſtudioſus atque prudens) non multum operæ in omnibus filiis ſuis expoliendis, atque variis ſcientiæ generibus ornandis impendiſſe. Qui filium ſuum Joſephum, cùm vix annos ſeptendecim natus eſſet, per artis atque naturæ ſecreta tam perfectum reddiderat; atque tam firmis ſapientiæ documentis inſtruxerat, ut potis fieret *erudire principes Ægypti ſicut ſeipſum; atque ſeniores ejus ſapientiam docere.*

Obj. Quòd tantus ſapientiæ gradus imberbi adoleſcentulo (quamvis ſapientiſſimæ indolis fuerit) per inſtitutionem patris ſui, licèt accuratiſſimam, in Cananæâ infundi non potuit; ſed in Ægypto poſteà, currentibus annis ab ipſo acquiri debuit.

Reſp. Plantas quaſdam videmus, ſi vel Philoſophi vel hortulani, facultatibus adjutæ fuerint, ad eam altitudinem tribus aut

quatuor horis accreſcendo aſſurgere poſſe, quam vi naturæ non niſi quinque vel ſex diebus attingerent. Simile quid de Joſepho concipiendum eſt, ejus ſcilicèt ingenium (naturâ ſuâ præcox) per artem ac diſciplinæ methodum ad maturitatem feſtinâſſe: Summa certè Jacobi ſapientia doctrinæque vis & ſedulitas, optimè valuit adoleſcentiam Joſephi tantis internæ præſtantiæ dotibus ornare, quantis aliorum virilis ætas, aut ſenectus rarò decorari ſolet.

Nam veriſimile eſt Joſephum omnes iſtas artes atque ſcientias (in primis Aſtrologiam) quas ei ſub nomine Oſiridis aſcripſit Antiquitas, in Cananæâ didiciſſe: Veritas iſtius rei conſtat argumento vendibili; quod nobis ſuppeditavit Regius ille Propheta David; qui aſſeruit Joſephum cùm deportaretur in Ægyptum, eò fuiſſe *miſſum ſapientem* (Pſal. 105. 17.) magnâ quidem mente atque ingenio præditum, priuſquàm Cananæam reliquiſſet, quanquam tunc non ultrà ſeptendecim annos ætatis ſuæ tranſegiſſet. Patris namque ſui culturâ tam plenas in terrâ Cananæâ, & tam ſucculentas radices egiſſet; atque in tam excelſum ſurculum creviſſet, ut in Ægypto brevi tempore mirandos flores atque fructus ederet.

Jam ſi ſpectemus Iſraëlitarum progenitores, à quibus animos ſuos, & indole, atque optima inſtrumenta naturæ quaſi tradu-

cta receperant; ſi reſpiciamus inſignes iſtas doctrinas, exactaſque diſciplinæ Regulas (à Dei teſtimonio celebratas) ipſis ab Abrahamo, Iſaaco, atque Jacobo ſæpiùs inculcatas; ſi porrò perpendamus illud ſpatium temporis, quo Jacobus ipſe (*qui fuit miniſter domûs doctrinæ*, proùt à Chaldæa vocatur) in Rameſe vixit; & id in curis habuit, ut ejus filii Majorum normis, & inſtitutis inhærerent; vel rationem habeamus annorum, quos Joſephus poſt mortem patris ſui ſuperſtes extiterit; & artem atque induſtriam fratrum ſuorum conſilio atque auxilio, autoritateque promovebat: Vel tandem conſideremus, quòd Levi diù in vivis fuit, & Cohath ejus filius, & alii (prout credibile eſt) qui cum Jacobo deſcendiſſent in Ægyptum; (& qui non potuerunt non influere in animos Iſraëlitarum) vitam ſuam ad illud ſeptennium, quod fuit inter Moſis atque Mariæ nativitatem, ducebant.

Hæc

Hæc inquam, ſi ponamus ante oculos noſtros, facilè concipiamus, quòd veteres illæ præceptiones & diſciplinæ, quas Iſraëlitæ Ægyptiaci per centum annos atque longiùs imbibiſſent, & in ſanguinem & ſuccum quaſi vertiſſent, tam firmos intelligentiæ doctrinæque nervos atque muſculos ingenerâſſent, ut non facilè ex eorum memoriis atque pectoribus elabi, vel evaneſcere poterant. Adeò, ut tantùm abſit ut hebetem, rudem atque brutum fuiſſe iſtum populum dignè putemus, ut vix ullam gentem iſtius ſæculi ſagaciorem fuiſſe, vel ſapientiorem potiùs arbitremur.

Certè mihi fidentiſſimè perſuadeam, quòd illos adhuc inſtitutiones & exempla patris Abrahami ſic ad ſapientiam formârunt; quòd Iſaaci meditationes atque Jacobi naturalia experimenta, necnon utriuſque ab Abrahamo traductæ familiarum ſuarum regendarum docendarumque normæ ac diſciplinæ ſic eos expoliverant, utique tum cogitandi atque faciendi, tum dicendi docendique modum atque materiam ſuppeditârant, ut magnæ parti Iſraëlitarum familiaris fuerit ſapiens & acuta conſuetudo; doctumque ferè commercium; per quod non ſolùm fratres ſuos inferiores, ſed & Ægyptios erudiebant: Adeò ut eos Porphyrius, prout anteà dictum eſt, tanquam naturâ ſuâ Philoſophos exiſtimaret. Antiqua traditio eſt Ægyptios, antea rudes, Aſtronomiam & Chaldaicam ab Abrahamo didiciſſe; ipſoſque poſteà doctiores, rerumque naturalium ſcientiâ peritiores factos à Joſepho: Et valdè credibile eſt ejus etiam fratres Iſraëlis filios, (quos eadem ratio diſciplinæ formârat) poſt ipſorum adventum in Terram Goſſenis, Ægyptios paſſim multò ſcientores reddidiſſe. Ut non ſit cur miremur, ſi poſt unam vel alteram ætatem Ægyptus fieret docta gens; & ante Moſem, in Ægypto vetuſtiſſima Philoſophia, præſertim Aſtronomia, ſcientiæque Mathematicæ, vulgares atque viles extiterint, præſertim inter Iſraëlitas.

Inter illos etenim communem atque pervagatam fuiſſe Aſtrologiam, non tantùm perantiquæ memoriæ tradunt, ſed & ipſa ratio perſuadeat. Quippe Jacobus & ejus filii (quibus res pecuaria perampla fuit) jumenta atque pecora ſua non tantùm ſervorum curæ atque fidei committebant, ſed & ipſi totas noctes inſomnes in ſpectando (ſed tanquam ἐποπται, non merè opiliones) ducebant; adeóque opportuna nanciſcebantur tempora ſtellarum motus & aſpectus obſervandi, atque ipſarum vires & effectus diſcendi.

diſcendi. Nec dubitandum eſt quin id peregerint; eóque magis ac diligentiùs, quia patrum ſuorum monitis intellexerant, quàm utilis foret ea ſcientia, quantúmque copiis ſuis augendis inſerviret.

Sciebant nimirùm Deum tribuiſſe quibuſdam ſtellis, & conceptum juvandi, fœtumque in utero formandi virtutem; ità ut Aſtrologiæ compotes, intelligendo debita conſtellationum, mariumque cum fœmellis conjungendorum tempora (benedictione Dei, qui fecit *Pleiadas* & *Oriona*) greges ſuas eximiè fœcundas redderent, atque multiplex incrementum ſibi procurarent.

Hanc illis in animos indebat ſcientiam Jehovah, tanquam certam atque innocentem rationem diteſcendi. Voluit nimirùm Deus, ut Abrahamus Iſaacus atque Jacobus, per ejus opem, ditior vicinis ſuis fieret. Placuit etiam (nam ſic opinari fas eſt) ut per ipſam pariter Iſraëlis filii tam divites evaderent, & numeroſi; ut illos aliquandò Rex Ægypti Pharao ſuis *Ægyptiis potentiores eſſe* pronuntiaret.

Minimè verò credamus iſtiuſmodi fælicitatem eventuram eſſe quibuſcunque pecuariis Aſtrologis, ſed illis ſolummodò, quibus Deus (qui fecit *Pleiadas* & *Oriona*) benè dicit, & illorum gratiâ, vires illas exeri voluit, quas aſtris hiſce dederat.

Hinc ergò viri doctiſſimi, qui ut oſtenderent Aſtrologiam valdè communem atque pervagatam fuiſſe inter Iſraëlitas, aſſerunt eam, vel paſtoribus Hebræis fuiſſe vulgò notam: Amoſem Prophetam (quem ferunt eſſe Paſtorem & Aſtrologum) in exemplum rei producentes; validiùs argumentum formâſſent arguendo communem inter Iſraëlitas extitiſſe iſtam ſcientiam, quia Paſtores & gregum Domini valdè inter ipſos frequentes erant, qui ſuâ magni intereſſe putabant (ob rationes anteà prolatas) ut Aſtrologi fierent.

Vix autem, prout opinor, ulla ratio poteſt afferri, cur omnes aliæ artes atque notitiæ, quæ paſſim colerentur inter Ægyptios, haud æquè (ſi non & crebriùs, atque perfectiùs) inter Iſraëlitas eodem tempore viguiſſe credantur, quamdiu, (quod uti ſpero probatum eſt) nihil habuit Ægyptiaca ſervitus, quod vel artes ab Iſraëlitis excultas omninò deleret; vel addiſcendi facultates, opportunaſve rationes ab illis eriperet.

Quod

Quod ad artes manuarias attinet, certum eſt Iſraëlitas, tàm fæminas, quàm viros, toto tempore ſervitutis ſuæ uſque ad eorum exitum ex Ægypto multùm excelluiſſe : Nimirùm plurimos inter eos enituiſſe egregios cælatores, tam in metallis quàm in lignis ; multos item Gemmarios, Suffitores, Deſtillatores, Unguentarios, & Acupictores in opere Phrygionico, plumario, occellato præſtantiſſimos ; atque viros muliereſque valdè præſtantes in omni eleganti artificio, quod vel ad Arcæ, vel Tabernaculi, vel Aaronis, ſacerdotumque dignitatem, & gloriam inſigniendam faceret.

Hæc Hiſtorici noſtri Divini teſtimonia confirmant. Qui quamvis non recenſeat plures Artifices, quàm quos opera & ornamenta Sanctuarii flagitabant, minimè nihilominùs addubitandum reliquit, quin & omnia illa artificia, quæcunque fuerunt, quæ inter Ægyptios enituerunt, optimè callerent Iſraëlitæ Ægyptiaci, Moſis ipſius elogio, *valdè periti & ſapientes.*

XXIX. Quocirca cùm Gens Iſraëlitica, quæ ſerviebat in Ægypto parentibus ingenioſis orta fuerit, tales namque pater Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, ejuſque filii procul omni dubio fuerunt : 2do, Cúmque diſciplina Abrahami, Dei teſtimonio, tantæ excellentiæ, ſimul & efficacitatis exſtiterit, ut ſeros etiam nepotes ſuos attingeret afficeretque. 3°, Cùm pluſquam veriſimile ſit Iſaacum (quem Moſes, pro more ſuo, brevitèr inſignit propter religionem, atque ſtudioſam ſuam meditandi conſuetudinem) pariter in filiis atque familiis ſuis inſtruendis uſque diligentem fuiſſe. 4to, Nec non bonum Jacobum non tantùm in terra Chananæa, ſed & quamdiu vixit in Ægypto (ubi ſpiritum ſuum duxit annis ſeptendecim) genti ſuæ formandæ condocendæque ferventiſſimè conſuluiſſe. 5to, Similemque diſciplinam poſteà ſummâ autoritate, ſimul & intenſâ curâ Joſephi per quinquaginta annos obſervatam fuiſſe. 6to, Cùm vix dubitandum ſit quin tum Jacobus, tum Joſephus etiam poſt ſe fidam inſtitutionem Iſraëlitarum, tum ſeniorum tum ſacerdotum Iſraëliticorum fidei, religioni, prudentiæque tradiderat. 7mo, Cúmque nonnulli ex filiis Jacobi, vel ex iis qui cum illo deſcenderant in Ægyptum, centum annos ferè ſuperſtites exſtitiſſent ; & tam diù Patriarcharum, proborumque Seniorum moribus & diſciplinis aſſueti, contraxiſſent firmas quaſi mentis habitudines, paternarum ſua-

rum

rum non diſſimiles; ingenioſaſque recepiſſent notiones, animis ſuis altiùs impreſſas, quàm quæ facilè convelli aut eradicari poterant; niſi diriſſima ſervitudo, ſimul & omnium infantum maſculorum crudelior internecio diù perſeverâſſet.

Et cùm manifeſtum ſit iſtam horrendam ſtragem non longo tempore ſæviiſſe, neque ſervitutem ipſam (quamvis ea, propter rationes anteà prolatas acerbiſſima videretur) tam duram atque horridam fuiſſe, ut Iſraëlitas ſuis notitiis, multò minùs intelligentiis, ſenſibuſque ſuis exuere valerent; (quod utì ſpero, conquiſitis argumentis ſuprà convocatis oſtenſum eſt.) Nulla compareat ratio, cur aliquis *Iſraëlitas Ægyptiacos fuiſſe Gentem inſulſam, ſtupidam, omni doctrina ſenſu atque intelligentia, omnique pænè humanitate vacuam, & tantùm non brutam cenſeret.* Maximè quandò Moſis ipſius elogiis, Scriptorumque Sacrorum ſimul & Ethnicorum memoriis abundè liqueat, Scientias & artes, atque artificia eximia floruiſſe inter Iſraëlitas Ægyptiacos uſque ad eorum exitum ex Ægypto.

Parcat igitur Atheus linguæ ſuæ maledicæ, ne calumniæ virus ipſam rodat & exulceret; abluat os ſuum, ne diutiùs ejus buccæ fluant fædis, ac ſputatilicis illis opprobriis; quæ quoties eructat in Iſraëlitas, ad ſuam ipſius infamiam, atque deformitatem facient: Nec ex illis notis, quas inurit Iſraëlitis, argumenta ſibi deſumenda putet, quibus ipſe Moſaicam, vel Religionem, vel Philoſophiam vellicet & irrideat.

CAPUT

CAPUT VICESIMUM.

De Moſe.

Syllabus. I. *Moſes habuit omnia quæ verum pronuntiatorem Creationis, atque Philoſophum exquiſitum redderent.* II. *Spcciatim per Chemiam & Aſtronomiam de Cœlo atque de Terra rationem dare perfectiſſimè valuit.* III. *In ejus tempore florebat apud Ægyptios Aſtrologia atque Chemia.* IV. *Moſis Chemia ſatis apparuit.* 1mo *Vitulum aureum ſolvendo in aqua communi, ſic ut bibi potuerit,* 2do *in confectione olei Unctionis ſacræ, atque ſuffitûs aromatici.* V. *Objectioni reſpondetur.* VI. *Argumenta adducta pro antiquitate Chemiæ.* VII. *Quam Moſes ipſe videtur agnoviſſe per notationem clari iſtius Luminis, quod Deus juſſit Noam facere in uſum Arcæ.* VIII. *Lumen illud nec à feneſtra nec à lucernis, nec à facibus emicabat.* IX. *Nec à gemmis fulgentibus.* X. *Sed à luminoſo liquore puriſſimo, radiantiſſimâque tinctûrâ prædito, atque per Noam parato.* XI. *Efficacia liquoris iſtius luminoſi liberat Arcam à difficultatibus argumentorum contrariorum* XII. *Valdè probabile eſſe, quòd Noæ cognita fuerit ars Chemiæ.* XIII. *Arca feneſtram habuit, non autem per vocabulum* tzohar, *ſed per* challon *à Moſe deſignatam.* XIV. *Nemo ad deſcribendas origines omnium rerum tam paratus & habilis unquam fuit, ac Moſes.* XV. *Qui, ipſius Dei teſtimonio, ſuos Iſraëlitas utì religionis præcepta, ſic & principia Phyſica, planè rectéque docuit.* XVI. *Hunc ideò non Iſraëlitæ ſolummodò, ſed & optimi ſapientiſſimique viri cunctis poſteà ſeculis enixè concelebrârunt.* XVII. *Ipſumque poſteri (licèt à Sciolis, inconſultis atque temerariis, & ab amentibus ac atheis abjectum deſpicatumque) proſequentur honore ſummo, gloriæque ſempiternæ tradent.*

QUanquam non ſit mei muneris hodiè Moſem conſiderare tanquam fidum ſervum atque amicum Dei; vel ut unicum illum hominem, quem Deus alloquebatur facie ad faciem prout quis alloqui ſolet amicum ſuum; vel tanquam Prophetarum omnium Coryphæum, qualis non ſurrexit prætereà in Iſraele: [a] Nihilominùs eò quod iſtæc præconia valdè mirifica ſint (nam divina quoque teſtimonia ſecum ferunt) non illa ſilentio prætereunda cenſeam, præſertim quia tantæ laudes facilè nobis perſuadeant, à tam grandi ac tam probo, prudentique rerum pronuntiatore, veram Dei conditoris, orientiſque naturæ hiſtoriam ſcriptam fuiſſe.

[a] Deut. 34. 20.

Maximè cùm Deus ipſe publicè pronunciaverit *Moſem eſſe fidum in totâ domo ſuâ*, ſcilicèt (ut Chaldæus Paraphraſtes, & alii omnes interpretantur) in omni populo Iſraëlitco, quem verè ac ſincerè docuit omnia, quæ tradiderat: Hoc namque præ ſe ferunt ipſa verba. Undè ſacer ille Scriptor, [b] explicatè dixit Moſem *fidelem fuiſſe ad ea teſtificanda, quæ dicenda erant.*

[b] ad Hebræos. c. 3. v. 2. & 5.

At inter ea λαλητόμενα *dicenda*, perabſurdum foret non recenſere Creationis opera, atque admiranda rerum omnium principia, per quæ manifeſta fieret Dei veritas & potentia; populique ſui reverentia atque pietas excitaretur: Et immane quantum abhorruiſſet ab *illâ fidelitate*, ſi Moſes Iſraëlitis, (quos Deus inſtrui ad fidem, ſimul & laudem Creatoris ſui voluit) Hiſtoriam generationis univerſæ, non tam clarè atque perſpicuè tradidiſſet, ut ab illis intelligi benè poterit.

Nihil igitur æquius eſt, aut cum ſanâ fide rectâque ratione congruentius, quàm ut Moſem (quod præſentis eſt inſtituti) tanquam ſcientiſſimum decantaremus atque veraciſſimum Hiſtoricum; quem Deus ipſe juſſit acta ſcribere: Cui, ut par eſt credere, non ſolùm quicquid de origine mundi, ab omni prorſus antiquitate tradebatur, optimè notum fuit, ſed &, ſi quid erroris inter antiquiores iſtius admirandæ rei narrationes, vel fabulæ, diuturnitate temporis irrepſiſſet, cælitùs indicatum; & ſi qua memoriæ defeciſſent; id omne plenius atque certiùs à Deo revelatum comparuit.

Nam

Nam vix dubitari poſſit, quin Deus (qui cum ipſo familiariter agere ſolet) Moſem perfectè docuerit methodum atque modum Creationis; eique in mandatis dederit, ut Hexaëmeri pariter enarrationem populo ſuo, ſcriptis expreſſam traderet: Cùm talis Hiſtoria, ad veram illam pietatem atque venerationem, quam Deus in populo Iſraelitico, nec non aliis omnibus efflagitabat, tum ſuſcitandam, tum conſervandam mirè conduceret.

Nam ſi Moſem jufſerit victoriam de Amalekitis reportatam *in libro ſcribere*; atque etiam literis exarare Canticum illud ἔλεγκτιὸν (paulò ante obitum ſuum ab ipſo ſcriptum) quod moneret Iſraëlitas, *ne alium Deum quàm Creatorem ſuum colerent*; *& quod, ubi ſecus fecerint, Deo in teſtem fiat contra illos*; facilè erit opinari & credere, quòd Moſes itidem juſſu Dei, Creationis hiſtoriam (validiſſimum illud argumentum religionis atque timoris Dei) ſcriberet. Per illam namque perpetuò monerentur Iſraelitæ, quòd verus ille Deus unicè colendus ſit, qui tam mirificè magnificéque Cœlos & Terram creârat: Et quòd ab illa præſentem ſemper, & ante oculos haberent teſtem, qui ſi Deos alios ſibi fingerent, miſeram illorum ſtupiditatem, dicam, an horrendam impietatem redargueret & condemnaret.

Hoc verò certiſſimum eſt, multas olim Moſi magnaſque ſæpiùs â Deo ſuppeditatas fuiſſe occaſiones & εὐκαιρίας per quas fieret, non ſolùm populi ſui gubernator prudentiſſimus, at etiam ſcientiſſimus ſapientiſſimuſque generalis illius originis enarrator. Nam ſive conſideremus illum prout charum Aulæ Ægyptiacæ alumnum; ſimul & Collegii Dioſpolitani (quod fuit præcipua Ægypti Academia) ſocium; (in quâ non ſolùm doctrinis communioribus inſtitutus, at etiam ſublimiori ſapientiâ decoratus fuit (ſive illum reſpiciamus tanquam Imperatorem exercitûs Ægyptiaci ducti contra Æthiopas,[c] ubi nactus eſt occaſionem ſciendi quicquid in illâ perantiquâ gente, tanti ac tam curioſi viri cognitione dignum exiſtebat: Vel ut exulem in Madiana, ubi quadraginta annos uſus eſt eruditâ atque ſagaci conſuetudine ſapientum Arabiæ & Idumææ, forſitan etiam Phœniciæ; ſimulque fruebatur otio beatiſſimo ad inſignioris experientiæ contemplationiſque notitias acquirendas apto: Sive demùm ſpectemus illum ſicut Regem in *Jeſhurune*,[d] qui dum populum ſuum per deſerta

[c] Ità refert Artapanus apud Euſebium de præp. Evangel. l. 9. c. 4.

[d] Deut. 33.

duceret, viros undiquaque doctiſſimos ex Aſſyria, (prout ſe fert traditio vetus) nec non aliunde ſæpius accerſeret, ut ex illis cognoſceret, quicquid ad augendam vim ſapientiæ ſuæ conduceret; optimo jure concipiamus illum ad Hiſtoriam rerum naturalium deſcribendam pereximiè comparatum fuiſſe; atque ſuam Geneſim ſic expoſuiſſe, ut à rebus factis nulla ex parte diſſideret aut diſcreparet.

Et ſi crederemus hiſtoriam Creationis haud Θεόπνευσον i. e. *inſpiratam* à Deo fuiſſe, verùm à doctiſſimis Iſraëlitis acceptam; certum eſt attamen eam hanc eandem eſſe, quæ perpetuâ traditione ab ipſis Avis mundi fuit derivata. De qua quidem ſatis liqueat ei, qui benè reputabit quàm paucæ fuerunt, & quam fidæ manus illæ, per quas ad Moſem plena ac perfecta notitia Creationis, tam quoad methodum, quam quoad modum, trahi deducique potuit, *Methuſelami*, nempe, *Noachi*, *Semi*, *Iſaaci*, *Joſephi*, atque *Amrami*.

Adeò ut inter Adamum & Moſem, non plus quàm ſex homines intercederent: Qui quicquid hâc de re noverit Adamus continuatâ relatione per vivam vocem, quod ajunt, deinceps factâ, Moſi traderent. Quippe quia Coſmogoniæ cognitionem, quâ Deus inſtruebat Adamum, Noa per conſuetudinem & commercia Methuſelachi didicit. Cùm Methuſelachus, Adamo adhuc vivente, ducentos & quadraginta annos ætatis ſuæ degiſſet; idemque poſteà moriens, Noam ſexcentos annos natum relinquebat. Et quicquid eruditionis atque memoriarum Patres ante-diluviani mundi ferebant ad Noam, atque familiariter ac candidè cum illo communicabant, id omne Abrahamus (item & Iſaacus fortè) ab ipſo per Semum, abſque ullis erroribus, aut fabulis, aut allegoriis, intelligeret: Quia priuſquàm Semus è vivis exceſſiſſet, Iſaacus (qui non procul à Semo diſtabat) annum ætatis ſuæ quinquageſimum ferè attingebat: Iſaacus autem, multòque magis Jacobus Amramum, patrem Moſis, per viva colloquia Joſephi frequenter doceret, atque totius Coſmopœiæ rationem plenè veréque per explicationes ſuas aperiret, proùt ab Adamo primitùs explanata fuit.

Nullo etenim modo dubitandum eſt, quin hi Patriarchæ filiis ſuis omnia notatu digna, maximè τὰ μεγαλεῖα Creationis apertè rectéque, ſine omni invidiâ tradiderant.

II. Et

II. Et pro certo habeatur quòd Moſes, aut ab Amramo patre ſuo, vel ab Iſraëlitis (qui ipſas vel à Joſepho, vel à fratribus ejus enarratas benè percepiſſent) origines univerſi didiceret; & quòd ille prius quàm Geneſin literis exarâſſet, optimè dijudicare valeret, an illa Narratio cum rerum generatarum naturâ congrueret, ut qui partes omnes Phyſicæ perbenè calleret, præſertim Chemiæ, ac Aſtrologiæ, quibus tanquam præcipuis inſtrumentis, intimæ rerum cœleſtium terreſtriumque naturæ dilucidari poterant.

Quod attinet ad ipſius Phyſicam certè non excogitari poteſt, nec adornari majus encomium, quàm quod Hexaëmeri ſimplex atque literalis explicatio nobis exhibet. At ſiquis argumenti vim atque evidentiam non capiat, quia veritatem Philoſophiæ Moſaicæ non comprehendit, donèc eâ de re pleniùs informatus ſit, ſatis erit ſi ſe ſubmitteret autoritati ſacro-ſancti codicis qui affirmat, *Moſem eruditum fuiſſe in omni ſapientiâ Ægyptiorum.*

III. Speciatim verò de cœleſti ſcientia compertum eſt, quòd eo tempore, quo florebat Moſes, inter Ægyptios eminerent Aſtrologiæ ſtudia atque effata; ita ut inter flores iſtarum ſcientiarum, quæ nectunt coronam ſapientiæ Moſaicæ meritò recenſenda ſit Aſtrologia: Neque minùs celebria inter ipſos eâdem tempeſtate fuerunt Chemiæ ſtudia, atque artificia ſecretiora: In quibus inſigniter exercitatum atque peritiſſimum fuiſſe Moſem fidentèr aſſeramas, cùm per ſcripta ſua maximas in illâ arte notitias ipſe prodat.

IV. Primò quandò palàm profitetur ſe reduxiſſe vitulum Aureum in pulverem, vel in communi aqua ſolubilem; quod quanquam per ignis aduſtionem fieri dicatur, haud attamen aut culinarius, aut communis aliquis ignis intelligi debet, ſed Phyſicus iſte, ſive chemicus, qui potes eſt aurum brevi tempore in valdè ſubtilem atque ſolubilem calcem redigere, adeò ut in aquâ fluviali diſſolvi poſſit, & ad bibendum dari. Quòd de pulvere vituli aurei Moſes ipſe refert, [e] cujus verba ſic ſe habent. *Vitulum aureum quem fecerant Iſraelis filii Moſes combuſſit igne, & contudit comminuitque in pulverem, eumque in aquam projectum, atque diſperſum* (i. e. ſolutum) *filios Iſraelis bibere fecit.* Nec hæreat aliquis, aut impediri ſe permittat ab ea dictione, contudit com- Exod. 32. 20.

comminuitque in pulverem; cùm nihil frequentius ſit apud Chemiæ ſapientes, quàm ut ea ſe contundere dicant atque terere, quæ in ſubtilem naturam redigunt, quâcunque ratione id fiat. Nec animi pendeat de Moſe dicente, *ſe illum pulverem projeciſſe in torrentem qui deſcendit de monte Horebo:* Id namque metonycè dictum eſt, pro aquâ de illo torrente ſumptâ, in quâ Moſes pulverem iſtius vituli diſſolvendo diſpergebat.

Aurum verò in iſtiuſmodi pulverem verti per vim communis ignis, ut ut validiſſimi, nequaquam potuit; & certum eſt, ut calx auri ſolubilis efficiatur, artem viri ſapientiſſimi, reſerandæque naturæ peritiſſimi notitiam poſtulari. Poſſet, equidem fateor, aurum abſque ullâ arte Chymicâ, per diuturnum attritum in mortario chalybeo reduci in pulverem, imò in liquorem potabilem; ſed non credibile eſt Moſem tale genus artificii ad hoc opus obeundum promoviſſe, tum quia manus innumeras atque immenſam mortariorum chalybeorum multitudinem ad tantam auri molem terendam flagitâſſet; tum quia longum tempus inſuper exegiſſet. Poteſt aurum quoque minimo quidem, ſed tamen Chemico artificio, per tartarum vini Rhenani (nec ullius alterius quod ſciam) frangi in ramenta perexilia, adeóque levia, ut eorum multa aliquandiù in ſuperficie aquarum natabunt, ut bibi poſſint; aſt ea ſolvendi ratio ad peragendam ſolutionem Moſaicam, nec habilis nec accommodata fuit.

Reſtat attamen alia facilior atque celerior Aurum ſolvendi methodus à Philoſophis unicè cognita, per quam aurum fuſum arcano quodam pulvere, vel liquore injecto, derepentè fit pulvis in aquâ ſolubilis. Hanc ego rationem ſolvendi, tum Moſe, quà ſapientiæ culmen adepto perdignum; tum rebus, quæ tunc temporis eum circumſtabant, optimè convenientem ac idoneam judico.

Nec dubitandum eſt quin Moſes, qui quadraginta annos inter Ægypti, totque porrò inter Arabiæ ſapientes degeret (quibus egregiè nota fuerunt Chemiæ ſecreta) retruſas atque abditas omnium rerum ſolvendarum vias intellexerit, maximè cùm certum ſit, Chemiam fuiſſe non exiguam partem iſtius ſapientiæ, in quâ Moſes educatus fuit.

Secundò, quando deſcribit *oleum unctionis ſacræ, & ſuffitum aromaticum*, [f] Quippe quòd in eo oleo conficiendo, ſexaginta

[f] Exod. 30 25. & 34.

duæ

duæ libræ pulverum aromaticorum per bicongium olei Olivarum reducendæ erant in oleum *fluidum* & *fragrantiſſimum.* ( ) Hoc autem niſi per ſecretum illud Chemicæ molitionis ἐνχείρημα, per quod Hermetici veras eſſentias, ac arcana ſua perficere ſolent, nullo unquam modo parari potuit; multóque minùs ſi (quod multorum doctorum virorum eſt opinio) tot aromatum pondo ad eam confectionem recepta fuerint, quot alii ſiclos enumerant: Quod certè non càret veriſimilitudine. Nam cùm Hebræus per Ellipſim tantùm numeros habet, & non expreſſa pondera; ſed eos numeros ſecundùm *ſicli ſancti pondus* accipiendos præcipiat, jure quidem merito, docti tot pondo concipienda judicant, ut ſatis olei unctionis ſacræ pararetur; cùm non niſi ſemel in omnes generationes conficiendum fuerit.

At ſi tot aromatum pondo (mille ſcilicet & quinquaginta) ad illud oleum parandum fuerint adhibita, & non niſi bicongium olei commiſceretur (Hebræa namque menſura *Hin* non plus quàm bicongium continet) neceſſe erat iſtam molem adhuc ſiccam remanſiſſe. Nec, ſi pro communi ſententiâ, conciperemus pulverum ſexaginta duas tantùm libras exſtitiſſe, poterant illæ in *oleum fluidum*, *purum*, *fragrans* & *incorruptibile* redigi, (quod tamen requirebatur) niſi per artem experti Philoſophi, qualis erat Moſes; aut per eos, quibus Deus tantæ ſapientiæ donum dediſſet, quales erant Bezaleel & Aholiabus; quos Jehovah *implevit ſpiritu Dei, peritiâ & intelligentiâ, notitiâque & omni arte.* Hos duos etenim Jehovah tanquam Architectos præficiebat omnibus operibus tabernaculi; ſpeciatim verò ad ſacrum hoc oleum concinnandum, tanquam peritos *ſapientes Moſi adjumento eſſe* voluit.

Quippe eximium illud Opus Sophiæ, quod Oleum unctionis ſacræ dicitur, laborioſius fuit, longioriſque moliminis, qu m quod à Moſe (Rege in Jeſhurune, cunctaſque populi ſui vagabundi, queruli, nimiſque turbulenti res magnas adminiſtrante) concinnari potuit. Præterquàm quòd grande illud ſecretum, quod Deus à ſapientibus omnibus abſcondi voluit, id hîc à Moſe quoque velari fecit; & placuit ut admirabile illud odoramentum inter Iſraëlitas à ſanctitate ſuâ ſolummodò, non ab arte illâ inſigni, quâ conficiebatur, pretium caperet: Quocirca ne Moſes (cujus ſcientia Phyſica, atque omni arte Ægyptiacâ ſecretiori

peritia

peritia populo Iſraëlitico non ignota fuit) talibus enchirematis occupatus, iſtius ſecreti ſuſpicionem crearet, Deus ipſe adjungebat Bezaleelem & Aholiabum, viros ſapientes, quos in Operis ſocietatem vocabat, ut laborantes artifices inſpicerent dirigerentque, tanquam præfecti. Vix mihi dubitare licet an multi ex Iſraëlitis Ægyptiacis optimè callerent ſecreta Chemiæ, quia tunc temporis inter Ægyptios præcipuè culta fuit illa ars: Horum verò duo prudentiores, omniumque prætereà ſcientiarum atque artium manuariarum peritiores, fuere Bezaleel & Aholiabus, qui cùm ſecretò cognoſcerent artem parandi veras eſſentias atque magiſteria Philoſophica (quæ ſunt artificia fragrantiſſima) & communium ſuffitorum, ſimul & aliorum Artificum vias & rationes ſcirent, aptiſſimi fuerunt, qui clàm cæteros homines grande illud arcanum *Olei unctionis ſacræ*, ſpecie communis artificii, pararent: Ut non mirum ſit quòd Moſes (qui in omnibus ferè βραχυλόγ☉ fuit) in hiſtoria tam ſecretæ rei, tam pauca tamque vulgaria, loquatur, atque tantâ induſtriâ (prout videatur) illud myſterium celaret. Cùm Deus hanc ſapientiam (quod ab omni antiquitate ſapientum fuit Opinio) non niſi bonis atq; prudentibus elargiatur; & de illa etiam propter inſignes rationes vix muſſitare ſoleant ſapientes. Hoc Moſes apertè ſatis indicâſſe videtur, ubi affirmat Bezaleelem & Aholiabum (atque alios quos Deus occupari circà hæc myſteria voluit) fuiſſe *ſapientes corde*, priuſquàm Deus illis ſapientiam faciendi illud puriſſimum, fragrantiſſimum, atque incorruptibile (miriſque virtutibus imbutum) Oleum dediſſet. Non potuerunt etenim tale quid efficere niſi ſapientes, qui grandis iſtius artis rationem benè ſciebant.

Nec minùs ſapientem Opificem requirebat *Aromaticus iſte ſuffitus* in uſum Sanctuarii, Dei præcepto, paratus, quem omnis antiquitas odoris elegantiſſimi gratiſſimique fuiſſe memorat. Verùm quia Pigmentum illud conſtabat è *Stacte & onycha* (quæ teſte Dioſcoride) vehementis eſt odoris, & Caſtoreum redolet) & è *Thure* ac *Galbano*, (quòd gummi eſt gravem atque fœtidum odorem ſpirans) cunctis parili proportione mixtis, certè illud odoramentum per vulgarem artem Pigmentariorum, Unguentariorum, Aromatoriorumve confici neutiquàm potuit; nec ab ullo mortalium, niſi qui probè noſcit veras eſſentias (quas è Chemiæ peritiſſimis etiam perpauci norunt) ab omnibus ſuis internis

internis ſordibus amovere, ità ut puræ & incorruptibiles ferè, fragranteſque naturæ fiant.

Thymiamatis, inquam, Moſaici conficiendi peritiam Deus ei ſoli dedit, cui facultatem è rebus etiam graviter ac fœtidiſſimè ſpirantibus,eximias odorum gratias & ſuavitates eliciendi tribuit. Quâ de re ſiquis Aromatum coctor ullatenùs ambigeret, eat & periculum faciat, num compoſitionem cui dimidia pars eſt onyx & galbanum (altera autem ſit ſtacte & thus) jucundè & delectabilitèr olentem reddat.

Certè ut in conficiendo oleum Sanctuarii opus Aromatarii fuit opus Philoſophi; ità in thymiamate condiendo ſimiliter ſe res habuit. Et ut oleum illud ſacrum nullo unquam tempore niſi Moſaico paratum fuit; (neque neceſſe fuit ut repararetur ea confectio, quoniam Aaron, & ejus filii tantùm uncti fuerunt, quorum unctione totus ordo ſacerdotum conſecratus fuit; & qui deinceps ſequebantur, excepto ſacerdote ſummo, non uncti fuerunt.) Idem quoque dicendum eſt de eximio iſto ſanctoque Thymiamate, quod a Moſe tantùm, & ejus adjutoribus Bezaleele & Aholiabo paratum fuit. Nec niſi à ſummis Philoſophis unquam parari potuit.

Hinc ergo ſacerdotes Hebræi, ſacro hoc ſuffitu tandem, vel abſumpto vel deperdito, quoniam è prædicta materiâ (prout credibile eſt) ſimile Thymiama facere non valerent, veruntamen ut fingerent, & imitarentur aliquid, quod adumbrare veritatem rei ſanctæ videretur, ad quatuor iſtæc aromata addebant Myrrham, Caſſiam, Spicam Nardi, Crocum, Coſtum, Cinnamo- & ſuavem corticem, i. e. caſſiam ligneam, ut majori rerum ſuaviter afflantium quantitate commixtâ,veluti ſepeliretur iſte gravis odor Galbani,atque adeò gratius & jucundius ſuffimentum fieret.

Harum verò confectionum difficultas & præcellentia ſatis liqueat ex iis, quæ ſacræ literæ, vel palam prædicant, vel obſcurè ſubintelligi velint, eas ſcilicet eſſe puras, ſacras & fragrantes, atque incorruptibiles : Illud etenim Thymiama metaphoricè dicitur ממלח *Memullah*, id eſt ſalitum, vel tanquam ſale conditum, tum quòd ea aromata (quæ conſtituebant illud odoramentum) in veram eſſentiam (prout loquuntur Hermetici) redacta, ſalinam naturam acquirunt, tum quòd diuturnitate temporis immutari corrumpique non ſolent. Nam vox illa

notat ἀφθαρσίαν : Quippe ſal à corruptione preſervat : Unde immutabile ac pepetuum fœdus ab ipſo Moſe dicitur *fœdus ſalis* [g] at incorruptibilem ſuam naturam quoque monſtrat ipſa expreſſa rei conditio, quam Moſes, etſi deinceps in omnes uſque generationes duraturam, ſemel tantùm parandam eſſe docet.

[g] Num. 18. 19.

Peritis autem notum eſt, nulla oleoſa fieri incorruptibilia unquam poſſe, ni priùs efficiantur puriſſima, ſcilicet ab omni ſuâ ſorditie tam internâ, quam externâ penitùs exuta.

Si verò puriſſima fiant, neceſſe eſt ut fiant etiam fragrantiſſima; quia certum eſt, quòd unctuoſa non fiant unquam puriſſima, quin ſimul odoris optimi gratiſſimique fierent. Adeò ut res illa mirabilitèr unctuoſa, quæ à nonnullis (ob gravem ſuum odorem) dicitur *Aſa fœtida* (nempe ſtercus humanum, quòd omnes abhorrent & averſantur, ità ut illud protinùs è republicâ microcoſmicâ per portas Eſquilinas ejiciendum curent) ſimul atque per artem ſapientis reddatur omninò purum, fit etiam tam ſuave & jucundum, ut omnibus arrideat; omnes ad ſe potenter allicere valeat.

V. *Obj.* At hæc redarguat aliquis affirmando quòd non veriſimile ſit, vitulum iſtum aureum à Moſe per *artem Chemicam* verſum fuiſſe in pulverem, ſed (quod expreſsè dicitur) per *combuſtionem* : Neque probabile eſt Moſem eam artem calluiſſe, de quâ tum ſacræ literæ tum prophanæ, quotquot vendibiles exiſtunt omninò ſilent : Moſem quidem valdè eruditum fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum non inficior; at inter Ægypti ſcientias eo tempore numeratam fuiſſe Chemiam, præfractè nego; atque in laudem iſtius ſeculi dicere audeo, quòd *inſaniens iſta ſapientia*, (verbis utor Horatii) quam ſecretiorem Chemiam vocatis, animos hominum nondum infatuârat : Novitium ſanè commentum eſt alchemia, cujus nemo unquam meminit ante Julium Formicum [k] qui circà tempus Imperatoris Conſtantini ſcripſit.

[k] Bochart. Geogr. Sacr. l. 4. c. 1.

Sol. Dicta citiùs emiſſa! ne quid dicam gravius, ſed hoc libenter agnoſco ſacras literas nullam omninò mentionem de chemia feciſſe; nec expreſsè quicquam ab illâ arte concinnatum memorâſſe; verùm tamen illæ per quandam neceſſitatem conſequentiæ nos inducunt credere, quòd Moſes aliquid magni nonnunquam per iſtam ſcientiam patravit; hoc ſupra non levibus exemplis (ut opinor) indicavi, id ipſum pluribus alibi monſtraturus.

VI. Et extant adhuc quædam priſcæ memoriæ, quæ Moſis atque

atque ſororis ejus Mariæ τὰ χημευτικὰ prædicant, ipſamque Mariam inter Prophetas atque Philoſophos initiatos in templo Memphitico recenſent Ægyptii; nec non & veteres Græci; prout ex antiquo Græco ſcriptore tradit Euſebius. At Moſe quidem longè vetuſtiorem fuiſſe chemicam ſcientiam ſatis clarè probant eorum multa, quæ de Vulcano ſive Tubalcaino feruntur; quos ſemper eundem eſſe credebant antiquiſſimi ſapientes. Hunc namque Latini primâ ſyllabâ *Tu* per Aphæreſin omiſsâ, *Vulcanum* dixerunt: Hunc etiam Græci (qui Phœnicas habuere magiſtros) per interpretationem nominârunt Ἥφαιστον, eò quòd à Phœnicibus intellexerint illum ἀφεῦρεν πῦρ, καὶ τέχνας δὲ τῶν ἐκ πυρὸς ὁπόσας, *inveniſſe ignem & artes ex igne quotquot ſunt.* Nam vox Ἥφαιστος latinè Vulcanus, obſervante doctiſſimo Bocharto, non aliud ſonat quàm אב אשתא *ef eſto* id eſt *Pater ſeu Inventor ignis.* Unde & à Philone Biblio (qui Sancuniathonis hiſtoriam Phœniciam Græcè reddidit) appellatus eſt χρύσωρ ad imitationem Phœniciæ dictionis חרש איך *chores Ur*, id eſt, Faber aut Artifex, qui ignis operâ & ſcientiâ metalla fabricat, format, & immutat.

Profectò dies me pænè ſcribentem deficeret, ſi cuncta eſſent huc arceſſenda quæ Tubalcaini nomen, & pyrotechniam Vulcano datam probent. Non leve eſt illud argumentum rei, quòd quia Tubalcaini ſoror & conſors dicta fuit *Noema*, quæ eſt Hebraicè *pulchra* & *venuſta*, idcircò viſum fuit antiquis ſapientibus Vulcanum atque Venerem (quam fingunt eſſe *Deam pulcherrimam*) matrimonio conjugare.

Undè Homerus, poeticus ille Philoſophus, qui primus omnium Græcorum Philoſophorum (exceptis Lino & Muſæo, fortè & Heſiodo) peregrinando, ſalutabat Ægyptum, Philoſophiæ diſcendæ causâ, à Memphis redux nunciabat Græcis magnum illum inſtructorem atque promotorem pyrotechniæ Vulcanum, nempe Tubalcainum, ſimul & *inſignem illam Vulcani Martem atque Venerem concubantes irretiendi fabulam*, per quam quidem nullus antiquorum ſapientum non intelligebat egregias quaſdam operationes Chemiæ; & quas omnes hodiè luculentèr indicatas eſſe credent, quicunque ferri cuprique per Antimonium facta experimenta viderunt.

Nec minùs dubitandum eſſe videatur, quin Moſes, cùm dixerit Tubalcainum fuiſſe, *Doctorem*, vel (ut Chaldæus interpre-

[1] Gen. 4. 22. tatur) *Magiſtrum omnis artificii in ære ac ferro,* [1] ejus etiam *Chemiam* quæ pyrotechniæ præcipua pars eſt ſignificari voluerit; vel ſaltèm quòd antiquiſſimi ſapientes omnes ità Moſem intelligendum putarent. Hinc Ægyptii in illo templo, quòd Memphis dicatum fuit *Vulcano*, gymnaſium Chemiæ conſtituebant, quod ibi diù florebat; ità namque tradunt Zoſimus, Panopolites, Euſebius, Sineſius, & alii.

Quòd verò ſcientia Chemiæ nota fuerit atque exculta inter Ægyptios ante Moſaica tempora, probabile fecit teſtimonium, celeberrimi Chronographi Gregorii Abulpharagii, qui refert (id quod à memoriis antiquiſſimis acceperat) in Ægypto poſt Univerſale Diluvium fuiſſe Doctos in variis Scientiarum generibus, (quas enumerat) & inter eas tradit *Alchimiam* tunc maximè innotuiſſe; id etenim expreſsè ferunt ejus verba, quæ ſequuntur

وخاصة بعلم الكيمياء والطلسمات والمرات المحرقة

id eſt, *& præſertim in ſcientia Alchimiæ, Teleſmatum, & ſpeculorum comburentium.* Et veriſimile eſt id, quod de ſpeculis comburentibus etiam memorat; quia vix fieri potuit, ut ars Alchimiæ cognita ſit, & exculta, & non inter ejus opera ſæpiùs ex inopinato pararetur vitrum. Potuerunt iſta vitra comburentia, nec infiteor, è naturali chryſtallo fieri; immò potuerunt etiam ex glacie confici; ex quo ſcripto edito fertur non ità pridem facta fuiſſe vitra comburentia ab Artifice quodam in Hollandia.

VII. Nolo autem, neque neceſſe eſt ut memetipſum jam, tanquam velis datis, ferri ſinerem in latum illud oceanum antiquorum teſtimoniorum ac argumentorum, quæ pro vetuſtate Chemiæ produci poſſunt; unicum adhuc argumentum, quod ſufficiens erit, & quod Moſes ipſe, licèt obſcurè, notum fecit, veniâ Lectoris addam, è ſexto capite Gen. commate decimo ſexto, deſumptum; ubi Jehova mandat Noacho, ut clarum lumen pararet in uſum Arcæ, his verbis, צהר תעשה לתבה id eſt *ſplendorem* vel clarum lumen *facies Arcæ.*

VIII. Scio quod vocabulum Tſohar à vulgatâ verſione magnaque parte interpretum dicatur *Feneſtra.* Sed 1°, quia vox ea propriè ſplendorem, vel claram lucem notat. 2do, Et quia Chaldæus eam reddit per vocem *Nehor*: i. e. lucem: 3°. Porrò quia ſeptuaginta ſapientes nullam hîc ubi legitur vox *Tſohar*, feneſtræ mentionem

mentionem faciunt. 4to, Et quia nullus è ſcriptoribus ſacris uſurpat illud verbum ad *feneſtram* ſignificandum, & Moſes ipſe, in capite octavo, commate ſexto (ubi feneſtra neceſſariò debet intelligi) non vocabulo *Tſohar*, at propriâ & communi voce *chalon* utitur : 5to, Demùm quia Feneſtra ſat luminis ad tres Arcæ contignationes omneſque cellas ac manſiones animantium colluſtrandas immittere non potuit; ideóque feneſtra potiùs ad liberum aerem excipiendum (ſine quo clauſa animantia vivere diu non potuerunt) & ad proſpiciendum facta concipiatur; Moſes ergo (prout mihi videtur) per vocem *Tſohar* non *Feneſtram* ſignificari voluit, ſed tale aliquod lumen, quod cunctas animalium cellas ac manſiones illuminare poſſet ; atque viventibus ipſis incommoda vel noxas haud inferret per ſuas fuligines. Aliud ergo lumen quàm quòd intromitti, vel per *Lucernas*, aut *faces* intùs accendi potuit, inquirendum eſt.

IX. Quid autem per *ſplendorem* Chaldæus, vel per τὸ διαφανὲς Symmachus ſibi vellent, equidem neſcio ; ſed Hebræi quidam doctores, (ut obſervat in Hebræis verſatiſſimus, & ſi quis alter, peritiſſimus Aynſworthius) per nomen *Tſohar* intelligunt lumen pretioſorum quorundam lapidum ; qui ſuſpenſi, lumen ſuum in ſingulas Arcæ contignationes, tanquam *Pyropi*, diffundebant.

Sed quia lux illa, quâ radiant ſtellantes gemmæ, non ſufficeret, Arcæ neceſſitatibus ; & quoniam fuerit iſtiuſmodi, quam Deus operâ Noæ conficiendam præcipiebat ; demùm quia vox inuſitata Tſohar, quam Moſes hîc adhibet ad rem extraordinariam deſcribendam, præ ſe fert aliquid valdè *luminoſum oleoſæ naturæ* ; nam צהר quod lumen ; & יצהר, quod oleum notat, ab eâdem radice veniat, nempè à verbo צהר, *Tſahar* id eſt, *limpidus fuit inſtar olei.* Doctiores interpretes igitur hîc vehementer exoratos velim, ut mihi condonarent modeſtè concipienti, lumen illud fuiſſe eximium quendem ſplendorem, cujuſdam liquoris ignei ſulphureique, per artificium ipſius Noæ confecti ; quam Noa vaſculis è lapide ſpeculari vel è cryſtallo vel fortè vitro paratis incluſit ; & in ſingulis Arcæ tabulatis ſuſpendi juſſit; ità ut animantium cellas, aut manſiones omnes illuminare valeret.

Hanc altioris Philoſophiæ ſive Chemiæ magiſtri (qualem exſtitiſſe Noam vix dubito) fuiſſe ipſiſſimam cunctas Arcæ manſiones

ones illuminandi rationem facilè credent: Illi namque benè ſciunt, ùt è communi materiâ ſulphureâ conficere naturam oleoſam ac fluidam, tam purâ atque ſubtili, tamque eleganti radiantique tinctûrâ prædítam, ut ſi in tranſparente quodam vaſe, vel globoſo vitro contineatur, atque in longa pergula ſuſpendatur, ità fulgebit, atque renitentes ſuos radios tam ſtrenuè vibrabit, ut totam pergulam ptotinùs illuminaret. Hujuſmodi certè lumen, nec ulla, quæcunque fuerit, Arcæ jactatio turbaret; nullum tempus abſumeret, nec ejus fumi vel halitus (ut dictum eſt) ipſum animantibus incluſis noxium redderet, immò potiùs omnium ſanitati (nam ſalutare erit *illud ſubtile effluvium*, quod vaſa penetrat) maximè conduceret; adeò ut vix aliud excogitari poterit lumen, quod Arcæ vel utile vel conveniens fuerit.

Nec ad animantium, quæ fuerunt in Arcâ, ſanitatem ſolummodò conducebant iſtæ ſubtiles aſpirationes, quas hi luminoſi liquores ſuper omnes Arcæ contignationes ſpargebant; ſed & recreationi ſpirituum, corporumque ſuſtentationi quoque non parùm ſerviebant.

Notum eſt animantia nonnulla per annum dimidium poſſe vivere ſine ullo cibo. Immò non deſunt, quæ multò longiùs poſſunt: Ut conſtet per bufonem ſuprà memoratam, [k] Quæ in medio permagni ſaxi, ſerrâ diviſi concluſa, atque in ſpatio, quod non multo majus erat corpore ſuo, viſa eſt; hæc etenim, procul omni dubio, multos annos (fortè ſecula) vixerat abſque omni eſca: Legimus etiam varios paſſim fuiſſe homines, viros atque mulieres, qui non parvo tempore ſuſtentati fuerunt odoribus. Et certum eſt animantia, quanquam cibi quantitatem non exiguam mandant ac vorent, minimam tamen ejus partem tantùm coquere, atque in alimentum ſuum vertere ſolere. Quòd reſtat autem, vel per poros corporis exhalari, vel per anum dejici, tanquam rejectaneum. Non quòd ipſa excrementa non poſſint in alimentum quoque redigi, ſi modò vel per naturam vel per artem ſummè digeſta fuerint, ac maturata. Sciunt enim Sapientes Hermetici, quòd penes artem ſit, ejuſmodi liquores efficere, qui vel excrementa rerum digerant, & maturent, atque in eſſentias vertant.

[k] Vid. Cap. 18. pag. 268.

Adhæc à viris admodùm ſcitis atque probis, & omni fide digniſſimis audivi parabiles eſſe quoſdam ſpiritus, qui defectum recentis

recentis aeris ſuppleant, ità ut eorum ope diù in anguſtis locis, atque penitùs occluſis vivi poſſit : Idque ajebant fuiſſe viri celebris Cornelii Drebellii Belgæ experimentum, ad Londinum in fluvio Thameſe factum; ubi non pauci viri ſub aquis in operta Nave diù ſubſiſtebant; & quoties illis reſpiratio difficilior aut ægrior fieri cæperit, mox aperto vitro, & exhalante paulisper eo ſpiritu, redintegrata fuit ſpirandi libertas, æquè ac ſi recens aer intrâſſet.

Si verò ſic ſe res habeant, facilè credamus ex admirando fulgentis atque radiantis iſtius liquoris halitu, quo omnes Arcæ contignationes impletas fuiſſe concipio, cuncta animantia liberum ſemper, etiam in exactè clauſa Nave, ſpiritum duxiſſe. Et non difficulter etiam ſupponamus eundem eximium liquorem nonnihil quidem nutrimenti, vigoris autem plurimum, cunctis ejus animantibus aſpirâſſe.

Mihi certè vix de hâc re dubitare licet, cùm priſci hujus arcanæ ſcientiæ magiſtri, probique ſophiæ cultores affirmatè atque ſeriò tradant oleoſam partem rerum quarundam ſic parari poſſe, ac in culmen efficacitatis evehi, ut paucæ illius guttæ vires inſignes, & egregium inſuper alimentum ſumenti præbeant; & nonnullos exſtitiſſe aſſerunt qui per aliquas iſtius exaltatæ naturæ guttas, congruis vicibus inditas, ſe diù ſuſtentârunt abſque alio nutrimento.

Miram verò talium Aquarum (ſi ità loqui liceat) noctilucarum reficientem ſimul & alentem poteſtatem monſtrabit doctiſſimus, & in concentratione luminis expertiſſimus Widenfieldius, in ſecundo ſuo libro de medicamentis, poſt paucos menſes edendo; nec non in aliis ſuis libris de ſecretis adeptorum, deinceps evulgandis.

Minimè verò negandum eſt edulium, vel cunctis animalibus, vel ſaltem plurimis aliquoties exhibitum fuiſſe, propterea quòd Deus ipſe juſſit Noam (Gen. 6. 21.) ut eſcam tum brutis tum homnibus alendis in Arcam importaret : Porrò, quoniam ipſa animantium vaſa interna, tam quæ coquunt, quàm quæ diſtribuunt alimenta, niſi per halitum atque fotum eſcarum intromiſſarum (vel per æquipollentem vaporem) patula remanſiſſent, longè ante eorum exitum ex Arcâ coaluerant; atque adeò in poſterum ad cibos admittendos inepta prorsùs & inhabilia fuiſſent.

Idcircò

Idcircò neceſſe fuit ut animantia, quæ in Arca fuerunt, ea præſertim quæ maximæ molis erant, aliquid eſculenti ſolidioris ſumerent, quæ vaſorum tonum ſervârent. Aliter autem partes ſuas ità præſtabat illuminans atque reficiens iſte Vapor, ut eſculenti perpuſillum ſufficeret. Et non abſurdum eſt opinari quòd Deus eſcæ nomine, quam Noæ parandam mandabat, inter cætera, liquoris hujuſce luminoſi vires intellexerit.

Non poſſunt hæc mea non arridere mihi percepta, *Primò*, quoniam à rerum naturâ vel uſu non abhorrent. *Secundo*, quia tum per lumen illud, quod irradiabat Arcam; tum per cibi refectionisque modum, quo utebantur ejus animantia, obviam eamus illis difficultatibus (quæ multæ ſunt & magnæ) quas Arcæ clauſus aer, & exigua capacitas excitare solent. Nec ullas talia concipienti moleſtias faceſſent excrementorum vel moles, vel fœtens odor. Quia concipere eſt, tum luminoſi liquoris iſtius exſpirationes (quæ fragrantes erant) tum liquoris arcani (qui fuit intùs exhibitus) guttas, eâ digerendi maturandique facultate polluiſſe, ut totum eſculentum verterent in nutrimentum, pauco vel nihil excrementi relicto : Et quicquid per Animantium poros exſpirabat, ipſum aerem clauſæ navis alentem foventemque reddidiſſe, qui, vel per Os, vel per meatus corporis exceptus, alebat. Quâ ratione factum fuit, ut Eſca minima ſufficeret ad magnæ molis animantia diù ſuſtinenda; et ut totum illud ſpatium ferè, quòd ſolet fœno, granis atque aliis edulii generibus excipiendis aſſignari, ab animantibus occupatum ſit.

Hoc ergò, prout opinor, omnes mihi, ſi vera ſint hæc mea commenta, facilè concedent, maximas eas difficultates quibus hucuſque, velut æſtuante ſalo, laboravit Arca, protinùs amoliri poſſe, Verùm autem, quis, inquient, ullo unquam liquori tam ſtupendam ineſſe vim atque virtutem credet? Aquas noctu lucentes ab Artificibus apparari poſſe libenter damus; at tanta illas excellentia præditas eſſe, nemo conſentiet.

Reſp. Agnoſco varios liquores, noctu lucentes, à peritis in Chemiâ concinnari poſſe, quæ, quamvis egregias habeant facultates, haud attamen admirandas eas potentias atque virtutes ſibi vendicare poſſunt, quas Arcæ luminibus, & aliis arcanis liquoribus aſcribendas cenſui.

Nec

Nec poteſt optimus Artifex aliquid altiſſimis induere viribus ; aut ἐπὶ τὸν ἄκρον ἐνεργίας i. e. *ad culmen efficacitatis evehere* niſi cunctas Cœli *poteſtates* invocet, ac adjuvantes habeat. Ut ad hanc Pandoram adornandam Sol & Luna cunctæque Stellæ ſymbola ſua diù mittant. Id quod omnes illius arcanæ ſcientiæ magiſtri fatentur & inculcant.

Credibile eſt ergo Noam, ut per cœleſtes illos ignes fieret ſapiens ; atque perficeret illud lumen, quòd Deus illum facere juſſit in uſum Arcæ ; ſimul & eſcam præcipuam cæteris animantibus atque ſibi compararet, multos annos Jovem cum Rhæâ coire ſiviſſe, Cœli videlicet influentias ad oleoſam ſuam eſſentiam imprægnandam, ſcitâ applicatione, multos annos adjunxiſſe.

Vetus apud Eruditos interpretes eſt opinio, Noam ad Arcam fabricandam centum annos inſumpſiſſe : Nec multò pauciores forſan in liquoribus hiſce conſummandis impendebat : Cùm neceſſe ſit, ut, quod tam miros, atque verè cœleſtes effectus ſuâ vi producat, cum cœleſtibus influentiis etiam diù coeat.

XII. Noam verò Chemiæ peritum fuiſſe veriſimillimum reddant argumenta, paulò ſuperiùs allata, quæ oſtendunt Alchemiam fuiſſe notam Tubal-Caino longè ante diluvium ; ipſamque ab Ægyptiis excultam mox à diluvio. Nec dubito quin multis viris doctiſſimis (qui Commentariis ſuis eximiis atque ſagacibus illuſtrârunt ſacras literas) hæc mea, ſimul & alia cogitata (quæ Lectoribus occurrent in hoc tractatu) ſæpiùs in mentes veniſſent, ſi non amplexati fuiſſent Philoſophiam à Moſaicâ planè diverſam ; quæ ne tales unquàm rationes, ac ideas iſtius rei conciperent, penitùs obſtabant.

XIII. Meam verò quòd attinet hâc de re ſententiam, ut magis fixam in animo tenerem foveremque, multùm facit & verborum contextus, & ipſius Arcæ perfectio, quæ vulgatam opinionem non ſuſtinebunt ; nam quæ ſequuntur verba ואל אמה תכלנה מל מעלה id eſt, *& ad cubitum conſummabis eam deſuper*, aliam omninò requirunt interpretationem, nimirùm ut *thecallenah* non referretur ad *Tſohar*, quòd minùs rectè vertunt *feneſtram*, ſed ad *Thebah*, *Arcam*, quæ debuit operiri tecto fornicato ad pluvias arcendas, quòd à plano fieri non potuit ; præcipiebat ergo Deus ut faſtigium tecti, à lateribus Arcæ ad altitudinem unius cubiti, ſupra illos triginta cubitos aſſurgeret. Forſitan & ſubgrunda

fuit, quæ ad cubitum unum circumquáque protenſa exſtabat, ad decidentes pluvias abigendas ab oſtio, & à feneſtrâ.

[k] Gen.8.6. Nam certum eſt Arcam habuiſſe *feneſtram* [k] ſed eam hîc per vocabulum *Tſohar* non indicari, verùm per communem ac propriam vocem *challon* exprimi: Et neceſſe erat ut de tecto hoc mentio fieret (quæ in alio loco non habetur) aliter (ut obſervant Chryſoſtomus & Auguſtinus) Arcæ deſcriptio valdè imperfecta fuiſſet.

XIV. Vetuſtate Chemiæ (quæ Moſis ætatem per multa ſecula præveniebat) jam conquiſitis, uti reor, argumentis oſtensâ; & quòd ars illa ſimul & Aſtrologia, fuit eximia pars Ægyptiacæ ſapientiæ, probato; claré & directò ſequetur, Moſem (ut taceam cæteras artes, quibus inſigniter ornatus fuit) Chemiæ pariter & Aſtrologiæ ſcientiâ præcelluiſſe; adeóque rerum cœleſtium terreſtriumque naturas optimè cognoviſſe. Ut audacter affirmare poſſim, quòd nemo omnium mortalium ad originem mundi tradendam, nec non & ad generales univerſarum rerum cauſas explicandas habilior Moſe; vel facultatibus, arte & induſtriâ perquiſitis, exornatior unquam fuit: ità ut quanquam liberè dotatus fuerit naturæ beneficiis; non tam natus ad hanc excelſam provinciam ſuſcipiendam, quàm a Deo formatus videatur.

XV. Et ne quis dubitet an ſublimis hic Philoſophus uſquequáque munus ſuum fideliter & egregiè præſtiterit, habemus in illius gratiam Dei ipſius atteſtationem; qui [l] affirmat Moſem *in omni domo ſuâ fideliſſimum fuiſſe*: id eſt, in populo Iſraëlitico, qui fuit *Dei domus & familia*: Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Moſem nihil unquam gentilis hiſtoriæ prodidiſſe, quod non cum rebus, cumque perſonis atque temporibus optimè conſentiret; nihil utique religionis & ceremoniæ præcepiſſe quod non divinæ voluntati reſponderet; nec aliquid inſtitutionis Phyſicæ docuiſſe, quod non cum ſummâ veritate, rectâque ratione congrueret; adeóque à totâ domo Iſraëliticâ fidelem ſemper (id quod Jehovæ teſtimonium præ ſe ferre videtur) habitum fuiſſe.

[l] Num.12. 7.

XVI. Nec domì tantùm, ſed & foris etiam magni ſemper æſtimata fuit Moſis integritas atque præſtantia; cujus celebratiſſima ſapientia, conſtanſque magnarum actionum ſeries; itemque prudentiſſimus inter omnia populi ſui ducatus, ità inter gentes inclaruere, ut illæ de nullo majora ſentirent; neminem

nem ferè magnificentiùs, illuſtriúſve prædicarent. Quem Chalcidius τὸν Προφήτην *Prophetam*, et Plato Νομοθέτην *Legiſlatorem* per excellentiam vocat: quemque ſimiliter Eupolemus τὸν πρῶτον σοφὸν *primum ſapientem*; Numenius autem σοφώτατον *ſapientiſſimum* affirmat.

XVII. Non defuerunt attamen, (haud infiteor) docti quidam viri, qui ante aliquot ſecula carpebant ipſius Phyſicam; eamque tanquam rerum naturæ, atque rectæ rationi contrariam redarguebant; qui quoniam mentis oculos alieno colore, velùt ictero quodam, tinctos haberent, inſignem ſapientiæ Moſaicæ ſplendorem cernere nequibant. Quippe jam totum ferè literarum orbem pervaſerat, & omnes ubique philoſophantium ſcholas occupârat αἵρησις (ut ità loquar cum Clemente Alexandrino) Περιπατητικὴ, i. e. *Peripatetica hæreſis*; ſcilicet Ariſtotelis illius celebratiſſimi ſubtiliſſimique ſophiſtæ doctrina phyſica: Quæ quia Moſaicæ diſſimilis fuerit, & toto (quod ajunt) cœlo diſtaret; tales utique Naturæ dilucidandæ rationes, in animis eruditorum formabat, atque tam fixas conſignabat ubique notiones, ut ad ſenſum Phyſicæ Moſaicæ comprehendendum prorsùs inhabiles fierent. Nam qui perſpicillis (ut ità dicam) Peripateticis induti ſunt, veram & antiquam hanc, quam Moſes edocuit, Philoſophiam non diſcernunt: Hinc eam tanquam abſurdam planè deridebant; ipſamque Judæi pariter & Chriſtiani quamplurimi in allegoriam, vel parabolam vertebant, quia mentem noſtri Philoſophi non perciperent. Obſtabat namque (prout dictum eſt) Ariſtotelica philoſophia, cui quidam Chriſtiani nimis feſtinanter ſe addicebant: Judæi verò ſe totos mox ab ejus ortu devovebant.

Hoc ſtatim ab ipſo ortu iſtius doctrinæ factum judico; quia, ſi verum ſit Ariſtotelem aliquando ſediſſe ad pedes Simeonis juſti, & ab ipſo divinas quaſdam notitias hauſiſſe, prout à doctis traditur; veriſimillimum eſt eodem tempore *Simeonem*, atque alios Judæos, aliquid Ariſtotelici φιλοσοφήματος imbibiſſe. Certum eſt Judæos ociùs admiſiſſe iſtam Philoſophiam, eique per omnia ſic addictos fuiſſe, ut ejus hæcceitates ac quidditates etiam celerrimè reciperent & decantarent. Unde evenit ut eorum multi ſicuti Maimonides (nonnullique poſtea Chriſtiani doctores) cùm mentes haberent illius novæ doctrinæ notionibns occæ-

catas, Geneſeos literam non admitterent, ne res abſurdas ac abhorrentes à rationis & philoſophiæ legibus amplexari viderentur: aliique multi, qui auſi ſunt eam admittere, non niſi reconditos & alienos ſenſus ſibi finxerunt, & *nodum*, quod ajunt, *in ſcirpo* quæſiverunt.

Sic multa paſſus eſt admirabilis ille Doctor ob ſuam narrationem phyſicam, nec pauciora ſuſtinuit ob religionem ſuis legibus inſtitutam; cùm non deeſſent in omni ſeculo, qui Dei timorem, ſive clàm ſive palàm, reſpuebant; atque religioni funditùs ex hominum animis eradicandæ nequitèr incumbebant: Quocirca nihil è re ſuâ magis eſſe putabant, quàm ut Moſis famam læderent; ipſumque pro viru acerbitatis ſuæ, vel quà Theologum, vel quà Phyſicum; vel quà rerum Pronuntiatorem proſcinderent & lacerarent.

Verumenimverò quamvis hirriant atque latrent Canes, Luna tamen lucebit; & Sol glorioſus apparebit, etiamſi nebulones ex oppoſito ſtarent, eique in faciem mingerent.

Ità certè neque ſplendorem faciei Moſaicæ unquam obſcurabunt aut minuent, quicunque labeculas aſpergere, vel tenebras offundere turpitèr & obnixè contendant. Invitâ nimirùm vel Theoriâ Sophiſtæ, vel Athei ratione, vigebit inter homines, & in æternum florebit Θεοσόφε noſtri Sapientia, Theologia, Phyſica.

APPENDIX.

Ad finem Cap. xvii. *de Aq. Chaotic. addantur ea quæ sequuntur.*

AT illis, qui refractè negant *Aquas Superiores* tanquam res alienas ab omni ratione, atque eam ob rem Mosi, Dei, fido interpreti, nequiter imputant ἀθεωρίαν & ἀσοφίαν id est, physicæ *contemplationis*, &, *philosophiæ defectum*, illis inquam, si debitè consuluissent naturam, atque omnia rectâ ratione, & vel communibus experimentis examinâssent, rei certè possibilis apprehensio, simul & reverentia tanti, & tam celebrati viri, meliora verba suggessissent.

Nihil etenim noster cœlitùs inspiratus Philosophus effatus est, quod minùs cum solidâ ratione congruit, quàm cum Divinis Oraculis. Expressè quidem recenset *Aquas* illas, quæ sunt supra cœlum, scilicèt inferius illud Cœlum, quod Expansum dicitur: Et signatè memorat *fenestras* vel (potiùs) *cataractas Cœli*, quibus apertis, ingens aquarum vis & copia depluebat.

Hæc si benè considerèmus, & animis nostris advertamus ea repagulorum genera, quæ Deus adhibuit ad retinendos ignes & aquas

aquas Mundi generales (ſive ſint in Empyræo cœlo, vel in Sole, vel in Maribus, vel in foco Centrali) intrà limites ſuos, ne ſe confusè miſcerent, vel diſſiparent; facilè conciperemus quâ ratione, ad marinas aquas adaugendas, ingens iſta moles Aquæ, terræ viſceribus occluſa, ruptis Abyſſi fontibus exiliit, atque ad ſuperficiem ſurrexit contra naturam ſuam; ſimul & quo modo ſat aquarum de Cœlo deplueret ad ſubmergendam terrarum orbem; non obſtante Cœlo inferiori, vel Expanſo, quod ſuperioris Cæli *repagulum* ſive *clauſtrum* denominabam.

Quippè nec hujuſce tenuis atque fluidi Cœli particulas ſive bracteas, nec illam quamcunque materiam, quam aliquando tanquam Sepimentum quoddam eſſe concipiebam, aliûſmodi clauſtrum eſſe putandum eſt, quàm cui Dei voluntas & cardo fuit, & ſera & clavis. Ità ut Dei juſſu tantùm paterent Cœli fores aut cataractæ, ipſiuſque nutu ſuſpenſa fuit Lex iſta naturalis, per quàm motus inteſtinus Aquæ & Flammæ ſolet graviora corpora detinere inter partes ſuas. Aqua namque terreas illas partes, quas vel per digeſtionem vel per Coctionem imbibere ſolet, obſtinatè retinet. Et Flamma quamdiù viget, aqueas ſuas partes, (quas, ut notum eſt expertis, affatim habet) non ſuâ ſponte dimittit.

Nec minùs alienum eſt à naturâ, ut Cælum ſuperius, vel igneus aqueas ſuas partes violenter & copiosè decidere permitteret, quàm à naturâ Cereviſiæ, aut Vini albi, ut partes ſuas terreas (quas huic ipſa natura, ei autem Cereviſiarius incoxerat) abundantèr ac citò præcipites agi permitteret, ità utaqua clara denuò fieret.

Quocircà non ſine ratione maximâ credendum eſt, Cœli cataractas haud ſine verbo Dei apertas fuiſſe, atque iſtos imbres, quos aquæ ſuperiores efficiebant, & ad montes omnes, per quindecim cubitos aquæ ſuperandos ſuppeditabant, inductos fuiſſe Dei potentiâ, renuente quaſi naturâ.

Et nequis aliter hâc de re ſentiret, Deus ipſe nos omnes certos fecit emphaticâ repetitione, quòd illud Diluvium ſuâ ipſius omnipotentiâ duntaxat illatum fuit: *Ego* inquit Jehova, Deus, *ipſe Ego induco diluvium ſuper terram* [a] Hinc ergò Deus ab alio ſapiente dicitur *ſedere in Diluvio* [b] nempe tanquam Judex, qui Terram propter ejus iniquitatem condemnâſſet, & tunc infligi pœnam juſſit per hos cæleſtes imbres.

[a] Gen
[b] Pſal. 29. 10.

Porrò

Porrò ne quis etiam, Diluvio ceſſante, de receſſione tantarum aquarum valdè ſolicitus ſit, *quò ſe ſubduxerint*, aut *ubi jam deliteſcant*, ambigens; veritatem rei planè prodiderunt eloquia Divina: Nimirùm aquas eas, quæ de Telluris interaneis erumpebantDei verbum fugâſſe & coegiſſe redire. Id namque magnus Encomiaſtes Operum Dei, verba faciens de aquis Diluvii confirmat hiſce verbis. *Ex increpatione tuâ diffugerunt; à voce tonitru tui feſtinabant ad locum quem fundaveras ipſis.* (Pſal. 104. com. 7. & 8. Sed quæ de Cœlo cadebant, eas iterùm ad Cœlos remiſit ventus à Deo, ipſe quidem Deus; nam veriſimile eſt Deum tunc Aquas illas in vapores verſas oris ſui mandato repuliſſe, & in cloeos retrò egiſſe, ac ſi vento factum fuerit; citiùs autem quàm vel Orientalis, aut Aquilonaris, urens aut exiccans, ventus poterat. Hoc inquam non aliud fuit, quàm quod verbum Dei peragebat,

Nam quia *Ruach* apud Hebræos *ſpiritum materialem, ſimul et immaterialem*; tum *halitum Oris*, tum *Ventum* notat; ſacri Codicis interpretes ea, quæ fiunt à Deo, ſæpiùs à *ſpiritu* vel ab *Ore Dei*, nonnunquam & à Vento fieri docent. Sic motus iſte, quam רוח אלהים *Ruach Elohim* id eſt, *ſpiritus Dei* (vel Deus) ciebat in aquis Abyſſi, à multis dicitur à vento concitari. Ad hunc autem modum ſe exprimere ſolent, non Hebræi ſolummodò, verùm & aliæ Gentes, maximè Phœnices: (quorum lingua parùm aut nihil differebat ab Hebræâ) unde Philo Biblius, Græcus interpres Sanchoniathonis (qui res Phœnicum ſcripſit) ex eo tradit primos homines factos fuiſſe ἐκ τῆς κολπίας ἀνέμου id eſt, à vento *Colpia* dicto. Colpia verò nihil eſt aliud ut rectè obſervavit doctiſſimus Sam: Bochartus, quàm קול פי יוה *Col-pi-iah* id eſt *vox Oris Dei*; *cujus inſpiratione, ac Verbo factus fuit homo.*

Si cui libuerit hæc, quæ ſequuntur, legere, oratus ſit ea legendo appendere ad paginam 326; aut ad illa quæ deinceps ſequuntur, adjungere: Et quicquid operis nutritii à me tribuitur iſti luminoſo liquori, quem Moſes indicat vocabulo *Tſohar*, id omne potiùs, ad arcanum Magiſterium à Noâ confectum, referre: Cujus fumi (nam ſuppono cuncta animantia in Arcâ per fumos iſtius magiſterii nutricata fuiſſe) cùm pulmonibus & cordi gratiſſimi fuerint, & per omnes Arcæ contignationes amiciſſimè ſpirarent, habitudines omnium animantium ſartas atque vegetas ſervabant.

At

At illuminantes iſti liquores (à Noâ parati in uſum Arcæ) quanquam fortè nutritii fuerint, non tamen ulla animantia nutrire potuiſſe credendi ſunt, eò quòd in vitreis aut cryſtallinis incluſi, ac obturati, nihil exſpirabant, niſi quod, æquè ac lumen ipſum, tenue atque ſubtile fuit.

Appendix altera.

Multi ſcio Mundi reliquias in Diluvio per incredibile miraculum ſervatas aſſerunt; & totam *Moſis hiſtoriam ferè de Arcâ, plenam miraculis eſſe exiſtimant, ſecùs* autem *frigidam & jejunam atque ridiculam eſſe.* Verùm autem, ſi verba Moſaica rectiùs intellexiſſent, atque rerum naturam calluiſſent intimiùs, omnia reputâſſent phyſicâ atque intelligibili ratione facta atque deſcripta.

Nam Lumen illud, quod Noa faciebat Arcæ, & quod Moſes per vocabulum *Tſohar* intelligebat, fuit oleoſæ naturæ ſpiritus, ſubtilis, purus, fragrans & adinſtar Solis undique radians, exaltatus ad faſtigium virtutis ſuæ per artem Sophiæ. Qui quidem liquor, quanquam non fuit nutritius, mirè tamen fovens audiit, ac refocillans naturâ; & quæ ſimul cum mirifico illo Magiſterio (quod Noa multos annos, ut credibile eſt aſtris expoſuerat, ut illud Cœli viribus imprœgnaret) potens fuit, omnes Arcæ difficultates (ob quas Moſem ſillis atque probris ſugillant athei) penitùs amovere; eâ tantùm exceptâ, quam Navis iſtius anguſtia ſuggerebat: Eo enim nomine graviter ipſum increpabant homines impii, quòd immenſum animantium numerum in tam arcto ſpatio concluſum finxiſſet, cujus pars tertia vix quatuor Elephantos caperet

Verum enimvero difficultatum partem maximam tollebat ea prædicti magiſterii, ſimul & illius Eſſentiæ, quæ cunctas Arcæ contignationes, illuminabat, efficacia: Quæ, prout opinor, omninò dempſit neceſſitatem ſentinæ; & locum fæno, granis cæteriſque pabuli generibus excipiendis à coumentatoribus aſſignatum, pluribus animalibus admittendis liberum faciebat. Reliquam partem difficultatis ſolvit Origines, qui affirmat cubitum

hic

hîc a Moſe intellectum, fuiſſe Geometricum, qui ſextuplo major eſt quàm vulgaris.

Ex his appareat Moſem hîc, ut & alibi, non craſſâ Minervâ, ac ſi ad captum rudis vulgi tantùm locutus fuiſſet, ſed, ut Philoſophum decuit, ea ſcripſiſſe, quæ ſcholam & interiores literas ſapiunt.

Nam ſi, quæ jam ſuppoſui, cum veritate Naturæ congruant; ſi demonſtrent Arcam vas ingens extitiſſe eo conſilio atque arte fabricatum, ut benè deſignatis ſuis uſibus inſervire potuerit: Et ſi radiantis iſtius Eſſentiæ vis admiranda; nec non & ſtupenda virtus alibilis Arcani, per cujus etiam fumos omnia animantia ſuſtentabat Noa, probabilis exiſtat, atque per artem parabilis; facilè credatur Moſem ad hiſtoriam adornandam advocâſſe artem occultiſſimam (quod in aliis itidem fecit) notitiaſque non niſi paucis atque ſapientibus unquam perceptas adhibuiſſe: Ipſumque ſecretas illas Eſſentias optimè noviſſe, nec non intellexiſſe rationes ob quas tam mira facerent. Quæ licet abditæ ſint & à paucis intellectæ, poſſibiles attamen, atque naturales; & quæ non autoritate ſummorum Philoſophorum ſuaderi tantùm, ſed & ratiocinatione poſſunt inferri.

Nam ſi tam benè clauſa fuerit Arca, ut ex eâ nihil exhalare potuerit, (quod ut fieret, & continui fluctus, & quadraginta noctium atque dierum pluvia violenta flagitabat, ne ſe inſinuaret in ipſam Arcam) neceſſe fuit ut Noa, ſapiens ac providus ille Philoſophus, ea arcanâ vel magiſteria ſibi paranda, atque in Arcam ferenda cenſeret, quæ ſuis effluviis Arcæ internum aërem (præcipitatis halitibus omnium animantium) purum faceret; & motum ſanguinis in omnibus adeò vegetum redderet, ut in eo cuncta animantia liberè ſpirare poſſent, etiamſi perfectè clauſus fuerit. Talem eſſentiam per artem factam, atque in uſum ductam fuiſſe teſtata eſt recens experientia, cujus ſupra mentio facta eſt.

Adhæc ſi Noæ viſum fuerit iſtam Navim circumquáque linire bitumine, cunctaſque juncturas ejus, aperturaſve ſic obturare, ut nihil aëris externi ſubintraret, id egit profectò, quod omnia animantia, quæ in Arcâ fuerunt, & Solis & Lunæ Stellarumque viribus & influentiis orbaret, ſine quibus diù eſſe non potuerunt: Quocirca vix dubitandum eſt, quin Noa (penes quem fuerunt artis & naturæ myſteria) grande aliquod magiſterium

concinnari, atque terræ cœlique dotibus & excellentiis augeri curaret, ut illos defectus ſuppleret; immò forſan exuperet. Illius etenim arcanæ ſcientiæ magiſtri ſubtilibus ſuis enchyrematis, aptæque materiæ poſitionibus ad cœleſtia, non eam duntaat unius Aſtri, ſed omniun potentiis unà ditare poſſunt, ità ut hujuſmodi magiſteria cœleſtium vires ſuo modo ſuperent. Quod tamen abſque ſummâ arte ſapientis & longo tempore fieri nequaquam poterat. Verùm tamen ut fierent, Noæ peritia ſimul & otium atque animus optimè conſentiebant.

Nam traditum eſt Noam Dei mandatum recepiſſe pro Arcâ fabricandâ, centum annos ante Diluvium; illumque igitur affatim temporis habuiſſe, quo ſua quoque magiſteria (tum luminoſum illud arcanum, quod irradiabat Arcam; tum nutritium magiſterium, quod ſubibat vicem cibi) perficeret. Et conſentáneum fuit, ut Noa tales ab arte ſuâ Confectiones elaborandas eſſe cenſeret, ut immenſis numeris Animantium in Arcâ paſcendis, modo provideret, ne Arcam, cunctis animantibus admittendis ſatis anguſtam, fœno, & granis, omniſque generis edulio recipiendo, plus adhuc coarctaret.

Quippè cùm Navis iſta longitudine trecentos, latitudine verò quinquaginta; ſed altitudine triginta tantùm cubitos haberet, vix omnium animantium, ne dum ſufficientis etiam pabuli capax eſſet, ni cibandi rationes à communi longè diverſas adhibuerit, quæ perpauxillum ſpatii pro Eſcâ capiendâ poſcerent.

Novit autem grandis ille ſapiens Noa, quòd per artem parari potuerunt Eſſentiæ, quarum aliquot guttæ per os ingeſtæ, non tantùm foverent homines, ſed & alerent, atque ad multos dies ſuſtentarent, etiam in aperto aëre, ubi corporis exhalationes multùm diſſipant atque diſperdunt. At in Arcâ, ubi clauſus Aer inhibuit ne ſpiritus avolarent, haud impoſſibile fuit, ut Animantium nutritio longo tempore fieret per fumos eſſentiarum, quarum ſatis plenas fuiſſe omnes Arcæ contignationes veriſimile eſt.

Novit etiam virtutes harum Eſſentiam tantas eſſe, ut uniuscujusque rei partes etiam craſſiſſimas exiguo tempore digererent atque maturarent, et in eſſentias etiam verterent. Immò ipſa animantium excrementa ſimiliter in pura & ſubtilia, ſimul & nutritia magiſteria citò promoverent.

Nec dubium eſt quin optimè conſiderabat, quòd Arca fuerit,

&

& extùs & intùsetiam bituminanda, ejuſque juncturæ, & janua ſimul &feneſtra, exactè claudendæ erant, ſic ut ex Arcâ, nec halitus animantium, nec exſpirationes avolarent.

Adhæc non ille rationes alendi corpora neſciebat, vel unde cibi repetendi neceſſitas oriri ſolet; quibus animadverſis, etiam mente ſuâ concipiebat quâ ratione munus alendi cuncta animantia per ſuas eſſentias aut magiſteria præſtari poterant. Certè non latuit Noam, quod omnibus animantibus uſu venit, cibi nempe deglutiti partem maximam per anum denuò foras ejici, tanquam rejectaneam, magnam verò per coctiones attenuatam, trans meatus corporis evaporare; at minimam eſſe eam partem, quam natura ad partes alendas apponit; atque idcircò neceſſarium eſſe ut in aëre aperto ac libero cibi repetitio perfrequens ſit: Et ut ingens, ac pænè incredibilis cibi quantitas abſumeretur ab Animantibus in decem menſium ſpatio.

Ità, ut ſi cuncta Animantia, quæ erant in Arcâ, libero aëre fruerentur; atque modo communi, ſuo nempè, veſcerentur, multò magis pabuli conſumpſiſſent in illo ſpatio temporis, quam Navis illa contineret. Adhæc excrementorum copia non contemnendam partem Arcæ compleviſſet quæ cunctis animantibus etiam, ſuo fœtore noxia fuiſſet, & nequaquam ferenda.

Veriſimile eſt autem Noam omnia hæc incommoda præveniſſe, *partim* per Arcæ aërem obturatum; *partim* per eſſentias ſuas nutritias ad modum Vaporis in omnium ora atque nares influentis; aut in poros corporis ſe inſinuantis. Arcæ etenim occluſus aër, accuratiſſimè prohibebat, nequid unquam vaporis nutritii perderetur; cùm credibile ſit nihil per animantium poros exhalâſſe, quod non in eos denuò redibat; nec aliquid rediiſſe quod non eis alimento ceſſit. Immò & eam iſtius Eſſentiæ vel Magiſterii vim fuiſſe credamus, ut ipſa animantium excrementa digerent & maturarent, atque nutritia redderent: ſanctè enim affirmant in eâ arte periti, ſe poſſe per magiſteria ſua rei cujuſcunque partes craſſiſſimas in eſſentiam vertere. Ità ut tota Eſca fieret alimentum. Præterquam quòd alibiles iſtæ eſſentiæ, cùm mitis naturæ fuerint; & omnes humores, omneſque fermentorum quorumcunque vires etiam mites efficerent, tardiùs omnia reſolvebant; atque diutiùs in corporibus animantium ſubſiſtebant, alentes atque foventes eorum naturam.

Hinc.

Hinc optimè concludi potuit (nam conſequens eſt) quòd eſca perexigua magiſteriis aut eſſentiis exaltata, cunctis animantibus in Arcâ ſufficeret, quamdiu clauſa permanſit. Pauxillum verò craſſioris edulii nonnullis grandioribus animalibus (ob rationes ſupra memoratas) exhibitum fuiſſe aliquando conſentaneum eſt.

At quoniam immenſus fuit iſte numerus animantium quem Noa in Arcam recepire debuit, conſultò putaret ſe harum Eſſentiarum congiis aliquot uſurum eſſe, adeóque neceſſe habuiſſe, propterea quod res longæ, difficilis atque percurioſæ præparationis erant, magnam earum partem fortè ab aliis etiam Philoſophis paſſim colligere: Quò ſpectare videatur mandatum illud Dei ad Noam. *Tu cape tibi ex omni eſcâ, quæ comedi poſſet & congregabis tibi, & erit tibi & illis ad veſcendum.* Gen. 6.21.,

Licèt enim Moſes intima talium Arcanorum penetralia benè ſciverit, noluit attamen, neque debuit, ut opinor, ea quæ ſapientes omnes ſolent abſcondere, ſic enuntiare, ut plebem turbarent, at ipſa potiùs ità exprimere, ac ſi de communi cibo dicta fuiſſent.

Multi fortè valdè ſuccenſebunt mihi nunc inducenti novas & inſolentes haſce notiones, nullâ re, prout opinantur fundatas; nec ab ullo ſapiente cognitas creditaſve. Et habent equidem fateor, quod redarguant. Eò quòd arcanorum magiſtri, non ſat evidentes fecerunt eas Eſſentias, quas tam elatè prædicant.

Sed quia trecenti ferè doctiſſimi probiſſimique Philoſophi, ſimul & Theologi teſtatam fecerunt ipſius rei veritatem; paſſimque rei factæ monumenta dederunt: Et quia nihil apparet in naturâ rerum, cur non artis operâ, concurrentibus & Cœli Terræque viribus & influentiis, tales eſſentiæ fierent; mihi quidem ſatis & rationis & autoramenti datum eſſe exiſtimo, ut argumenta ad omnes Arcæ difficultates amoliendas arceſſerem ex eâ Scientiâ, quam ſolam tanto operi parem eſſe judico.

FINIS.

INDEX rerum & verborum.

A

ABrahamus egregius Aſtronomus venit in Damaſcum cum exercitu, & ibi regnavit aliquandiù. 128
Ejus domus fuit urbs non exigua. 277
Docuit Ægyptios ſcientias quas attulerat è Chaldæa. ibid
Abyſſus notat omnem profunditatem ſive ſit Aquæ, ſive Terræ. 256
Apud Philoſophos ſignificat profunditatem materiæ primæ. ibid.
Adamah vox adhibetur ad diſtinguendam materiam corporis humani, ab ea Brutorum. 164
Aer, vel Expanſum, generale quoddam menſtruum. 237
Ei propria corpuſcula longa. 229
Anaximander reſtituebat piam philoſophiam. 14
Quid ejus homoiomeria ſignificabat. 34
Anaxagoras Thaletis diſcipulus, cur Aquæ principium miſſum fecit. 13
Cur infinitum induxit. 33
Anima format corporis ſpeciem ſecundùm poros ſeminis. 149
Anima humana immortalis, cœlitùs advenit, 169
Artifex ſui corporis. 178
Una tantùm anima in homine. 178
Animæ vis plaſtica qualis. 179
Animæ humanæ duplex vita data à Deo. 188
Animarum traductio conceptu difficilis. 187
Animam humanam infuſam eſſe in uterum ſtatim poſt ſemina firmiter adunata. 177
Anima brutorum mortalis. 154
Animantia ſpontanea nulla. 157
Aquarum ſuperiorum uſus. 220
Aqua eſt corpuſculorum rotundorum atque lævium circa centra ſua motorum multitudo. 238
Aquæ choaoticæ non veræ aquæ. 239
Aquæ apud Moſem optimè notant particularum multitudinem. 47 & 57
Aquea corpuſcula montibus efficiendis occaſionem dederunt, 91
Aquarum congregatio quomodo facta, 93
Aquæ marium & fluviorum continuo circuitu cientur & cur; 100
Ariſtotelem docuiſſe Judæos ſuam phyſicam, & ab illis didiciſſe Theologiam, 36. Et. *Hylen*, indicem veteris Philoſophiæ retinuit in Schola ſua, ſed mutato ſenſu.
Arcæ clauſus aer Magiſterii neceſſitatem poſtulabat, 337
Arca non contineret cibum neceſſarium ſi communi cibo veſcerentur animantia, 339
In Arca pauxillum craſſioris edulii ſufficiebat, 340
Argentum vivum in minuta redactum detinetur ab aere 248. & detinetur ab aqua. 247
Aſtrologia communis inter Iſraelitas. 310
Atomi quid, 68. Differunt figuris, 71
Earum concretione variâ, facta fuerunt quatuor Elementa. 71
Rotundæ igneæ *pilulæ* dictæ. ibid.
Rotundæ aqueæ *globuli* dictæ. ibid.

B

Bruta non carent ratione. 154
Differentia rationis in Brutis, ab ea quæ eſt in homine. 154
Habent eaſdem animas per totum vitæ ſuæ ſpatium. 272
Beth Hebræum eſt Moſi tota Gens ſæpè. 275

C

Chaos quid, & undè dictum. 58
Chaos univerſa materia, & Hebræis & Gentibus. 2 & 23
Creationis Hiſtoria cur Scripta & ubi Scripta. ibid.
Intellecta à plebe Iſraëlitica Ægyptiaca. 3
Cur poſteà vel à doctiſſimis ignorata. 4
Centralis ignis argumentum. 96
Quomodo factus in Initio. 97, & ibid
Sol Terreſtris. ibid.
Quibus uſibus natus. 107
Quomodo ſuſtentatus. 108
Centripeta vis nulla in natura rerum. 266
Chemia benè nota ante Moſaica tempora. 324
Chenegdo Hebræum quid ſignificat. 171
Choſec Hebræum vocabulum cur à Moſe præ aliis eligitur ad Abyſſi tenebras ſignificandas. 114
Cœli materiales duo tantùm Hebræis. 229
Cœlum Empyræum & Æther idem. 212
Cœli & Terra junctim ſumantur ab Hebræis pro Univerſitate materiæ. 53. & 197
Cœlum ergo dicitur ab Heſiodo par vel Synonymum Terræ. 54
Cœlum Inferius, vel Expanſum, cur non ſtatim dictum fuit *bonum*. 84
Inferioris pars infima dicitur Aer. 85
Cœlum infimum quomodo dicatur Expanſum, & Firmamentum. 89
Conſtellationibus nomina & vires dedit Deus. 136
Conſtellationum vires magnificat Deus. 140
Concretio prima per contactum ſuperficierum planarum facta. 209
Cordis motus unde. 182

Cordi

Cordi insitum fermentum Salinum. Ibid.
Cor sedes animæ, non Caput. 184
Copernici argumenta non cogunt. 129
Corporis humani fabrica, quomodo Mechanica 167
Cosmologia Mosaica vetustissima & verissima. 17
Corpuscula rotunda & subtilia propria igni, & Cœlo igneo, *Pilulæ* dicta.
Corpuscula angulata & subtilissima propria igni.
Corpuscula rotunda, & lævia, sed majora Aquæ propria, *Globuli* dicta.
Corpuscula longa, propia (Aeri) Expanso, *Bracteæ* dicta.
Corpuscula omnigena apta Terræ.

D

Drebellii Experimentum. 327
Democritus & Empedocles primi in Scholas suas induxerunt Atomorum nomen. 35
Deus, cur rerum Pater atque Mater dictus. 5
Deus ipse prædicat vires, quas dedit Constellationibus.
Dei mandatum ad Noam de congreganda Esca, quid voluit.
Diluvium non inductum vi Naturæ, sed Dei potentiâ. 334

E

Elementi gravioris partes detinentur à leviori 246
Ed Hebræum quid apud Mosem. 99
Essentiarum fumi nutrire poterant omnia animantia in Arca clausâ, sed non in aperta. 33
Empyræi nomen attribuitur Cœlo materiali Superiori.
Expansi Natura, vis & modus agendi. 8 60
Expansi Bracteæ *sive* longæ particulæ omni fermentationi & rarefactioni inserviunt. ibid
Expansum est mundi emporium. 235
Expansi pars infima dicitur Aer. 229
Expansum cur dicitur Firmamentum. 233
Expansum à terra extenditur ad Cœlum igneum. 228
Expansum constituunt particulæ longæ, dictæ *Bracteæ*. 91
Expansum qua ratione factum. 82

F

Fontes & Fluvii eodem tempore facti quo maria. 100
in tertio die. 101
Fluvius subterraneus maximus. 103
Fumus Magisterii vel Essentiæ cujusdam in Arca clausa nutricabat animantia. 328

G

Græci multa quæ dicuntur accepisse ab Ægyptiis ab Hebræis didicerunt. 38
Generatio fit ab utroque semine. 151
fit per inflammationem quandam. 175
quomodo concipiatur 153
In Generatione utriusque generantis semen fit unum. ibid

H

Heberus vixit usque ad annum decimum nonum Jacobi 21
Hyle vocabulum, quo variæ Gentes notabant materiam primam ab Hebræis ortum. 42
Hebræi veteres denotabant materiam primam per *pulverem, & arenam* 43
Hyle Græcorum simulabat vocabulum, quo Ægyptii, Syri, Phœnices & Arabes exprimebant materiam primam. 254
Hiul Hebræorum videtur illis originem dedisse ibid
Hominis & Dei similitudo qualis 161
Hominis anima cur spiraculum vitarum dcta. 162
Hominis corpus à Deo formatum; non de terra communi sed è selectâ & in quintam quandam essentiam redactâ factum. 163
Hominis corpus non tam purum & lucidum ac ante lapsum. ibid.
Homo quâ ratione generat sibi similem. 186
Homini est natura animalis, vegetabilis, mineralis atque metallica. 191
Ei inest natura quæ aquas lucentes & Phosphoros & Pyropos efficit. ibid

I

Jacobus vir doctus, physicæ præsertim peritus. 279
Ideas & species, quas Deus imprimit semini, Moses per vocabulum *min* significari voluit. 149
Initia rerum oviformia. 148
Ignis & Aer producunt nullum animal. 147
Ignis Centralis fomes à mare.
Isaaci pietas & studia, quomodo indicantur à Mose. 278
Ish, vel Isch Hebræum quid & quantum notat. 281
Issacharæi, fuerunt Astrologi. 282
Israëlitæ in Ægypto habuerunt templum & sacerdotes. 297
Judæi naturâ philosophi. 283
Judæi egressi Ægyptum cito derelinquebant philosophiam. 284
Jupiter ex qua materia fit 134 & quid influit in hæc inferiora ibid.

K

Kneph Ægyptiorum Deus ovum in ore tenens, quid significat. 148
Kara Hebræum significat etiam proclamare & solenni more prædicare. 276
Kolpia, vox Phœnicia quid signat. 335

L

Lunaris humiditas non est simpliciter aquea. 131
Lunam fecit Deus (ut concipiatur) ex Sale & Sulphure liquido cum aqua. 130
Luna, cur dicitur nupsisse Aeri. 131
Lux ignis effluxio. 213
Sol primigenius. 78

INDEX.

Lex Motûs circularis. 211
Lucis radii corporei. 113
Lux, quam Noa fecit Arcæ, qualis. 325

M

Maria quomodo facta. } 93 & 99
Maria ſuppeditant materiam igni centrali ſuſtinendo. }
Maſculi & fœminæ ſemen æquè neceſſarium ad generationem. 172
Materiam factam eſſe de nihilo vetuſtiſſima opinio Gentium. 199
Mars ex qua conſtat materia, & quid influit in inferiora. 134
Motûs circularis regula. 71
Motus materiæ primæ, duplex, viz: *præparationis & Separationis.* 68
Materia prima quid. 66
quibus nominibus appellaturà Moſe. ibid
Merechepheth Hebræum non incubatum notabat, ſed motum. 207
Min Hebræum quid ſignificat. 149
Membra fœtus in utero delineantur à Deo ſolo, & omnia ſimul delineantur. 180 & 181
Meged Hebræum, quid per excellentiam notat
Moſem per aquas intelligere particularum multitudinem. 46
Moſchus Phœnicius idem qui Moſes. 11
Moſes Chemiæ peritus 317
Moſes ſecretæ chemiæ notitias adhibuit ad Arcæ hiſtoriam. 337
Moſes dux exercitus Ægyptiaci contra Æthiopas & Collegii Dioſpolitani ſocius. 315
Metalla non facta in Hexaemeri ſpatio. 109
Mercurius, ex qua conſtat materia, & quid influit. 135
Mundus factus ex inviſibilibus. 200
Motus in ſuperficie Abyſſi, cur Ventus dicitur. 205
Monades Pythagoræ fuerunt minuta corpuſcula. 32

N

Natura, quid. 67
Natura una fuerunt omnia in initio 197
Navis è fodina 50 Orgyas alta, & aliaram rerum profundè foſſarum ratio, 104
Neſſamah vox adhibetur ad diſtinguendam animam humanam ab ea aliorum animantium. 164
Neſhamah notat cæleſtem & immortalem ſpiritum. 165
Nihil de nihilo gigni, quomodo intelligebant antiquiſſimi philoſophi. 196
Noæ filii vel Nepotes exiliſſima corpuſcula notabant per vocem *Multa.*
Nox quæ anteceſſit primam lucem, fuit Duodecim horarum tantùm. 125
Noa chemiæ peritus. 325
Noa per occluſum aerem Arcæ, & per eſſentiarum vel magiſteriorum vires, præveniebat omnes difficultates Arcæ. 339

P

Paradiſus terreſtris cur *Beeden* dictus. 6
Particularum creatarum primus ſitus ſuppoſitus. 97
Parentes nihil dant ad eſſe Animale neceſſarium præter ſemen, verè tamen generant ſimilem. 177
Philoſophiæ naturalis uſus & excellentia. 20
Philoſophia corpuſcularis mundi præduliviani doctrina. 1
Philoſophiæ cognitio quæ Moſis ætate floruit neceſſaria eſt ad intelligendam ejus Geneſin. 28
Philoſophiam Moſaicam reſpiciebant omnes vetuſtiſſimi Poetæ & Philoſophi Græci. 216
Principii philoſophici varia nomina. 30
Plato ait omnium principia à vetuſtiſſimis ac optimis ſapientibus dicta fuiſſe *Multa* & omnia orta fuiſſe ab *Uno* & *Multis.* 35
Philoſophiæ principia non veri atomi, ſed minutiſſimæ particulæ. 29
Paradiſus terreſtris locus curæ & laboris, & tam à Poetis, quàm à ſapientioribus Romanicè laudatus.
Pherecydi eadem prima & ſecunda terra quæ Moſi fuit. 55
Pori ſeminales dant ſpeciem & animantium & vegetabilium corporibus. 149
Principia Hebræorum vetuſtiſſima, fuerunt eadem, quæ Græcorum.
Proverbium Anglicum viz: He is a Man of metal, unde. 190
Pythagoras verſatus eſt inter Hebræos. 39

S

Sanguis unde movetur? 182
Sanguini fermentum eſt Sulphureum. ibid.
Sanguinis motus cordi potiùs quam fermento ſanguinis eſt tribuendum. 183
Servitus Ægyptiaca cur viſa eſt Iſraelitis gravior quàm re ipſa fuit. 286
Servitutis Ægyptiacæ brevis hiſtoria. 289
Semen impreſſiones à parentum anima recipit. 171
Seminis typus quid ſit, & quomodo ſpeciem fingit. 167
Semen Adami & Evæ unitum habuit Caini typum à Deo impreſſum. 166
Saturnus ex qua conſtat materia, & quid influit in hæc inferiora. 132
Sol magnus acervus ignis. 122
Solis facies Lunâ mutabilior. ibid.
Sol nutritur eâ materiâ quâ cingitur. 123

Sol rejicit materiam quam non facilè comminuit, unde ejus maculæ. 124
Sol non transgreditur limites suos, & cur. 126
Solem fecit Deus è particulis subtilibus congregatis, vel ex Empyræo vel ex Expanso. 129
Solis aspirationes sunt instar Masculi, Lunæ verò sunt instar fœminæ. 131
Solis motum prædicabat Abrahamus. 127
Solis motum tenebant Chaldæi, Thales, Pythagoras & omnes ante illos. 128
Stellæ fixæ sunt igneæ Naturæ, quæ sua luce fulgent. 137
Stercus humanum per artificialem purificationem fit fragrantissimum. 322
Stellæ fixæ locantur in Cœlo, non ut splendeant tantùm, sed ut vires exerant. 139
Syderum vires extollit ipse Deus. 140
Solem semper *sheres* id est, servum vocat Moses, & cur. 261
Sex tantùm homines intercedebant inter Adamum & Mosem.

T

Terra apud Mosem in principio Geneseos significat rerum materiam primam. 253
Terra à Deo dignatur majori honore, quàm Cœli 257
Terræ natura intima non cedit Naturæ Cœli. 161
Terræ facies quâ ratione primùm facta fuit inæqualis. 92
Tohu & Bohu Mosis, eadem quæ Græcorum nihil & Vacuum. 55, & 201
Thales Aquæ principium habuit à Mose. 32
Tehom quid Hagiographis, & quid philosophis. 56
Tsohar, non est fenestra, sed Lumen, & quale lumen. 325
Tsohar in clausa Arca serviebat respirationi liberæ. 326

U

Vegetabilia non nutriuntur aqua sed unctuosâ materiâ quæ est in aqua.
Vegetabilia omnia semen habent vel quid analogum. 101
Vegetabilia quomodo crescunt specificantur à fabrica pororum in Semine,
Venus, qua constat materia. 135
quid influit in homines. ibid
Cur in Aere suspensa fingitur. ibid
Vitri conficiendi scientia nota in Ægypto mox à Diluvio.
Vocabulum *Multa*, apud Noæ filios atque nepotes notabat exiliſſima rerum principia. 48
Ur, in tertio commate Geneseos, ubi Deus jubet *Ur fieri*; cœlum superius, seu cœlum igneum notat.

Z

Zona torrida, temperata regio; unde. 133

Judicis imperfectionem excusatam faciant Capitum Syllabi. Et Errata typographica, quotquot occurrant, Lectoris judicium & Candor inter legendum corrigat.

Id quod obvenit in pag. 11. & line 28. ita legendum est, *ut in disputatione veritas limaretur subtilius.* PAG. 239. in prima linea post *exhibet*, inferenda sunt verba sequentia, *quæ omissa sunt, vix prius quàm æquarium mentionem fecerat.*